DIUERSI TRACTATUS DE POTESTATE ECCLESIASTICA COERCENDI DAEMONES CIRCA...

Gioacchino Scaino, Marco Antonio Pellegrini, Raffaele Della Torre, ...




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
25 B
54



DIVERSI TRACTATVS

DE POTESTATE ECCLESIASTICA coercendi Dæmones circa Energumenos & maleficiatos,

De Potentia ac viribus Dæmonum.

DE MODO PROCEDENDI ADVERSVS CRIMINA excepta; præcipuè contra Sagas & maleficos; Atque de medijs ad hos & illos iuuandos idoneis.

EX DIVERSIS IISQVE CELEBERRImis huius æui ſcriptoribus, tum Theologis, tum IC^tis deſumpti, in quibus varia, iucunda, ſcituq́ digna in vſum vtriuſque fori doctè & accuratè diſputantur.







COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Conſtantini Munich Bibliopolæ.
ANNO M.DC.XXIX.
Permiſſu Superiorum.

TRACTATVS hosce materiæ affinitate coniunctissimos, primoque exemplari in Catholicis Vniuersitatibus approbato prorsus conformes, prout relatu eorum cognoui, qui eosdem accuratè perlegerunt, magno bono publico in lucem edi posse censeo. Coloniæ Agrippinæ die 20. Martij 1629.

Henr. Francken Sierstorpffius SS. Theol. Doct. Regens Gymn. Laurentiani, librorum Censor.



NOBILIBVS,

AEQVISSIMIS AC CLARISſimis Iudicibus, Scabinis & Aduocatis Patriæ ac Diœceſis Coloníenſis.

MIra ſemper in exitium orbis Christiani monſtra maligni Hoſtis inuidia in aciem produxit. Funeſta inprimis, ac crudelia, ſibique inuicem cognata ſunt Hæreſis & infanda Magia. Grauem ab hiſce hactenus preſſurã Eccleſia, grauem Politia cladẽ ſenſit, ſed neutra interitũ. Vtraq; tot hoſtibus & hoſtilibus machinis etiamnum ſuperſtes durat, Deoq; adiutore durabit perpetuò, nec portæ inferi præualebunt aduerſus Eccleſiã, Deo ædificante ſolidatã. Sed nec Politiam inimica vis aut rabies euertet, ſi Fidei & Pietatis auitæ cultum ſtrennè tueri pergat gladio, quem velut Dei miniſtra gerit, vindex ad iram. Vndè qui poteſtati reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit. Vidimus ſanè prius illud monſtrum, Hæreſin dico, tú-

midè nimis & impunè hactenus in orbem Christianũ dolenda strage grassari: sed mouit tandem lacertos Ecclesia succumbere nescia, & gladio Verbi diuini ac supernæ virtutis armata, imò terribilis vt castrorum acies ordinata hostes aggressa est, fortiterq́ debellauit, adeo quidem, vt ijs iam paßim profligatis, de pace mox rediuiua nobis propè gratulari audeamus, illudq́ propediem aspirantibus superis sperare tempus, quo sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Sed nec muneri suo Politici Magistratus cura defuit, quin strenuè spem nostram, Christianorum Principũ, Regum, & inprimis Gloriosißimi Imperatoris nostri FERDINANDI victrix dextra prouexit: & in eum nos omnes, fauente numine statum deduxit, quem ante annos aliquot frustra vel voto quidem concipere videbamur.

Verum vt est vita hominis semper obnoxia periculis, & velut militia perpetua super terram, etiamnum hostis instat à tergo, dies noctesq́ in perniciem nostram peruigil excubat, mille callet nocendi artes, & quã perditioni nostræ commodiorẽ inuenit, fraudulentus intentat. Deum ille quidem præcipuè, velut vltorẽ superbiæ suæ implacabili odio prosequitur

sed

ſed quia Deo nocere nequit, in hominem velut Dei imaginem & creaturam, quin & felicitati, vnde ipſe miſer excidit hæredem, totam inuidiæ ac furoris ſui rabiem conuertit.

Ergo domito iam propè, ac repreſſo priori illo Hæreſeos monſtro, alterũ tanto vehementius ad nocendũ impellit ac vrget, vt vel ſic hominem, quẽ Deus ſingulari clementia ad reparandas Angelorum ruinas deſtinauit, à tanta gloria & felicitate, Deoq́ ipſo velut ſummo bono & vltimo fine prorſus auertat. In hoc omnes intendit vires, omnia tentat. Hinc corpora ac membra humana varijs ſæpe moleſtijs, malis, incõmodisq́ diuexat; fortunas hominũ ac bona deuaſtat, vt diuinæ bonitatis ac prouidentiæ fidem fiduciãq́ exhauriat; patientiam, ſtatũq́ animi labefactet; & quod mirari licet, mala infert vt auferat. vulnus infligit, & mox ipſum ſeſe medicũ ſiſtit, (qui nõniſi mactare & perdere nouit, nec quenquam iuuat, niſi vt perimat) vt homines à Deo reddat alienos & in obſequium ſui malitioſè pelliceat.

Hinc & ſæpè ipſa hominum corpora Deo permittente intrat, ac occupat, & crudeliter nimis exagitat, ſed non niſi animam quærit, & difficulter admodum ſtatione ſua cedit, niſi vi poteſtatis, quã Eccleſiæ ſuæ Chriſtus tradidit, & eiuſdem nomine ac virtute coactus.

(:) 3 Por-

Porro frequentiùs idem malignus ſathan pernicioſo errore ac voluptatis viſco mentes hominum faſcinat, ſicque in caſtra ſua trahit incautos, quibus dein ad omnem nequitiam & libidinem obſequitur; & his viciſsim ille velut inſtrumentis, ad malitiæ ſuæ iacienda ſemina licentius vtitur, ac peracerba ſæpè ſtrage res hominum per hoc abominabile commercium ac infelix miniſterium fœdè deuaſtat.

Quid hic facto opus? quid Eccleſia, quid Politia faciet, vt tantis hiſce malis opportunè remediũ adferant? vtraque ſane grauiter impetitur artibus tam nefariјs, vtraque quoque curam ſuggerat neceſſe eſt. Quid ergo? Mutuis omnia ſtent auxiliis. Doctrinam ductumq́; Eccleſiæ inprimis ſequatur Politicus Magiſtratus; quid viri in Eccleſia & Republica celebres, doctiq́; ſentiant in hoc proceſſu, attendant, Pietati, Æquitati omnia reſpondeant, aberret nihil. Eccleſia & Reſpub. vigorem poſtlimінio reſumet ſit modo penes Iudices Zelus Iuſtitiæ, diuiniq́; honoris: & maleficos non patiantur viuere. Tollant de medio, qui Dei, Cœlitũ, Hominũ ſe inimicos & oſores profitentur. Sed hic abrumpo filum, ne tanta rei indignitas animum meum plus æquo commoueat. Officium geritis arduum, Iudices, & periculoſæ plenum aleæ, pulchrum tamen, etſi difficile,

ficile, Præsidem esse Justitiæ, & vindicem diuini honoris. Ad hæc non desunt vobis Prudentiæ ac doctrinæ, quin & Experientiæ præsidia, scio: volui tamen & ego nonnihil bono communi, & Iustitiæ conferre subsidij, ideoq́; ex Doctissimis & celeberrimis huius Æui scriptoribus Tractatus hosce selegi; in vnum volumen redactos edidi; quos legere iucundum erit; erit & vtile in vtroque foro versantibus, qui in hoc seu Iustitiæ seu charitatis officio, cum fructu gustúque occupari volent. Vos potissimum hæc mea spectat industria: vos quoq́; vt meum commodi vestri studium boni consulatis, velim. Colon. 25. Martij. Anno 1629.

Constantinus Munich
Bibliopola Colon.


CAN-



CANDIDO LECTORI.

AD rationem & mentem instituti mei plenissimè intelligendam: visus mihi es necessario tribus verbis monendus, de Auctoribus horum Tractatuum, & scopo eorundem. Primus Parentem agnoscit ter maximum illud Hispaniæ sydus & Dominicanæ familiæ decus, Patrem Raphaelem de la Torre; Virum, quem serò Germania vidit, necdum satis nouit Ex eius tomis, quos de virtute Religionis Ad secundam secundæ S. Thomæ copiosissimos & doctissimos Hispania altrici suæ dederat, Tractatum hunc de potestate Ecclesiæ coercendi Dæmones circa obsessos & maleficiatos, vnà cum Praxi exorcistica selegimus, commodo tuo, desiderio multorum. Magnum munus, ardua prouincia, Principes & potestates tenebrarum harum, Dæmones dico, lacessere, fatigare, sedibus suis pellere: sed quam multi parum feliciter, aut errore, aut superstitione, à vero & recto abducti gesserunt: nec infeliciter tantum, sed Ecclesiæ, & Energumenorum damno, hæreticorum aduersariorum nostrorum non contemnendo scandalo. Huic malo, errori, inscitiæ, superstitioni manum medicam pollicetur, atque adeò exhibet hic auctor; vt errare, ignorare, aut impingere deinceps, nisi qui velit, non possit: Quod lubentes in hac Vrbe viri Ecclesiastici, magni experti ingenuè profitentur; à quibus alij & alij quidem de hac re editi libri lecti, plures sine fructu, non pauci cum tædio, quidam cum periculo etiam. Solus hic errare vetuit, superstitionem eliminauit, viam tutam, in qua cespitare non liceat, monstrauit & aperuit. Hic Prodromus sit Operum omnium auctoris, quem si gratum deprehendero, nobilissimos eius de virtute Religionis commentarios in Hispania editos vtilitati publicæ consecrabo Tres reliqui Tractatus de abominando Sagar[illegible] agunt; media & vias tum Pastoribus & animarum Curatis iuuandi hoc genus hominum, tum Magistratui Politico ordinem, quo hanc pestilentissimam hominum fecem exscindere possit suppeditant. Auctores noti libris editis, quos commendare exilitas mea nequit, illorum magnitudo non sustinet. Meum studium fuit studere bono communi, & qua licuit via ignorantiam ad Cimmerias tenebras relegare, sagarum Patronis laruam adimere, iniuriam in bonos & pios vnius veri Dei cultores, quæ ab his manat, pandere

TRA-



R. P. F. RAPHAELIS DE LA TORRE. ORD. Prædicat. SS. Theol. Doct.

TRACTATVS

DE POTESTATE ECCLESIÆ COERCENDI DÆmones circa obsessos & maleficiatos, vnà cum Praxi Exorcistica; vbi variæ vtiles & iucundæ circa hanc materiam quæstiones doctissimè resoluuntur.

PROOEMIVM.

Tractatum hunc diuidemus in duo membra. Primum *Versabitur in explicando multa scitu digna de potestate Ecclesiæ Christi ad Dæmones coercendos.* Secundum *Tradet praxin Adiurandi licitè Dæmones, quibusdam præmissis Disputationibus.*

DISPVTATIO I.

An in Ecclesia Christi sit aliqua potestas, aut fuerit coercendi vel imperandi dæmonibus?



Assertio I. ASSERTIO I. In lege noua fuit apud homines potestas coercendi dæmones, eosq; imperando, ac præcipiendo, adiurandi, idque certum est secundum fidem. *Probatur* primò ex Luc. 10. vbi dicentibus Apostolis suo magistro: *Domine etiam dæmonia subijciūtur nobis*: nimirum propter potestatem à Christo collatam Matthæi 10. subdidit Christus quasi renouans, & confirmans potestatem concessam: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Per *Luca 10.* *Matt. 10.*

 ses-

serpētes, & scorpiones dæmones intelligi: ita communiter sacri expositores, & Athanasius homil. in Psal. 28. & in eundem sensum adducit illud ex Psal. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Per virtutem autem inimici exercitum dæmoniorum, & eorū satellites intelligunt, vel vt ait Euthymius multiplices dæmonis tentationes, Caietanus, & alij feras venenosas, quatenus ijs medijs dæmonia nobis nocēt. Quidquid autem sit de his expositionibus in hoc omnes cōueniūt, vt in eo loco data sit Apostolis potestas ad cohibēdos dæmones, ne nobis noceant: & idem colligitur ex c. vlt. Marc. *In nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Hoc idem *secundo abundantius prob.* ex multis miraculis, quæ patrauerūt Apostoli circa eiectionem dæmonum. *Actor.* 9. legimus à S. Paulo eiectum esse spiritum Pythonem ex puella, & *Actor.* 15. attactu sudarij Apostoli expulsa sunt dæmonia: & *Luc.* 10. omnes discipuli gaudio perfusi dicebant: *Domine etiam in nomine tuo nobis subiiciuntur dæmonia.*

Athanas. | Euthym. | Caiet. & alij. | Marc vlt. | Actor. 9. | Actor. 15. | Luca 10.

2 Sed dubitabit quispiam: nam in locis citatis videtur solis Apostolis hanc potestatem fuisse cōcessam, nō verò alijs, qui post eorum tempora vsque ad nostra successerunt. Quam obiectionem vt dissoluam sit.

Asser. 2. *II. Assertio.* A temporibus Apostolorum vsque ad nostra, & futura huiuscemodi potestas in Ecclesia permanet, & permanebit. Assertio est D. Aug. *lib. 22. de ciuitate Dei; cap. 8. & serm. 7. de Sanctis. Secundo prob.* ex locis citatis pro præcedenti assertione, in quibus collocata est hæc potestas Apostolis: ergo non cum illis interitura: nam vt videre licet *in materia de clauibus*, potestas collata Apostolis ad gubernationem, & consistētiam Ecclesiæ spectans, alijs etiam post eorū tempora futuris concessa, & deriuāda fuisse credendum est: aliàs neque claues in Ecclesia modò esse, neque potestatem remittēdi peccata impiè assereres, quia soli Petro aut Apostolis expressè collatæ sunt. Videndus est D. Aug. *Psal.* 108. *& lib. 1. de doctrina Christ c. 18. & tractat. 50. in Ioan.* 3. nam Marc. vlt. dicitur: *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient*: ergo non solum Apostolis, sed etiā alijs quotquot crediderint præfata potestas collata est. *Tertiò* probatur ex Patribus: Tertul. ad Scapulam c. 2. *Non tantum respuimus* (inquit) *verum etiā reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus dæmones, sicut plurimis notum est.* Et Cyprian. ad Demetriadem sic ait: *O si audire velles, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis, de corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humana, & potestate diuina flagella, & verbera sentientes, & venturum iudicem confitentur: veni & cognosce vera esse quæ dicimus.* Lactant. libr. 4. cap. 27. ita habet: *Sicut Christus cum inter homines ageret vniuersos dæmones sibi subiugabat, ita nunc sectatores eius in nomine magistri sui, & signo passionis eius, eos ab hominibus excludunt.* Videndus

August. | D. August. | Marc. vlt. | Tertullia. | Cyprian. | Lactan.

Minutius. dendus etiam *cap.16.Minutius in Octauio*; & Beda, *cap.8.Lucæ*, D. August. *libr.* *Beda.* 10. *de ciuitate Dei*, *cap.* 22. & alij in- *August.* numeri, & Prudentius de hac re *Prudent.* cecinit in Apotheosi contra Iudæos:

Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest.
Intonat antistes Domini: Fuge callide serpens
Exue te membris, & spiras solue latentes.
Has inter voces medius Cyllenius ardens
Eiulat, & notos suspirat Iupiter ignes.

Vltimò probatur, eo quod sæpe vidimus in Ecclesia dæmones adiuratos à corporibus recedere, quod negare stultum esset, & experientiæ repugnans.

Assert.3. *III. Assertio.* Hęc potestas cogẽdi dęmones per adiurationẽ non est vni-
3 uersalis ad omnia quęcunq; imperata faciendũ, sed tantum ne nobis noceant spiritualiter, aut corporaliter. *Explicatur assertio*: dæmones possunt præstare multa bona, v.g. sanitatem, diuitias, obsequia: hæc & similia non est licitum à dęmonibus exigere, etiã imperãdo propter reuerentiã diuini nominis: possunt itidem multa mala inferre, putà vexare corpora, vastare segetes, & huiusmodi, hæc mala ne inferant possunt fideles adiurando cogere potestate à Christo tradita. *Probatur vtraq; pars*: nam hæc potestas nõ inest hominibus à natura, sed munere gratiæ à Christo collata, *vt inferius latius probabitur*: ergo non est extendenda ad ea, quæ verba Christi promittentis non se extendunt: certum est autem ex testimonijs citatis Christum promisisse suis Apostolis huiusmodi potestatem limitatè in ordine ad propulsanda mala, quæ dæmon ing[illegible]re solet: ergo ad id tãtum extendenda est.

DVBIVM, *An sit in Ecclesia potestas immittendi dæmones in hominum corpora?*

Superest tamẽ dubitatiuncula pręcedenti affixa, *an sit in Ecclesia potestas cogendi dæmones ad corpora hominum ingrediendum, vt eos vexent* corporaliter. Et pro *affirmatiua parte* statim se offert id quod D. Paulus narratur fecisse 1. ad Cor. 5. tradens Corinthium
incestuosum Sathanæ in interitũ carnis, vt 4
spiritus saluus fieret: quem locum explicans D. Thom. ait posse intelligi, quod sicut Dominus *Matth.10.* dedit *D. Thom.* Apostolis potestatem spirituum im- *Matt.10.* mundorum, vt eijcerent eos & per eandem potestatem poterant imperare spiritibus immundis, vt vexarent corporaliter, quos hac pœna iudicabant dignos. Ita mandauit Apostolus Corinthijs in eius autoritate tradere prædictum fornicarium Sathanæ corporaliter vexandum. Expendendum est in præfato testimonio verbum illud (*ego iudicaui*) quod potestatem &

eã iudiciariã significat quã in Ecclesia esse debere verosimile est. *Confirmatur*: nam potestas eijciendi spiritus immundos extitit in Apostolis, & ad posteros fideles deriuata est, vt supra vidimus: sed potestas tradẽdi criminosos à Sathana vexãdos, eadem est cum illa priori: ergo etiam extitit, & modò est in Ecclesia, sicut illa potestas prior. Eidem Sathanæ tradidit Paulus Hymenæum, & Alexandrũ ob

Ad Tim. 1. eorum blasphemias 1. ad Timoth. 1.

Luca 9. Secundò, Luc. 9. dicitur Christum dedisse Apostolis virtutem, & pote-

Luca 10. statem super omnia dæmonia: & c. 10. *Dedi* (inquit Christus) *vobis potestatem super omnem virtutem inimici.* Ecce absolutum plenumque ius concessit Apostolis in dæmonia, quod & posteris videtur reddidisse, sicut & expellẽdi ea ab hominum corporibus. Vnde enim colligis potestatẽ his in locis cõcessam eijciendi dæmonia ad posteros extendi, non verò potestatẽ immittẽdi ea hominibus? *Cõfirmatur*: quia interdum quãdo dæmonia mediante adiuratione coguntur à corporibus aliquorum recedere, petunt ab adiuratoribus, vt eis alios homines arripere liceat, quemadmodum petijt dæmon quidam, quem ex Artemia Diocletiani Imperatoris filia eiecit S. Cyriacus, vt habetur apud

Surius. Surium *tom.* 4. Igitur dæmones ipsi agnoscunt penes adiuratores hanc inesse potestatem, immittendi scilicet dæmonia in hominum corpora.

In oppositum est, huius potestatis nõ extare modò in Ecclesia vsum, quæ certè semel aut iterum exequutioni mandaretur si esset.

Decisio huius rei valde dubia est: ex- 6
istimo tamen esse dicendum Apostolos prędictam habuisse potestatẽ, sed ad posteros neutiquã esse deriuatam. *Prima pars* huius asserti cõceditur argumẽtis pro parte affirmatiua. *Secundam* verò damus argumẽto in oppositum: & quia licet Apostolorũ tempore, quãdo nõ tot suppetebant media ad puniendum crimina enormia Apostolis fuerit concessa præfata potestas, nũc tamen postquam Ecclesia aucta est tẽporalibus viribus, habetque multiplices vias puniendi ac coercendi rebelles, non est cur dicamus talem esse necessariam potestatem.

Ad primũ pro parte affirmatiua qua- 7
tenus contra hanc secundã assertionis partem militat, *resp.* illud testimonium D. Pauli communiter explicari de excõmunicatione, cui traditus est *Tertulian.*
ille incestuosus Corinthius: ita Ter- *Hilarius.*
tullian. *lib. de pudicitia cap.* 13 *&* 20 Hi- *D. Hiero.*
larius *Psalm.* 118. *Hieron. in Ezechie-* *Ambros.*
lem capit. 17. Ambrosius, *lib. de Pœnit.* *August.*
cap. 14. Aug. *lib. de fide & operibus, capit.* *D. Thom.*
26. D. Th. in hoc testimonio, & 1. ad Timoth. 1. vbi ait: *Tempore primitiuæ Ecclesiæ, quãdo excommunicabantur fideles, simul & vexabantur corporaliter à dæmone.*

Sed admissa expositione in argumento allata, quam etiam approbat D. Tho. & alij. *Respondetur*, solis Apostolis talem fuisse concessam potestatem, non verò eorum successoribus: tum, quia tempore Apostolorum vt fides, quam prædicabant, ho-

nora-

noraretur, ac susciperetur, decuit, vt signis & portentis confirmaretur, & grauissimis supplicijs Apostoli primi fidei prædicatores in enormiter peccantes animaduerterent, vt patet ex occisione Ananiæ, & Saphiræ Diui Petri verbo, *Act.* 5. & de eodem Petro narrat Aug. contra *Admantum cap.* 17. occidisse solo verbo. Grauissimam autem fuisse pœnam tradere quempiam Sathanæ vexandum corporaliter, quis dubitet? quam inflixit D. Paulus Corinthio incestuoso, ac Alexandro, & Hymenæo. At verò iam fide propagata, & ferè à toto orbe recepta, vsu huiuscemodi potestatis Ecclesia non indiget: quia atrox esset supplicium sine necessitate, tum quia Ecclesia, Apostolorum tempore erat potestate temporali destituta ad punienda enormia crimina: & ideò decuit in Apostolis, vt timerentur, esse prædictam potestatem: secus in Ecclesia nostris temporibus, quando etiam temporali gladio ferire, ac coercere criminosos potens est.

Actuum. 5 *August.*

8 *Ad secundum respondetur*, neminem interpretum sacræ Scripturæ (quem ego viderim) explicasse præfata loca de plenaria potestate super dæmonia, sed tantum ad cogendum ea, ne nobis noceant spiritualiter, aut corporaliter, quod & verba concessionis sonant, si benè expendantur. Ad confirmationem respondetur, dæmones eam licentiam petere, quando affliguntur, & iubentur exire, & non alijs nocere; non quia potestas sit apud adiuratores dæmones immittendi intra hominum corpora, vt eos vexent corporaliter, sed quia iubentur neminem alium introire, quam iussionem ægrè ferunt.

DISPVTATIO II.

Quænam sit hæc potestas, quamque diuturna?

I. Valde obscurum est quid sit: nã Arist. 2. ethic. cap. 5. dicit: *Tria sunt in anima: potentia, passio, & habitus.* Sed potestas hæc coercendi dæmones, aut abigendi ne noceant hominibus, non est potentia: quia sic conueniret omnibus, quibus potentiæ animæ sunt communes: neque etiam est passio: quia nulla ex his, quæ numerantur à D. Thom. in materia de passionibus: neque etiam est habitus: quia habitibus vtimur cum volumus, vt testatur Commentator 3. *de anima*: at non vtuntur etiam exorcistæ hac potestate coercendi dæmones, quoties libuerit, nam vt infra videbimus, sæpe intentant abigere dæmones, & eorum cassus, & irritus redditur conatus: ergo non est habitus. *Dicet quis*: est quædam potentia instrumentalis, concessa à Deo Apostolis, & alijs discipulis ad abigendos dæmones per Dei nominis aut Christi inuocationem, vt patet *Lucæ* 10. & *Matth.* 10. & alibi sæpe. Hæc autem potestas pertinet ad secundam speciem qualitatis in coordinatione supernaturali, sicut potestas absoluendi à peccatis concessa Sacerdotibus.

Arist. *D. Thom.* *Auerroes.* *Lucæ.* 10. *Matt.* 10.

Contrà secundò: nam sequitur; quibus hæc potestas concessa est, semper adesse facultatem vtendi ea, apposita debita materia. *Consequens* falsum est: quia sæpe tentant exorcistæ habentes hanc potestatem eijcere dæmonia, & non valent: & Apostoli frustra tentarunt eijcere dæmonem à quodam puero, *Matth.* 17. & *Luca* 9. & tamen acceperant hanc facultatem. Quod si dicas: pertinet ad gratiam miraculorum, quæ nihil horum est, sed quid actuale, vt dicit D. Tho. agens de gratijs gratis datis.

Matt. 17. Luca. 9. D. Tho.

Contrà arguitur tertiò. Quando homines initiantur ordine exorcistarum confertur illis potestas hæc, nam dicitur illis ab ordinante: *Habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue cathecumenum.* Ita habetur in Concilio Carthag. 4. *cap.* 7. & in antiquis Ecclesiæ ritualibus: sed in collatione huius ordinis, sicut neque in aliorum, non confertur ordinandis gratia aliqua gratis data: ergo, &c. *Confirm.* quia in exorcistæ ordine, si verum Sacramentum est (vt quidam putant) non confertur aliud, nisi character: at character non est gratia gratis data, sed potius qualitas quædam pertinens ad secũdam speciem qualitatis: ergo, &c.

Concil. Carthag. 4.

Quartò. Matt. 10. ac Luc. 10. & alibi sæpe dedit Christus Apostolis potestatem super spiritus immundos, id est cacodæmones, sed non est dicendum dedisse aliquam gratiã gratis datam: quia id quod ibi dedit pertinet ad donum copiosæ gratiæ, qualis decebat ministros legis gratiæ: sed gratiæ gratis datæ in omni statu, & in omni lege collatæ sunt à Deo ad vtilitatem suæ Ecclesiæ: ergo potestas hæc abigendi dæmones (quam diximus esse in Ecclesia Christi ex eiusdem Seruatoris munere) non est aliqua gratia gratis data.

Quintò. Id, quod commune est omnibus fidelibus, potius pertinet ad virtutes, quam ad gratias gratis datas: sed præfata potestas promittitur omnibus fidelibus, Marc vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c.* ergo. Cõfirmatur: quia ex hoc loco potius colligitur, hanc potestatẽ arcẽdi dæmones fidem esse; fides autem virtus Theologica est, nõ gratia gratis data.

Marc. vlt.

1 Pro resolutione *præmittendum* est, duplicẽ posse intelligi potestatẽ abigendi dæmones relictã à Christo Ecclesiæ suæ. *Vna est* per solã designationẽ ad id munus exercẽdũ, nulla collata perfectione reali, per quã homines fiãt potẽtes ad dæmones profligãdos, sed dũtaxat dicuntur habere potestatẽ: quia designati & electi sũt ad id officiũ: ad eũ modũ, quo quãdo Rex elegit aliquẽ in prætorẽ, nullã ei perfectionem realẽ cõfert, sed tantũ designat illũ ad munus prætoris exercendũ. *Altera potestas* est, qua homines (aliàs imbecilliores) fiunt potẽtes ad fuganda dæmonia virtute cõmunicata à Deo, & hanc necesse est esse in hominibus ad efficiendum opus tam impar suis viribus, estq; vera & realis perfectio. Hoc supposito.

Dica

3 Dico 1. Absque dubio prior potestas fuit in Ecclesia primitiua, & perseuerat in nostra. *Prior pars prob.* Matt. & Lucæ 10. vbi Dominus discipulis ait: *Ecce dedi vobis potestatē spirituū immūdorum, &c.* & tunc nil aliud fecit, nisi designare eos ad pellēdos dæmones. *Secunda pars prob.* in ordine exorcistarum initiatis, qui ex vi suę ordinationis talem potestatem accipiunt.

Dico 2. Potestas in secunda acceptione non est habitus, neque potētia habitualiter in volūtate aut intellectu existēs, neq; aliqua virtus moralis, aut intellectualis. *Prob. arg.* 1. & 2. factis in principio dubitationis.

4 *Dico 3* Præfata potestas reducitur ad gratiā miraculorū, aut verò ad gratiā sanitatum, q̄ inter gratias gratis datas cōnumeratur. *Prob.* nā circa testimonia citata sacræ Scripturæ interpretes dicūt, ea mirabilia, q̄ ibi recēsentur, ad gratiā miraculorū aut sanitatū ptinere. Et verba ipsa expresse indicant: ait Matth. *Dedit eis* (nimirū discipulis) *potestatē spirituū immundorū, vt eijcerent eos, & curarēt omnē languorē, & omnē infirmitatē* Et post pauca explicans Dominus ad quæ se extēderet præfata potestas, ait: *infirmos curate, leprosos mundate, dæmones eijcite, &c.* Quæ quis nō videat ad gratiam sanitatum, aut miraculorum pertinere? Idem videre ac expendere licet Marci vltimo.

D. Thom. *Secundò prob.* ex doctrina D. Th. in multis locis, vbi agēs de miraculorū gratia, ait, eā à Deo cōferri ad confirmationem doctrinæ suæ, iuxta illud

Marc. vlt. Marci vltimo: *Et sermonē confirmāte sequentibus signis*: sed p nil aliud fidei doctrina plus corroborata est, quā per dæmonū eiectionē, vt videre licet in Euāgelica historia: ergo potestas abigēdi dæmonia ad gratiā miraculorū pertinet, aut verò ad gratiā sanitatū. Qua ratione p eiectionē spirituū neq̄ obsessi ab ingēti infirmitate liberantur: & fortasse gratia sanitatū sub gratia miraculorū cōtinetur, vt adnotauit Ferrar. *lib 3 contra gentes, cap.154.* Ferrar.

Quod si cupis pressius scire, q̄d sit, & in quo consistat hæc gratia, seu potestas eiectiua dæmonum: scito esse virtutem quandam instrumentalem à Deo communicatā hominibus, per quam fiunt potentes ad opus exuperans vires naturæ, qualis est eiectio dæmonū: vt rectè adnotauit D. Tho. D. Tho. loquens *de gratia miraculorum qu. 6. de potentia ar. 4.* de qua virtute, ait, quantum ad suam permanentiam esse iudicandū sicut de formis imperfectis (quæ vocātur intentiones) quæ non permanēt nisi ad præsentiam agentis principalis, sicut lumē in aere, & motus in instrumento: & *2.2.q.78.a 1.ad primum,* ait, nō posse esse qualitatem habitualiter manētē in anima. Quid ergo est? motio quædā diuina qua actio adiurantis eleuatur, vt sit instrumentū Dei potens in actu primo ad fugādos dæmones, & hāc virtutē instrumentalē (quæ est pars integralis gratiæ miraculorum) appellabimus deinceps gratiā eiectiuā, & potestatē ad eijciendos dæmones, eo quod est principium instrumentale ad præfatum effectum efficiendum.

Sed

5 *Sed ne quis* decipiatur in eo quod dixi, hanc virtutem instrumentalem esse motionem Dei, *oportet aduertere*, dupliciter se habere Deum in communicanda hac virtute seu motione. *Vno modo* mouendo mentem hominis vt imperet dæmonibus fugam, quo mediante imperio fugantur. *Secundo modo* potest contingere vt Deus non moueat mentem hominis ad imperandum dæmonibus motione aliqua supernaturali, sed ipse homo concursu naturali, & generali se moueat ad imperandum eam fugam, quæ de facto sequatur Deo operante, & homine cooperante.

In priori modo tres interueniunt actiones, ex auxilio Dei speciali, & supernaturali. *Prima est* excitatio ad imperandum dæmonibus. *Secunda imperium* ipsum. *Tertia* eiectio dæmonum. In secundo modo tres etiam intercedunt motiones. *Prima* more naturalis. *Secunda* & *tertia* supernaturalis. *Priori modo* solet Deus mouere Sanctos, qui non solum eijciunt dæmonia, aut miracula faciunt per imperium: verum etiam peculiariter excitantur, & mouentur à Deo ad miracula patranda, quam motionem in se agnoscentes miracula operantur cum fiducia: & interdum viri non sancti hac motione gaudent, maximè quando operantur miracula ad confirmanda dogmata fidei: aliàs temerarij essent in pollicendis miraculis, ignorantes, an Deus ea miracula velit facere: & de isto modo operandi miracula posuit D. Tho. exemplũ qu. 178. citata, & declarauit adducto D. Tho. modo, quo solet Deus impartiri donum prophetiæ. *Secundo verò modo* communiter solent exorcistę dæmonia pellere: & in vtroq; modo gratia gratis data cõsistit in imperio, quod eleuatur à Deo vt efficaciam habeat ad dæmones fugandos. Eleuatio autem ista nihil est aliud quam Dei motio communicata illi imperio. Vis ergo illa, seu efficacia instrumentalis communicata imperio adiurantis dæmones, est ipsamet gratia gratis data. Motio autem illa, qua adiurator excitatur à Deo supernaturali auxilio, vt ad imperandum dæmonibus accingatur, neque est necessaria in omni eiectione dæmonum, nec concurrit instrumentaliter ad eam; ac proinde non est gratia gratis data, sed ea motio, qua mouetur mens adiurantis, vt sic (id est quatenus adiurat) vt fiat instrumentum diuinæ virtutis ad pellendum dæmonem. Et hæc benè nota, si vis intelligere in quo consistat potestas eiectiua dæmonum.

Ad primum argumentum in initio dubitationis positum *resp.* Aristotelem non esse intelligendum de omnibus, quæ sunt in anima, sed de his dumtaxat, quæ per modum qualitatis inhærentis sunt principia humanorum actuum, & iuxta mentem D. Thom. 2.2. *loco citato*, impossibile est principium operãdi miracula esse aliquam qualitatem habitualiter manentem in anima: at verò potestas arcendi dæmones, ne nobis noceãt, Resp. ad Arg. 6

nihil

nihil aliud est, nisi motio quædam, qua eleuatur imperium exorcistarũ, & mens eorum, vt sint potentes ad abigendos dæmones; vt paulo ante fusius explicaui. Quod si contendas, hanc potestatem esse passionem (nomine passionis accepto pro qualibet receptione motionis) non moror: modo asseras tantum inesse per modum transeuntis, non vt quid habituale.

Ad secundum patet ex supradictis.

Ad tertium. Siue dicas exorcistarũ ordinem esse sacramentum, & imprimere characterem siue non (quod non est præsentis considerationis) existimo non conferri eo ordine initiatis gratiam, seu potestatem expellendi dæmonia de facto. Vidimus enim multis initiatis eo ordine adiurationem dæmonum infœliciter succedere, & multis aliis nullo ordine initiatis fœliciter: & tamen si illa potestas exorcistis daretur, apposita debita materia, semper se explicaret in actum: sicut & in potestatibus collatis in aliis ordinibus, & Sacramentis contingit. Quando ergo illis dicitur in ordinatione sua: *Accipite potestatem, &c.* solum datur illis potestas solenniter adiurandi energumenos per recitationem exorcismorum ab Ecclesia institutorum, quod aliis, qui non sunt exorcistæ prohibitum est, vt inferius videbimus. Ex his patet quid dicendum sit ad confirmationem.

In quarto argumento tangitur dubitatiuncula, *an scilicet in omnis legis statu, siue naturæ, siue scriptæ, siue gratiæ, extiterit potestas hæc adiurandi, & abigendi dæmones?* Cui affirmatiue *respondeo & prob.* nam Ecclesia in omni legis statu gubernabatur ab Spiritu Sancto, sed ad bonam gubernationem spectabat, vt fidelibus daretur facultas abigendi, & expellendi dæmones, ne homines molestarent: ergo re vera in omni legis statu huiusmodi potestas collata est. Minor probatur: tum quia vexationi dæmonum grassanti maximè in statu legis scriptæ, nulla alia ratione mederi poterat, nisi hac obtenta à Deo facultate: tum etiam, quia potestas hæc abigendi dæmones, ad gratiam miraculorum reducitur, vt vidimus, quæ in omni statu Ecclesiæ apprime necessaria fuit, vt colligere licet *1. ad Corinth. 12* 1. Cor. 12.

Secundo prob. discurrendo per singulos legis status: nam in *lege gratiæ* adfuisse præfatam potestatem, iam probauimus certum secundum fidẽ in præcedenti disputatione. In *lege vero naturæ* propter rationem factã opinamur extitisse: in *lege scripta* etiam certo censemus non defuisse, ex testimonio D. Lucæ *c. 11.* Vbi Iudæi inducuntur obiicientes Christo Domino, quod dæmonem à quodam expulisset in Beelzebub Principe dæmoniorum. Et hanc calumniam à se repellere procurans Dominus, id egit exemplo filiorum Iudæorum, qui apud ipsos munere exorcistarũ fungebantur, & dæmonia eiiciebant, & ait: *Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia,* *filii*

Dubium. Lucæ 11.

filii vestri in quo eijciunt? supponens esse apud Iudæos qui potestatem habebant, & exercebant eiiciendi dæmonia ab obsessis.

8. Quod si quispiam dicat, per hos filios Iudæorum Apostolos vel discipulos Domini intelligi, ita D. Hieronymus, *Math* 12 *Hilarius Can.* 12. Chrysostomus *homil* 41. *in Matthæum.* Respond. Alii inter quos ipsemet Hieronymus *loco citato*, per filios Iudæorum intelligunt exorcistas eius gentis, qui ante Christi aduentum præcessere, & tunc repulsio calumniæ contra Pharisæos fortius procedit: tum, quia quando hæc calumnia Christo obiecta fuit, nondum Apostoli cum hac potestate ad prædicãdum missi fuerant: tum, quia similem obiectionem verosimile est Pharisæos obiecturos Christi Apostolis eijcientibus dæmonia, quam suo Magistro obiecerunt, vt insinuatur Matthæi 10. *Si paterfamilias* (inquit) *Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Sed hac expositione in sua probabilitate relicta, adhuc probatur fuisse in Synagoga potestatem coercendi dæmones. Ita Iosephus lib 8. antiquitatum cap. 2. vel 12. *Præstitit* (inquit Iosephus) *Deus Salomoni, vt contra dæmones artem ad vtilitatem hominum & eorum curas edisceret, & incantatione instituit, quibus adstricti dæmones, ne denuo redeant effugantur, & hæc cura hactenus apud nos multum preualere dignoscitur.* Item Epiphanius contra *Ebioneos cap.* 3. inquit, non tantum Iudæos, mediis his artibus à Salomone acceptis, dæmones expulisse, verum etiam adhibito nomine Dei tetragrammaton, cui enim illud scire aut fari licuisset ea potestate ad dæmonia profliganda potiebatur.

D. Hier. Chrysost. Hilarius. Mat. 10. Iosephus.

His præmissis *respondetur ad argumentum* eam gratiam eiiciendi dæmones Apostolis concessam eiusdem speciei esse cum ea, quam in omni legis statu extitisse diximus. Cæterum longè superasse vtramque legis, scilicet naturæ, & scriptæ; primo in efficacia maiori, vt patuit ex tanta multitudine obsessorum à dæmonibus liberatorum per Christum, & eius Apostolos, vt narrat Euangelica historia. Quam maiorem efficaciam commendant D Pauli cingula, Petri vmbræ, quæ dæmonia excludebant. *Secundo.* Potestas præfata in lege gratiæ cæteras superat diuturnitate; nã aliæ etiã legis scriptæ potestates, cassãte lege cessarunt. Hæc verò quæ est in lege gratiæ, vsque ad seculi finem sicut Ecclesia Christi permanebit. *Tertio.* Hęc potestas maximè Apostolorum tempore in eos, ac omnes discipulos, imò fere in omnes fideles effusa est: quia cum ordinaretur ad confirmationem fidei, & illo in tempore primitiuæ Ecclesiæ fides, quasi arbustum tenellum crescebat, opportuit omnes eiusdem fidei concionatores (erant autem ferè omnes fideles) gratia miraculorum donari, maxime in expulsione dæmonum, per quam fides augebatur, & nimis confirmabatur. Itaque Christus & concessit suis Apostolis, 9.

ac fidelibus eam potestatem, quam Deus concesserat in omni legis statu, & multis prærogatiuis perfectiorem, vt iam diximus. Ex his patet ad quartum.

10 *In quinto argumento*, & eius confirmatione desideratur explicatio testimonii citati *Marci vltimo*, cuius exactam explicationem trademus inferius, disputantes de fidei necessitate ad dæmonum eiectionem: & propterea ab ea supersedentes, modo respondemus ad argumentum. Potestas miracula faciendi in principio nascentis Ecclesiæ fere omnibus fidelibus dabatur: quia ferè omnes intendebant propagationi doctrinæ Christi, quæ magnopere per signorum patrationem crescebat, & confirmabatur: at nunc propagata fide per totum orbem, & confirmata, non est necessarium hanc potestatem omnibus fidelibus conferri, sat est aliquibus, & raro dari.

DISPVTATIO III.

An potestas expellendi dæmones, ne hominibus molestias inferant, possit esse naturalis.

1. ET videtur esse naturalem, id est à natura vtente prædicta potestate exortam: quia legimus multos, & impiissimos Magos hanc obtinuisse facultatem, & de facto dæmonia eiecisse ab hominum corporibus: inter quos non infimum locum occupauit Apollonius Tyanæus, qui inter alia miranda opera, quæ faciebat, dæmones expellebat ab hominum corporibus: & hac arte tot sibi consciuit discipulos, vt Eusebius octo libros aduersus Philostratum Apollonii preconem coactus fuerit scribere. Hac etiam potestate vsus fuisse quosdam Magos legimus apud Africanum, qui post ductos aliquos circulos, & characteres in fronte dæmoniaci, interrogatumque dæmonem ab hominibus eiiciebant. Et Iustinus in *oratione ad Gentiles*, alios simili arte vtentes retulit. De similibus videtur loquutus fuisse Vlpianus *lib. 1 ff. de vari. & extraord. cognit.* cum negat his, qui incantarunt, qui imprecati sunt, & qui exorcizarunt de eorum mercede ius esse dicendum: loquitur Vlpianus de Magis, qui non erant Christiani (etenim Christiani gratis absque aliqua cōditione stipendii huiusmodi officiū consueuerunt exercere) sed Gentiles impostores, & circulatores, qui vrbes circuibant, & superstitionibus vtebantur, & eo exercitio instar medicorum curantium corpora, quæstum faciebant, & pecunias colligebant, vt ait Baronius, *lib. 1. Annalium circa annum Domini* 56. Demum hac eadem potestate vsi sunt illi, quorum meminit D. Gregorius *lib. prim. Dialog ca* 10. qui fœminam nobilem

Apollonius Tyanæus. *Eusebius.* *Africanus* *Iustinus Martyr.* *Vlpianus.* *Baronius* *D. Gregor*

Magicis suis incantationibus à dæmone liberarunt; sed interim integræ legioni dæmonum ostium ad eãdem ingrediendum aperuerunt: *Miro enim Dei omnipotentis iudicio* (inquit Gregorius) *dum arte peruersa vnus ab ea repellitur, in eam legio subito intrauit, capitque ex hoc illa tot motibus agitari tot vocibus, clamoribus perstrepere, quot spiritibus tenebatur*; sed hæc potestas, qua Magi vtuntur, nequit esse supernaturalis: quia Magicis incantationibus donũ supernaturale non accersitur: ergo à natura potest hæc potestas proficisci, & haberi.

2. *Fulginas. Forliuius. Garbus.* Quidam medici, inter quos Fulginas, Forliuius, Garbus, & alii potestatem faciendi miracula, & consequenter abigendi dæmones, attribuunt cuidam corporis temperamento: fingunt enim temperaturam quandam æqualitatis ex humorum & qualitatum actiuarum ad pondus æqua mixtione resultare, qua qui sit præditus (asserũt isti) posse miracula quæuis facere, nedum dæmones abigere; & adiiciunt blasphemiam, huius temperamenti vi Christum Dominum tot miraculis coruscasse.

3. *Assert. 1.* Pro decisione sit 1. *Assertio.* Potestas arcẽdi, aut quoquo modo pro pulsãdi dæmonia, ne hominibus noceant, non est, neque potest esse naturalis hominibus, sed absolute dicenda est supernaturalis. Prima pars huius assertionis probatur: nã homo mortalis est, & corporeus: ergo nullum imperium potestatemve habet cogendi dæmones, qui incorporei sunt, & immortales, vt appareant, fugiant, aut aliquid faciant, aut facere desinant: nulla namque corporea res vim, & potestatem habet superiorem, aut æqualem, supra res spirituales: vt docet D. Tho *in 4. dist. 7. art. vltimo, & in cap. 41. Iob. lectione 3.* *D. Tho.* Neque euaditur argumentum, si dicas hominem esse spiritualem, & immortalem secundum animam: nam etiam ipsæ animæ hominum separatæ sunt impares natura, & viribus dæmonibus, vt docent Theologi, ac Philosophi: ergo non habent potestatem dæmones coercendi, aut ipsis imperandi naturaliter. Hæc eadem assertio apertè declaratur à sanctissimo Iob. *capit.* 41. *Iob. 41.* Vbi postquam eleganti carmine, ac metaphora cuiusdam sæui ac fortissimi animalis naturam dæmonis expressisset, in fine capitis concludit non esse potestatem quæ ei in terra cõparetur: etenim omnes terricolas robore ac potẽtia superat.

Secunda pars assert. probatur: quia hæc potestas eiectiua dæmonum connumeratur gratiæ miraculorum, vt in præcedenti disputatione docuimus, & affirmat D. Tho. *de potentia q 6. art. 9. argum.* 15. *D. Tho.* Item est Dei donum, vt dicitur 1 *ad Corinth.* 12. *1. Cor. 12.* ergo supernaturalis est. Confirmatur: quia excedit facultatem, & vires naturæ hominum, quæ non se extendunt ad imperandum dæmonibus, qui superioris naturæ sunt: ergo supernaturaliter ipsis confertur, non propter sua naturalia. Ex his manent confutati Fulginas, & alii medici deliri supra relati.

Assert. 2. II. Nullam agnosco in Magis potestatem naturalem, aut supernaturalem eijciendi dæmones, aut aliquo modo exterminandi, ne hominibus noceant. Et quidem si sit sermo de potestate naturali, res comperta est. Etenim nullius hominis potentia, aut vires naturales æquare, ne dum superare possunt infimi dœmonis facultatem aut vires, vt nuper dicebamus: ergo propria naturali virtute nulli Magi poterunt dæmones compellere, vt ab hominibus exeant, aut ne eis molesti sint. Non autem eis inesse aliquam supernaturalem potestatem ad hæc circa dæmones efficiendum, probatur: quia illa potestas vel esset habitus, aut potentia collata à Deo, aut motio diuina ad id faciendum. Duo priora non illis cõmunicat Deus (& fortasse communicare non potest etiam suis seruis & Sanctis, vt supra ex D. Tho. doctrina tradidimus) ergo neque Magis communicauit.

Quod vero Magi moueri possint à Deo ad miracula patranda, & dæmones eiiciendos non dubito, sicut & aliquando infideles mouit ad id perficiendum propter fidem confirmandam. Quod vero Deus moueat Magos vt suis incantationibus (quæ sunt dæmonum inuocationes expresse aut tacitæ) incredibile est, neq; esse potest.

Dices. Hæc potestas confertur Magis à dæmonibus: esto ita sit potestas diabolica erit, non supernaturalis à Deo, quinimo crediderim dæmones non posse eam potestatem conferre, neque Magis, neque suis Magicis incãtationibus, vt vltra suas vires naturales aliquid operentur. Vrget quispiam. De facto Magi profligant dæmonia ab hominibus: ergo habent potestatem aliquam id efficiendi.

5. III. Sit pro solutione. Quãdo Magi exterminant dæmones ab hominibus, aut eos quomodo impediunt ne ipsis noceant. Magi nullam efficientiam habent circa tale exterminium, sed dęmones ipsi sunt, qui immediate id operantur. *Hæc assertio* sequitur ex præcedentibus, nam si Magis nulla inest potestas naturalis, aut supernaturalis abigendi dæmonia, ne hominibus noceant, & de facto eiiciunt, vt probatum est in argumento posito in quæstionis fronte: ergo ipsi dæmones sunt, qui per se ipsos sine vllo medio talem eiectionem, aut exterminium operantur.

Pro cuius declaratione *aduertendũ est.* Dupliciter imaginari possumus dæmones alios dæmones eiicere ab hominibus vel à locis aliis abigere. *Vno modo* per violẽtiam, quia scilicet dæmon abigens alium pertinet ad altiorem ordinem, & perfectioris naturæ est, ac proinde maius robur & vires habet, quibus mediantibus potest cogere alium dæmonem inferioris ordinis, vt cedat loco, & recedat ab obsesso, velit nolit: imò & torquere poterit ad eum modum, quo homines robustiorum virium possunt alios loco pellere, & in eos præ-

ualere. Sic affirmant Origenes *hom.* *Origen.* *Athanas.*
*mil.*25 *in Numeros,* & D. Athanasius
li. de corporali Aduentu Christi. *Secundo modo potest* vnus dæmon alterum eiicere à loco, aut ab hominibus per collusionem, siue dæmon eiiciendus sit ordinis inferioris, siue non: videlicet, quia sibi inuicem obsequuntur propter aliquos malos fines, & quodammodo pasciscuntur, vt vnus exeat ad alterius voluntatẽ.

Secundo aduertendum, totidem mo-
6 dis Magos posse mediantibus incantationibus dæmones ab hominibus molestandis abigere, quod ipsi dæmones. *Vno modo*, quia Magus fœdus pepegit cum dæmone superioris ordinis, & magnarum virium, cui se Magus deuouit; ac proinde ab eo inuocatus poterit per violentiam dæmonem expellere magis imbecillum. Isto modo calumniabantur Scribæ, & Pharisæi Christum Dominum eiicere dæmonia, dicentes Marc.3. Matth. 12.
Marc.3. & Lucæ 11. *In Beelzebub principe dæmo-*
Matth.12 *niorum eiicit dæmonia.* Videntes e-
Luc.11. nim CHRISTVM Dominum cum magna potestate, ac imperio iubere dæmones exire ab obsessis, reducebant efficaciam expulsionis, non ad quemcunque dæmonem, sed ad principem dæmoniorum: vt significarent eum Magum famosum, & habentem sibi deuotum non debilem dæmonem, sed principem dæmoniorum, qui posset præualere aduersus cæteros, & eis potestatiue imperare vt exirent. *Secundo modo.* Licet Magus pepigerit cum dæmone non vsque à Deo forti: tamen Magus imploratо auxilio sui dæmonis, eiicere poterat non per violentiam, sed quia dæmones, tam ille, cui se Magus deuouerat, quàm expellendus, per collusionẽ sibi inuicem obsequũtur. Poterimus etiam superaddere tertiũ modum, non quia dæmon dæmonẽ pellat: sed quia ad Magi incantationes dæmon obsidens spõte exit, vt mortẽ gerat Mago, aut incãtatori.

Denique notandum est, duntaxat secundum apparentiam has dæmonum expulsiones Magis attribui. 7.
Etenim neque illis, neque suis incantationibus aliqua vis, seu efficacia inesse potest; sed soli dæmones per se ipsos abigere alios possunt. Incantationes verò, inuocationes sunt dæmonum tacitæ, aut expressæ, ad quarum præsentiam dæmones ex pacto cum Magis inito, hæc & multo mirabiliora, quæ excedunt vires hominum perficere possunt. Ex his patet quid sit dicendũ ad argumentum initio dubitationis positum.

Sed contra doctrinam præfatam, quatenus concessimus, aliquando Magos, aut dæmones alios dæmo- 8.
nes a corporibus exegisse, offert se *difficile argumentum* ex dictis Christi Domini *Mat.12. & Luc.11.* Vbi aduersus calumnias Iudæorũ, qui eum in Beelzebub principe dæmoniorũ eii- *Matth.12.*
cere dęmonia dicebãt, argumẽtatur; *Luc.11.*
& sic refellit eos. *Omne regnũ diuisum cõtra se desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa cõtra se nõ stabit & si Sathanas Sa-*

thanam

thanam eijcit, aduersus se diuisus est, quomodo ergo stabit Regnum eius. Quibus verbis syllogismus perfectus & conuincens statuitur, in hunc procedens modum. Regnum diuisum discordia, & mutua contentione non stabit diu: sed Sathanas diuisus est aduersus se ipsum: id est, Regnum Sathanæ, & dæmoniorum in se diuisum est. Igitur Regnum eius stare, & perdurare non potest. Maior propositio, vt experientia, & euentibus nota relinquitur, ita vt in Prouerbium abierit: *Concordia res paruæ crescunt: discordia maximæ dilabuntur.* Minorem vero propositionem probat ex ipsorum Pharisæorum dictis: quia inquit: vos dicitis me in Beelzebub eijcere dæmonia; consequitur Regnum eius in se esse diuisum, & sic non potest diu permanere. Huic syllogismo supplenda est alia argumentatio, quam Dialectici appellant ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis, sic: at cum notum sit Regnum Sathanæ diu permansisse, & permanere: necessario sequitur non esse diuisum: & consequenter me non eijcere dæmonia in Beelzebub. Sathanam appellat omne dæmonium, quod nobis aduersatur (id enim nomen Hebræum significat, vt

Hierony. asserit Hieron *in epist.* ad *Mar-*
Origen. *cellam de ægrotatione Blesilæ, &* *in capit 16. Matthæi*; & ante ipsum Origen. *tract. 1. in Matth.*) Regnum verò Sathanæ nihil aliud est, quam potestas, quam acceperunt dæmonia nocendi hominibus. Ob quod vocatus est dæmon princeps huius mundi, *Ioann. 14.* *Ioan.14*

Hæc dicta sunt pro ostendenda efficacia illius argumentationis, quam exigit Christus Dominus ad probandum Iudæis se non eijcere dæmonia in virtute principis dæmoniorum. Cuius argumentationis vis eneruatur, si asseramus vnum dæmonem alium pellere: imo & sæpe pepulisse ad magicas incantationes Magorum: eo quod vis eius fundatur in eo, quod vnus dæmon non pellit alium.

Abulensis super caput 12. *Matth.* *Abulen.* *q. 56. longa quæst.* disputat: an vnus dæmon alium possit ab obsessis hominibus propulsare, & tandem *q 61,* concludit, posse quidem: sed non efficere, ne dissipetur Regnum eius. Hæc solutio aduersatur his, quæ docuimus: qua relicta, alij dicunt posse quidem vnum dæmonem fortiorem alium imbecilliorem vi profligare: sed non facit. Cæterum per collusionem vnus alterum videtur eijcere, non inuitum, sed volentem: itaque quando vnus ad alterius imperium cedit: non tam expellitur, quam sponte egreditur. Cur enim inuitum expellet? an forte, quia vult liberare miserum obsessum? nequaquam. Odiunt enim diaboli homines oẽs, & singulos supra modũ. An quia dęmon superior odit inferiorẽ, & ideo eũ persequitur, &

vult

vult deturbare à domicilio, in quo habitat: odiunt se ad inuicem dæmones: sed plus homines. An quia ipse solus vult torquere obsessum? minime, nam in hoc omnes dæmones cõspirarunt: vt amicabiliter mortales multis malis afficiant: & sine vllo impedimento multi eundem hominem torqueant, vt inferius dicemus, & non obscure insinuauit Dominus Luc. 11. dicens: *Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, & inaquosa, quærens requiem, & non inueniens ait: reuertar ad domum meam, vnde exiui: & inueniens eam scopis mundatam, & ornatam, vadit, & assumit secum septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Luca 11.

10. Dices, esto voluntarium eiiciat, quomodo stabit Regnum diaboli? Resp. Quia non oritur illa egressio dæmonis ex discordia: quin potius ex magna concordia, & consensu, quo conuenere dæmones, vt vnanimes subiiciant, & perdant homines. Non displicet solutio. *Tertio resp.* Sicut non perit Regnum ex discordia, & simultate duorum, aut trium ciuium, nisi ferè omnes, aut præcipuè Regni proceres discordijs agitentur, sic neque dæmoniorum Regnum dissiparetur, ex hoc quod quandoque vnus, aut alter dæmonem imbecilliorem etiam inuitum eijceret. Dissiparetur autem valde, si dæmones discordijs marcescerent, & frequenter, & pluries alios inuitos à corporibus mortalium pellerent. Priorem eiectionem non negat Dominus posse fieri: & de facto fieri virtute, & efficacia dæmonum: posteriorem non negat posse fieri: negat autẽ fieri, quia sic Sathanæ Regnum euerteretur: dum dæmones fortiores irruerent in imbecilliores: & eos ab hominibus propulsarent.

Cum ergo Christus Dominus non semel, aut iterum dæmones ab obsessis eiecerit: non vnum, aut duos dæmones, sed legiones dæmoniorum, & omnes arreptitios illius regionis liberauerit, Matth. 4. & 8. Marci 1. & Luc. 6. (Vnde Chrysostomus super illud Matth. 8. *Eiiciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curabit*, ait: *Intende quantam multitudinem curatam transcurrunt Euangelista: non vnum, quodque curatum enarrantes: sed vno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes*) tantam dæmoniorum pulsionem, castraginè fieri à dæmonibus alterutrum pugnantibus, non est verosimile: quia eorum Regnum citò finiretur, & dissiparetur: ergo neque verosimile erat à Christo fieri in virtute Beelzebub, neque aliorum dæmoniorum. Matth. 4 & 8. Marc. 1. Luca 6. Chrysost. 11.

Hæc expositio mihi magis arridet, sicut & placuit D. Athanas. *in lib. de corporali aduentu Christi.* Iuxta quam efficaciter procedit argumentatio Christi Domini contra calumnias Iudæorum, dicentium in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia. Nam Responsio quorundam valde displicet asserentium, eam argumentationem Christi Domini nõ esse necessarium vrgere, & ob id alias argu-

argumentationes subiungit: quasi insinuans priorem illam non esse efficacem. Displicent valdè isti: quia certè si illa ratio non esset efficax: Christus sapientia Patris non eam adduceret: ne se obiiceret calumniandum Scribis, & Pharisæis, qui vel in minimis obseruabant eum; vt morderent.

DISPVTATIO IV.

De causa finali: id est de finibus, propter quos Christus reliquit Ecclesiæ suæ potestatem fugandi dæmones.

1. Fines huius potestatis conferendæ multi sunt. *Primus* & Principalior: vt confirmaretur doctrina Christi: cum enim in ea continerentur quàm plurima, quæ captum rationis humanæ superant: ac proinde rationibus, & argumentis depromptis ex naturæ lumine solo non poterant persuaderi: necessarium fuit adhibere media omninò supernaturalia, quæ natura ipsa præstare non poterat: prodigia nempè, & signa, vt essent quasi testes veritatis mysteriorum pertinentium ad fidem Christi quibus confirmaretur doctrina tam ardua, qualis erat ea, quæ à Christo, & Apostolis eius prædicabatur: verbi gratia, Christi diuinitas. Verbi incarnatio, resurrectio mortuorum, remissio peccatorum, danda per Christum & alia eiusmodi: maximè, quia præfata doctrina prædicanda erat, non per sapientes, aut potentes sæculi, sed per pauperes piscatores, & idiotas: qui populis prædicabant non amare diuitias non voluptates; sed aduersa carni, ac molesta; nempè paupertatem, diuitiarum neglectum, carnis macerationem. &c.

Igitur vt confirmaretur veritas doctrinæ Christi; potestas fugandi dæmones fidelibus concessa est. Ista namque frequentius vsus est Christus, & Apostoli eius, vt patet ex sacris literis: & hæc ratio non est obscurè insinuata *Marci vltim.* vbi mittens discipulos suos ad prædicandũ Euangelium, denuò confirmans potestatem iam datam, prodigia faciendi, ac dæmones ejiciendi, subindicans finem præfatæ potestatis, ait Marcus: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*: & Paulus ad Hebræ. 2. de doctrina Christi ait: *Quæ cum initium accepisset narrandi per Dominum ab eis, qui audierunt* (id est Apostolis) *in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis*, inter quæ annumeratur dæmonum fugatio. Ecce finis huius potestatis pellendi dæmones fidei confirmatio est. Huic fini assimilatur, quando Christus hanc potestatem contulit alicuius ordinis, aut instituti regularibus professoribus ad approbandum modum regularem sibi placere: tunc enim præfata potestate, & multa alia miracula patrandi imbuit Dominus professores eorum ordinum. Et sic in annalibus Dominicanorum legitur in principio fundationis sui instituti ferè omnes illius ordinis sodales potesta-

Marc. vlt

Paul. Hæbræ. 2.

testate miracula faciendi claruisse, maximè circa dæmonum eiectionem.

2. *Alter finis* eiusdem potestatis fuit ad significandam excellentē sanctitatem, morumque integritatem, qua ornantur aliquādo qui hac potestate vtuntur. Neq; enim paruum sanctitatis testimoniū est, quod ex dęmoniorum eiectione sumitur: præcipuè si in eijcientibus nihil reprehensibile appareat: imò quamplurima opera egregiæ virtutis elucescant. De hac re sunt quamplurima exempla. Vnum aut alterum proferemus. Beatus Hieron. in vita sancti Hilarionis, sic ait: *Latebat in Cypro insula Hilarion: cæterum vix ad plenum viginti transiere dies cum per omnem insulam quicumque immundos habebant spiritus, clamare cæperunt, venisse Hilarionem seruum Dei; & ad eum debere se properare.* Inter triginta igitur nec multo amplius dies, ducenti ferme tam viri, quam mulieres ad eum congregati sunt, qui omnes ab eodem curati: nimirum vt sanctitatem Hilarionis Dominus commendaret, & innotescere faceret. Aliquid simile contigit in Triphone (cuius res gestas scripsit Metaphrastes *septima Februarii*) qui Sanctus Dei ordinatione à lōginquis partibus vocatus est: vt dæmonem à Gordiani Imperatoris filia propulsaret: nimirum vt sanctitas pauperculi Triphonis in aula Imperatoria magno in pretio haberetur.

Hieron.

Metaphr.

3. *Tertius finis*, propter gloriam Dei, & Christi manifestandam: quæ non mediocriter manifestatur, dum vidēt homines malignos spiritus Christi nomine audito tremere, fugere, & exire vllulantes Quinimò, aliquando Deus, propter suorum amicorum gloriam, & honorem, potestatem eijciendi dæmonia eis concessit. Honore prosequitur Deus etiam in hac vita Sanctos viros, quantus vero honor in Sanctos redundet, dum nunc ad ipsorum vinctium imperium dæmonia profligantur; nunc postquam ex hac vita decesserunt suorum ossium attactu fugiunt, vel solo nomine eorum audito exhorrescunt, ac trepidant, quis ignorat?

Quartus finis eiusdem potestatis est, liberatio obsessorum. Voluit enim Deus (qui non solum medicus est animarum, verum etiam & corporum) relinquere in Ecclesia sua remedium ad homines liberandos ab ingenti calamitate, & miseria obsidētium, & molestantium dæmonum, cui malo mederi non poterat, nisi hac potestate concessa. 4.

Sunt & alij plures fines: nimirum splendor, ac ornatus Ecclesiæ, hominis exaltatio, dum hac potestate potentissimum hostem profligat. Insuper cōfusio malignorum spirituum: confundentur vtique videntes se præstantioris naturæ ac viriū; subijci, profligari, & inuitos suis domicilijs pelli. Alios verò fines excogitare non est difficile: sed nos præfatis contenti simus.

An-

Annotatio ad sequentia.

EXplicata qualitate,& fine præfatæ potestatis: superest inquirendum de causa materiali; id est de hominibus, in quibus est prædicta potestas. Ac deinde de conditionibus, & requisitis in subiecto eiusdem potestatis; vt in actum exeat, & vsui mandetur Sit igitur

---

DISPVTATIO V.

An sit aliquod certum hominum genus penes quos sit, aut extiterit potestas fugandi dæmones, ne hominibus noceant, an verò vaga sit, nulli hominum generi, conditioni, aut sexui alligata?

1. ET videtur, omnes Christi fideles eam possidere ex loco sæpè citato, ac citando Marci vltimo, vbi Christus Dominus ait: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcent, &c.* Ecce omnibus fidelibus promittitur dicta potestas. *Dicet quis:* omnibus illius primæuæ Ecclesiæ data est; at modo quibusdam tantum concessa est. *Contra:* nam ea, quæ Christus Dominus promisit sui temporis fidelibus, ad alios extendenda sunt: nempè, quæ Apostolis ad Episcopos, & presbyteros, quæ laicis, ad laicos: maximè quando promissio ordinabatur ad bonum Ecclesiæ regimen, vt dicitur in materia de clauibus. Sed illo in Marc.vlt.

tempore Christus promisit fidelibus, etiam laicis, potestatem eiiciendi dæmonia: ergo etiam ad laicos fideles nostri seculi promissio extendenda est.

Secundo, Apostolis,& Discipulis, dixit Dominus, Lucæ. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones:* id est, super dæmones: ergo isthæc potestas modò permanet in Episcopis, Sacerdotibus,& eorum ministris, qui successerunt Apostolis, & Discipulis Christi. Luc.10.

2. *Tertio.* Ecclesia à tempore Apostolorum, vsque modo, habet initiatos ordine exorcistarum, qui inter Ecclesiasticos computantur; quibus ex officio incumbit abigere dæmones: vt colligitur ex verbis suæ ordinationis superius citatis, in disputatione secunda: qui & dicuntur successisse Christi Discipulis: ergo modo ad exorcistas tãtum hæc potestas redacta est. *Antecedens patet*, à tempore D. Ignatii Apostolorum Discipuli. Videndus est Cornelius Summus Pontifex ad Fauium, & Antiochenum Concilium, ac Romanum sub Syluestro, Laodicenum, & Carthaginense quartum: Diuus Hieron. in *epist. ad Titum, cap. 3.* Confirmatur, quia in Concilio Laodiceno statutum est: ne qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesijs quam in domibus exorcizare præsumant: ergo potestas hæc modo apud solos exorcistas residet, alias non prohiberet Ecclesia cæteros, ne exorcizarẽt: quia esset iniusta, D. Hieron.

 & per.

& pernitiosa prohibitio in re tam necessaria pro fidelium vtilitate.

Quarto: nam Christus Apostolis, & Discipulis contulit eam potestatem ad confirmationem suæ doctrinæ: at modo nostris temporibus, maximè vbi Christi fides viget, non est necessaria hæc confirmatio, quia altas radices misit: ergo iam non manet, neque necessaria est potestas hęc in Ecclesia.

3. Pro decisione recensere decreui multa, quæ reperiuntur, aut reperiri possunt, quando virtute diuina fugantur dæmonia: ne in hac quæstione, & similibus in æquiuoco laboremus. *Primum* est potestas adiurandi dæmones, iubendo fugam capessere ob reuerentiam alicuius rei sacræ. *Secundum* potestas abigendi eos collata à Deo per designationem alicuius, vel aliquorum, quos elegit Deus ad id munus obeundum. Cui designationi annexa est Dei assistentia extrinseca, qua paratus est gratiam eiectiuam dæmoniorum, ijs, quos elegit, communicare; sicut & quando oportuerit. Ad istum modum elegit quosdam in Prophetas, non conferendo eis aliquod donum habituale, sed suam asistentiam paratam habens: vt quando oportunum esset, reuelationem dicendorum impartiretur. Hieremiam designauit in Prophetam ab vtero, iuxta illud primi capit. *Prophetam in gentibus dedi te*, id est, elegi, & designaui: & alibi: *Posuit os meum Dominus, vt gladium acutum, sub tegumento manus suæ protexit me, posuit me sicut sagittam, &c.* Quæ verba clarè denotant Dei assistentiam paratam, vt acciperet prophetiæ donum, & vsui mandaret, quando res postularet. *Tertium*, quod inuenitur in fugandis dæmonibus, est ipsa gratia eiectiua dæmoniorum, quæ est pars gratiæ miraculorum, & principium proximum effectiuum eijciendi, & fugandi ea. *Quartum* est vsus istius gratiæ per actualem eiectionem mediantibus aliquibus signis sensibilibus.

Hiere. 1.

Secundo præmittendum est, adiurationem dæmoniorum dupliciter posse fieri. Vno modo solemni ritu, ac cæremoniis ab Ecclesia institutis. Secundo modo per nudam, ac simplicem alicuius rei sacræ obtestationem. His positis


Dico primo. Potestas adiurandi dæmones, præcipiendo eos exire, nuda, ac simplici adiuratione, nulli hominum generi, nulli statui, aut sexui alligata est, sed per omnes vagatur. At vero potestas adiurandi dæmones solemniter, solis exorcistis, idest ordine exorcistarum initiatis, concessa est. Prima pars huius asserti est Diui Thomæ *in quarto dist.* 24. quæst. 2. *art.* 2. *ad vlt.* Et secundo *prob.* ex vsu fidelium, qui oblata occasione indifferenter adiurant dæmones, vt inferius videbimus. *Tertio*: Quia ad pugnandum contra dæmones exitiales hostes adiuratione armantur fideles, tanquam remedio sibi relicto à Deo: ergo quiuis eorum in sui defensionem poterit licitè vti adiuratione. 4. *Assert. 1.*

Secunda Pars eiusdem asserti *prob. primo.*

primo. Nā in vsu omniū Sacramētorū & Sacramentalium, quorum actus quantū ad substantiam possunt elici à nō ordinatis, si solēni ritu, & pōpa fiat, à solis ordine initiatis potest licitè fieri: verbigratia, baptizare solemniter solis Sacerdotibus conuenit: at baptizare non solemniter ad omnes fideles spectat: legere epistolam solemniter solis subdiaconis licet: at quomodocunque legere, omnibus nobis. Similiter adiurare solemniter dæmones ad solos initiatos ordine exorcistarum spectat, at verò adiurare non solemniter ad omnes. *Secundo prob.* ex Concilio Lao-
Conc. Laod. diceno citato in confirmatione tertii argumenti.

5. Assert. 2. *Dico secundo.* Initio nascentis Ecclesiæ, & circa Apostolorum tempora, ferè omnes fideles designabantur, & eligebantur ad abigendos dæmones
Luc. 10. Matt 10. Marc. vl. per adiurationem. *Prob. Lucæ, & Matt.* 10. & potissimè *Marci vlt.* Secundo. Nam ferè omnes fideles intendebant propagationi, & prædicationi Christianæ fidei, quæ signis, & portentis confirmanda erat, inter quæ non est minimum profligare vires dæmonum: ergo ad Dei prouidentiam pertinuit, quæ insinuatur *Marci vltimo*, fere omnes fideles eligi ad dæmones fugandos. Insuper & decuit tales assignatos, & electos habere Dei assistentiam paratam ad fugandum de facto præfatos hostes, sicut & quando oporteret, prout iudicauerit diuina prouidentia, eo quod Deus in more habet conferre eis, quos elegit ad aliquod munus obeundum, omnia necessaria ad id peragendum.

6. Assert. 5. *Tertio dico.* Nostris hisce temporibus paucos elegit Deus, ac designauit ad dæmones propulsandos per adiurationem (excipimus ordine exorcistarum initiatos, de quibus statim.) *prob.* assertum; etenim aliquos, qui non sunt exorcistæ ex officio, elegisse ad id efficiendum ex euentibus palam fit: cum sæpè experti fuerimus aliquos nullo ordine insignitos, multum pollere terribilesque fuisse ad pro pulsandos dæmones; quod sine diuina electione fieri non posse certum est. Similiter paucos esse, aut fuisse, qui hac gratia gauderent certo certius est. *Et notandum* de istis à Deo designatis debere affirmari habere potestatem abigendi dæmones; non quia à tempore suæ designationis habuerint aliquid reale actuale, siue habituale; sed per solam denominationem extrinsecam dicuntur habere hanc potestatem, nempe per designationem, & electionem, & extrinsecam assistentiam; ad eum modum, quo prætores designati à Rege dicuntur habere potestatem iudicandi subditos per solam designationem Regiam, & paratam Regis assistentiam. Vnde quando Christus dixit Apostolis; *Ecce dedi vobis potestatem eijciendi dæmonia,* nihil habituale, aut actuale eis contulit; sed solum elegit eos, & promisit suam assistentiam ad id munus obeundū. Collaturus tamen, quando actu eij-



cerent dæmonia donum actuale miracula faciendi, quod appellamus gratiam eiectiuam dæmoniorum.

7. *Assert. 4.* *Dico quarto.* Omnes initiati ordine exorcistarum, habent potestatem fugandi dæmones per designationem, & electionem: id est omnes sunt designati, vt munus hoc abigendi dæmones exerceant. Probatur: quia ordo exorcistarũ ad hoc institutus est.

Assert. 5. *Dico quinto.* Omnes initiati ordine præfato, ex vi suæ ordinationis habẽt assistentiam diuinam præparatam, ac disponentem, ac præparantem eos, vt gratiam fugandi dæmones, quæ est donum actuale, recipiant quando, & sicut oportuerit, iuxta diuinæ prouidentiæ regulas. *Hoc assertum prob.* Nam si ordo exorcistarum à Christo Domino institutus est ad illum finem: ergo his, quos elegit, mediante eius ordinis initiatione, præsto adest largiturus ea, quæ necessaria sunt ad id officium exorcistæ exequendum. Assistentiam autem Dei esse necessariam, quis ambigit? *Confirmatur.* Character (quem dicunt aliqui imprimi exorcistis) videtur esse principium non solum adiurandi dæmones, verum & abigendi, quando id expedit: ergo habet paratum auxilium, saltem extrinsecum, vt in actum exeat quando id oportuerit.

At vero si teneas cum aliis, inter quos est Magister Dominicus Soto *in 4. d. 24. q. 1. art. 4.* ordinem exorcistarum, neque esse Sacramentum, neq; characterem imprimere: sed dumtaxat ex Ecclesiæ institutione: tunc nostrum assertum etiam approbandum est: valde enim pium est credere Ecclesiam sponsam Christi ab eo impetrasse, vt initiati eo ordine, quem ipsa instituit ad abigendos dæmones, designarentur, & eligentur à Deo, ornarenturque ea assistentia, quæ necessaria erat ad exequendum officium sibi destinatum.

Dico sexto. Si sermo sit de potestate eiectiua dæmonum, quam diximus esse actuale donum Dei, & gratiam gratis datam, principiumque effectiuum fugandi dæmonia: certum est initio nascentis Ecclesiæ, & circa tempora Apostolorum viguisse fere apud omnes fideles. *Prob.* rationibus adductis pro secundo asserto. 8. *Assert. 6.*

Dico septimo. Nostris temporibus non desunt, quibus gratia hæc eiiciendi dæmones concessa sit: sed tamen non tam liberaliter, nec in tot effusa, sicut tempore primitiuæ Ecclesiæ. Tunc, ferè omnes; nunc rari præfata potestate potiuntur. De primis habemus sacras literas id testificantes. De secũdis, experientia didicimus. Quod si rationẽ illius liberalitatis, & huius maioris coarctationis scire cupis: aduerte, præfatam gratiã, seu potestatem ad confirmandã doctrinã Christi, præcipuè ordinari: maximè vt intelligerent homines, dæmoniorũ Regnum Christi aduentu dissipari iuxta illud *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*; quod nihilo expressius, aut melius potuit doceri, quã dæmonũ fuga, aut propulsatione per nominis Iesu inuocationẽ (res *Assert. 7.*

certè

certe viribus hominum impar) at iam radicata, & stabilita fide Christi, & per omnem terrarum orbem propagata: non indiget his stabilimentis. Vnde non mirum ea crebra signa, ac prodigia, & potestatem propulsandi dæmones, quæ inter potissima portenta numerabatur, ex parte cessasse, & non tam frequenter, & in tanta copia fidelibus communicari, sicut in principio Ecclesiæ nouellæ. Præclare D. Gregorius Homilia 29. & Beda exponentes testimonium sæpe citatum, ex Marci vltimo: *Numquid (inquit Gregorius) fratres mei, quia ista signa non facitis minimè creditis? sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt: vt enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quo vsque ea in terram conualuisse videamus: at si semel radicem fixerint: irrigatio cessabit*. Et D. August. lib. de vera, & falsa Religi. c. 25. ait: *Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa, atque fundata sit: nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt: ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit*. Et lib. de vtilitate credendi cont. Manichæos capit. 16. *Facta sunt igitur illa miracula opportunissime: vt ijs multitudine credentium congregata, atque propagata in ipsos mores vtilis conuerteretur autoritas.*

D. Grego. Beda.

D. August.

9. *Dico octauo*. Si sermo sit de potestate eiectiua dæmonum (quam diximus esse actuale donum Dei, principiumque affectiuum fugandi dæmonia) non alligata fuit etiam initio nascentis Ecclesiæ, neque modo certo hominum generi, non ætati, vel sexui: sed ad omne genus hominum, etiam laicorum spectauit, & spectat pro voluntate Spiritus sancti hanc gratiam largientis gratis, nunc illis, nunc his. Et quidem veritas nostri asserti initio Ecclesiæ Christi, & circa tempora proxima Apostolorum, res comperta est præcipue ex testimonio *sæpe citato Marci vlt.* Idem affirmat Tertu. *lib. de corona Militis*, dicens à Militibus eiectos esse spiritus immundos: & *lib. de idolatr. c.* 11. ait parentes solitos esse exorcizare proprios filios. Iustinus item, & Lactantius *citati in disput.* 1. idem docent. Imo infideles hanc potestatem aliquando habuisse docebimus inferius. Et Metaphrastes *septima Februarij* affirmat sanctum Triphonem, qui pastor fuit anserum, terribilem fuisse dæmonibus, in tantum, vt ille, qui Gordiani Imperatoris filiam obsidebat, ausus est dicere, non se ab illa exiturum nisi Triphonis exorcismis cogeretur. Initio itaque primitiuæ Ecclesiæ, viri sacrati, & laici, indifferenter hac potiebantur potestate. & gratia. Idéq; asserimus nostris hisce tẽporibus, scilicet nõ in solis initiatis ordine exorcistarũ reperiri. *Probatur* ex ꝓbatissimis histo- 10 rijs, & testimonijs virorũ ꝓborũ asserẽtiũ se vidisse viros laicos dęmones eiecisse ab obsessorũ corporib. Multa

Assert. 8.

Tertul.

Iustin.

Lactan.

Metaph.

pos-

possent afferri exempla, de quibus infra. Sed ne quis proteruè contendat, eos fuisse initiatos ordine exorcistarum: meminisse oportet, fuisse aliquot præclaras fœminas, in quibus ordo Ecclesiasticus locum nõ habet, hac donatas potestate eijciendi dæmonia ab arrepticiis. De sancta Bri-
Surius. gitta refert Surius, *to.* 4. eam quendã iudicem secularem, deinde suum cursorem, tertio quandam fœminam, ab infestatione dæmoniaca liberasse. Et
Raym.ũd. D. Catherina Senẽsis (vt refert Raymundus in eius vita) signo Crucis spiritum nequam eiecit. Et sancta Genouefa refert Surius *tomo* 1. *in Ianuario*, plurimos dæmoniacos curasse: & idem *tomo quarto*, de sancta Anatholia narrat, dæmoniacum nomine Anianum Diodori viri Consularis filium, qui se eius precibus incendi clamabat afflasse, & ab spiritu obsidente liberasse. En modo gratia eiectiua dæmonum aliis qui non sunt exorcistarum ordine initiati communicata est. Item, potestas arcendi dæmones est pars non minima potestatis miracula faciendi: sed huius collatio ad Spiritum sanctum spectat, qui eam dat pro suo arbitratu, modo huic, modo illi, vt dicitur
1. Cor. 12 1. *ad Corinth.* 12. ergo Ecclesia non debet, neque potest eam potestatem alligare solis exorcistis Præcipuæ vires huius rationis ostenduntur, si dicamus, ordinem exorcistarum esse institutum ab Ecclesia.

Dubium, *An omnes exorcistæ habeant donum actuale ad eiiciendos dæmones?*

Quod in hac re magnam difficultatem habet, illud est, an omnes initiati ordine exorcistarum potiantur de facto dono actuali eijciendi dæmonia; quotiescunque se offert occasio, & eiectio dæmonum iudicatur expedire?

Et videtur vera pars negatiua. *Primo*, Nam gratia hæc pertinet ad miraculorum gratiam, vt docuimus disputatione secunda præcedenti: sed gratia miraculorum, & aliæ gratiæ gratis datæ non possidentur infalliliter à certo genere hominum: alias falsum esset quod ait D. Paulus 1. *ad*
Corinth. 12. dicens, Spiritum sanctum diuidere eas gratias singulis prout *1. Cor 12.*
vult: ergo hæc gratia eiiciendi dæmonia non conuenit omnibus exorcistis, sed quibusdam sic, quibusdam non. *Dices*, fortasse minorem esse falsam; fuerunt enim quædam familiæ ab auis, & proauis spiritu prophetico afflatæ: fuerunt etiam, & modo sunt, quædam familiæ habentes gratiam sanitatum: cur non etiam poterunt habere gratiam miraculorum, & eiiciendi dæmonia? Esto ita sit; *secundo arguitur*, Ecclesia per Sacramenta aut Sacramentalia, non potest eam gratiam conferre omnibus illorum Sacramentorum, aut Sacramentalium ministris, alias hæc distributio non pertineret ad Spiritum sanctum diuidentem, prout vult: ergo. *Tertio* & vrgentius idem *prob*. Multi reperiuntur exorcistæ, qui tentarunt eijcere dæmonia, nec potuerunt; ergo non in omnibus exorcistis hæc

reperitur potestas. *Prob. conseq.* In omni alio ordine Ecclesiastico, vbi aliqua potestas confertur, si non desit debita materia, non frustratur suo actu ea potestas; vt patet inductiuè: ergo in ordine exorcistarum, si esset potestas eijciendi dæmonia, quocūque exorcista proferente exorcismos supra verum energumenum pelleretur dæmon: videmus autem non arceri: ergo non est in eo talis potestas.

12. *Dicet quispiam*, non arceri dæmonium; quia non expediebat arceri. *Contra*, quia rebus eodem modo se habentibus, accedit alius exorcista, qui eisdem machinis, quibus prior vsus, & non maiori sanctitate, fide, aut aliis bonis ornatus, imo interdum minoribus, facile pellit dæmonem: ergo non est cur hæc eiectio tribuatur, nisi, quia vnus gaudet potestate eiiciendi dæmones, & alter non. *Quarto.* Eiectio dæmonum non debet tribui etiam in exorcistis ipsorum ordini: ergo fundamento debili fulcitur asserere, omnes, qui eo ordine initiati sunt, gratia eiiciendi dæmones pollere. *Antecedens probatur primo*: quia eiectio hæc pertinet ad gratiam gratis datam, quæ est principium effectiuum illius: ergo non ad ordinem, seu Sacramentum; alias eiusdem effectus essent duo principia. *Secundo.* Actus qui proficiscitur ab aliquo ordine ex minoribus, qualis est exorcistarum, merè naturalis est, & potest fieri à quocunque non initiato, vt docet D. Tho. *in* 4. *d.* 24. *q.* 2. *art.* 2. *ad vltim.* sed eiectio dæmonum non est naturalis, sed supernaturalis superans naturæ hominum vires: ergo non est ab ordine exorcistarum. *Tertio.* Quia repugnat gratiæ gratis datæ alligari certo hominum generi: vt patet ex Diuo Paulo 1. *ad Corinth.* 12 ergo. *Quarto.* Quia repugnat gratiæ gratis datæ habere aliquod principiū habituale; alias esset in potestate habentis illud principium, possidere illam gratiam gratis datam.

D. Thom.

Pro alia parte non desunt argumenta. Omnes initiati ordine exorcistarum habent potentiam abigendi dæmonia, & diuinam assistentiam paratam ad id muneris exercendum: ergo oblata occasione, si id expediat, & ipsi non apposuerint obicem, possidebunt donum actuale, id est, gratia eiectiuam dæmonum. *Antecedens* notum est, si vera sunt, quæ asseruimus in 4. & 5. dictis huius disputationis. *Consequentia vero probatur*, quia frustra est potentia, quæ ad actum non reducitur. *Secundo.* Non est credibile, Deum, aliquem, vel aliquos elegisse in Prophetas, quibus non conferatur actuale prophetiæ donum, quando & sicut expedierit prophetare: ergo idem dicendum est de omnibus initiatis ordine exorcistarum, quos esse electos ad abigenda dæmonia iam docuimus: nam dicere eos electos esse tantum ad adiurandum dæmonia ex officio; vt quidam possent dicere; parùm tribuit ordini exorcistæ, cum hæc omnia quiuis è plebe possit exercere. 13.

14. His argumentis pro vtraq; parte factis mihi res dubia est: sub correctione tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sapientiorum iudicio, probabile iudico. Multos initiatos exorcistarum ordine, nunquam habituros gratiam eiectiuam dæmonum; id est, donum actuale eijciendi dæmones, etiamsi quæcunq; offeratur occasio eijciendi: & etiam si illi non apposuerint aliquod impedimentũ præfatæ gratiæ recipiendæ. Probabiliorem tamen reputo oppositam partem. *Prima pars* conceditur argumentis factis pro parte negatiua, *secunda* verò argumentis pro parte affirmatiua.

Conclusio

15. *Ad primum* pro parte negatiua *resp.* Ad *primum*, & *secundum* esse contra rationem gratiæ gratis datæ, quod ab vno, vel pluribus infallibiliter, & in omni euentu possideatur, & quod ita alligetur certo hominum generi; vt nulli alteri conferri possit, aut conferatur. Nos verò non concedimus exorcistis esse conferendum donum actuale ad eijcienda dæmonia infallibiliter in omni euentu: sed dumtaxat quando, & sicut oportuerit iuxta Spiritus sancti placitum. Similiter non dicimus eis alligari donum hoc; vt nulli alteri possit communicari. *Hinc patet ad primum, negando consequentiam*: ad *secundum* distinguitur antecedens, autoritatiuè concedo, per impetrationem nego. Nec hoc tollit, quin alijs pluribus Spiritus sanctus pro sua voluntate hoc donum impertiatur.

Ad tertium resp. Quando exorcistæ tentant eijcere, & non eijciunt Dæmonia, inanitas istius conatus, vel reducitur ad aliquem defectum exorcistæ, vel obsessi, vel ad vtrumque; vel quia id non expedit. Et tunc negatur consequentia. Ad *prob. resp.* Sicut in Sacramento Extremæ vnctionis reperiuntur plures actus. *Primus* est collatio gratiæ Sacramentalis; & iste infallibiliter datur suscipienti Sacramentum. *Alter* est sanitas corporalis: & hæc non datur semper: sed quando, & sicut expedierit. Ita in ordine exorcistarum reperiuntur plures actus. *Primus* est adiurare dæmones, & iste semper licitus est exorcistis, si adsit dæmon adiurandus. *Alter* est recipere motionem Dei, & ea mediante eijcere dæmones: & iste non conceditur semper, quantumcunque sit materia præparata: sed dumtaxat quando, & sicut oportuerit, iuxta Spiritus sancti placitum. Et *ad replicam respondetur*: nos ignoramus causas, quare expedit vt hic expellat exorcista, & alteri non concedatur expulsio, sed semper adsunt.

Ad *quartum distinguitur anteced.* Nam eiectio dæmonum non tribuitur ordini exorcistarum, neque eius characteri (si fortè illum imprimat) tanquam principio effectiuo eiectionis dæmonum, aut gratiæ eiectiuæ recipiendę Et hoc stabilitur omnibus probationibus pro antecedenti. At verò tribuitur ordini: quia in ipsa ordinis institutione Christus quasi promisit, aut Ecclesia impetrauit. 16.

tauit, vt omnes eo ordine initiari haberent, quando expediret, omnia necessaria ad eijciendos dæmones. necessaria est autem gratia eiectiua, quæ est principium instrumentale eius expulsionis *Quod si dubitas*, quam efficaciam habet character, vel ordo exorcistarum in abiectione dæmonum? *Resp.* Est principium efficiens adiurationis, quæ licet posset effici sine vllo ordine; tamen vt ex officio efficiatur, necesse fuit habere supernaturale principium vt patet in actibus aliorum minorum ordinum; & egregiè declarat D. Thom. 4. loco citato. Qui verò tenuerit oppositam sententiam soluat argumenta nostræ sententiæ: nam nobis non vacat. *D. Thom.*

17 *Assert. 9.* *Dico vltimo.* Non obstantibus his, quæ dicta sunt in præcedentibus, existimo fuisse, & etiam modò esse quosdam homines, quibus donata est hæc potestas eijciendi dæmones, quasi per modum habitus. Hoc est esse quosdam, qui præ cæteris efficacius, & ferè semper, quando adiurant dæmones, eos eijciunt à corporibus obsessorum; ac à locis infestis fugant. Ad eum modum, quo fuerunt, & sunt quidam homines, qui præ cæteris, & ferè semper, habent donum sanitatum perficiendarum, aut prophetiæ gratiam. *Hoc assertum* ex historijs habemus, & experientia comperimus, videntes esse aliquos, quibus fœliciter succedunt adiurationes: alijs infœliciter se habentibus. Sed vnde proueniat hoc obscurum est: non à sanctitate, quia interdum sunt homines iniqui, qui hac gratia pollent: non à natura; quia hæc potestas supernaturalis est. Existimo autem procedere ex deputatione Spiritus sancti diuidentis dona, prout vult: etenim sine vllo merito hominis deputat hunc, vel illum, vt per eum dæmonia fugentur. Et istos sæpè afflat copiosius; vt faciant opus, ad quod destinantur, etiam si nihil habituale ponat in horum anima: ad eum modum, quo quis dicitur habere donum prophetiæ dormiens, & sine vlla actuali prophetica illustratione, ex deputatione diuina, iuxta illud: *Et Prophetam in gentibus dedi te*, Hieremiæ 1. Isto modo credo Christum dedisse Apostolis copiosam potestatem super spiritus immundos. Matth. & Lucæ 8. quando eam non exercebant, per deputationem scilicet, ad id munus exercendum efficacius, quam cæteri. *Secundo* potest intelligi aliquos pollere potestate eijciendi dæmones, plus quàm cæteri, & quodammodo in ea augeri, sine acquisitione alicuius habitualis doni: Nam sicut in rebus corporeis transeunte passione, remanet quædam habilitas ad hoc, quod subiectum iterum patiatur, sicut lignum semel inflammatum, facilius iterum inflammatur; ita etiam in mente eijcientis semel dæmonia, quamuis non maneat aliquid habituale, cessante motione diuina, (quam appellamus potentiam & gratiam *Hieremiæ* *Matth. 8.* *Luca 8.*

eijciendi dæmonia) tamen remanet quædam habilitas ad hoc, vt facilius iterato moueatur à Deo, & quanto pluries mouetur, tanto fit habilior,
Augustin. vt moueatur. Propter quod August. *in lib. de orando Deum Epist.* 121. dicit esse necessarias crebras orationes, ne concepta deuotio totaliter extinguatur.

Tertio potest intelligi id ipsum prouenire ex multiplicatis actibus eiusdem potestatis; ex qua multiplicatione fides & fiducia adiurantis robustiores fiunt, experientes fœlicem euentum. Certum est autem, vt infra videbimus, robur fidei, ac fiduciam, multum valere ad præparandum mentem receptione illius, motionis diuinæ, quam diximus esse ipsam potestatem eiiciendi dæmonia. Et ideò illi homines, vbi isthæc fides reperitur, plus alijs potentes sunt ad eiiciendos dæmones. Hæc vera sunt, sed melius proceditur in prima ratione, attribuendo quæ diximus, diuinæ deputationi.

18. Ex dictis facilè soluuntur argumenta posita in principio huius disputationis. *Ad primum*, & secundum, colliges quid sit dicendum ex tertio, quarto, & octauo dicto. *Ad tertium resp* ex quarto, & quinto, & octauo dicto. Ad *confir resp.* prohibitionem illam Concilij Laodiceni non esse intelligendam de potestate adiurandi dæmones sine solemnitate; & multo minus de potestate eijciendi dæmonia per actuale donum; quæ cum pertineat ad gratias gratis datas, fortasse non potest cadere sub Ecclesiæ prohibitione: sed præfata prohibitio intelligenda est de potestate solemniter adiurandi dæmones, quæ laicis interdicta est: & meritò; eo quod ritus illi, & sermones, qui in exorcismis solemnibus adiunguntur, creuerant plus nimio, & multæ superstitiones admiscebantur ab ignaris, seu prauis adiuratoribus. Quare Ecclesia ritus designauit, exorcismos instituit, & ne superstitiones, & abusus obreperent, adiurationes cum ritibus comitatas exorcistis delegauit, ac cæteris prohibuit. Quin imò censeo, ab initio primitiuæ Ecclesiæ has solemnes adiurationes solis initiatis ordine exorcistarum esse permissas; sicut à primordijs nascẽtis Ecclesiæ solemnes administrationes Sacramentorum & Sacramentaliũ, quæ possunt ministrari à laicis, solis viris sacratis concessæ sunt: vt patet in Sacramenti Baptismi administratione, & in actibus deputatis ordinibus minoribus.

Ad *quartum argum. resp.* potestatem adiurandi, & fugandi dæmonia, sicut & quæcunque miracula faciendi, concessam esse præcipuè propter confirmandam Christi doctrinam; sed non propter solum hunc finem: multos enim alios commemorauimus superius in disputatione quarta. Quare esto præcipuus ille finis cessasset (nõ autem cessauit ex toto) tamen alii fines adhuc perseuerant, & propter eos eandem potestatem perseuerare in Ecclesia necesse est. 19.

DISPVTATIO VI.

Vtrum ad recipiendum hanc potestatem eiectiuam dæmonum, idest donum Dei actuale, requiratur in adiuratore aliqua dispositio naturalis.

1. ET supposito, ex disputatione tertia præcedenti, hanc potestatem esse à causa supernaturali, Deo optimo maximo; restat modo inquirendum, an ad hanc collationem prærequiratur aliqua dispositio naturalis? nam benè posset fieri vt Deus vellet conferre aliquod donum supernaturale hominibus dependenter ab aliqua dispositione naturali; ad eum modum, quo infundit animas rationales (quarum solus ipse est autor) præexigendo dispositiones naturales in materia, quæ sunt ab homine generante.

Et videtur vera pars affirmatiua; potestas abigendi dæmones est passio quædam & motus voluntatis ad dæmonia profliganda: sed hic motus, aut passio, cum sit operatio vitalis potentiæ puræ spiritualis, exigit ea omnia, quæ ad operationem intellectus & voluntatis requiruntur, putà phantasiam non læsam, imaginatiuam non turbatam: ergo prærequirit in sui collatione aliquam dispositionem naturalem.

Secundo. Impedimentum naturalè est fortius, quam id, quod accidentaliter superuenit: sed aliqua accidentaliter superuenientia impediunt huius potestatis vsum: verbi gratia, ebrietas actualis adiuratoris, timiditas vehemens dæmonum: ergo multo fortius indispositio naturalis complexionis impediet hominem, ne recipiat à Deo donum hoc abigendi dæmones.

Tertio. *Quæ sunt, à Deo ordinata sunt*, ad Roma. 13. ergo potestas præfata, quæ à Deo est, non debet dari indispositis, quia tunc inordinatè daretur. *Confirmatur*, Deus in donis suis non procedit irrationabiliter: ergo concedit donum hoc potius his, quam illis, propter aliquam dispositionem maiorem, quam præuidet in his, potius quam illis. *Dices*, sicut supra diximus, propter deputationem horum, & non illorum, ad huius potestatis vsum. *Contra* redit eadem dubitatio. Nam quare hos potius deputat, quàm illos, non nisi propter aliquid quod reperitur in his, non in illis. *Ad Rom. 13.*

Sit tamen nostra *Assert.* Ad potestatem hanc abigendi dæmones habendam, non prærequiritur in homine aliqua naturalis dispositio. 2. *Probatur.* Illud, quod dependet ex solo dantis arbitrio, non prærequirit aliquam dispositionem in suscipiente: sed gratia, seu potestas abigendi dæmones dependet ex solo arbitrio Spiritus sancti volentis dare, vt dicitur primæ ad Corin. 12. & Ioan. 5. *Spiritus vbi vult spirat:* ergo &c. *1. Cor. 12. Ioannis 5.*

Secundo. Deus in corporalibus ef-

fectibus, quos per se ipsum producit, neque eget materia, neque dispositione: sed vnico actu formam & materiam & dispositionē producit: imò sine vlla dispositione materiæ potest formā in materiā introducere: ergò in effectibus spiritualibus, quos per se producit, qualis est potestas abigendi dæmones, non præexigit dispositionem naturalem aliquam: sed ipse, qui potestatem dat, disponit subiectum, vt recipiat illam. *Confirmatur.* Si crearet hominem simul cum hac potestate, non præexigeretur aliqua dispositio naturalis: ergo nec modo præexigitur.

Ad *primum* in contrarium adductum *resp.* Quando nos asserimus ad donum hoc seu potestatem abigendi dæmones non prærequiri dispositionem aliquam naturalem: non asserimus non prærequiri subiectum capax illius doni: eo quod cum donum illud sit actus quidam humanus, nequit à Deo suppleri. Tum, quia susceptum non potest esse absque susceptiuo, nec actus vitalis sine principio intrinseco, à quo fiat, & in quo recipiatur. Hæc enim omnia pertinent ad causalitatem in genere causæ formalis, quam Deus supplere non potest: sed dicimus hoc gratuitum donum infundi à Deo sine aliqua necessario prærequisita dispositione naturali aliunde proueniente. Vnde si contingat ad eum actum eliciendum, & ad eam passionem recipiendum, non esse aptatam potentiam, Deus, qui largitur eam motionem, impartitur etiam dispositionem, & reformat læsionem phantasiæ, seu imaginatiuæ in melius: sicut quando curat oculos, aufert lippitudinem, vt clarè videre possit.

3. Ad *secundum* concedimus esse aliquam naturalem indispositionem: quæ si non remoueretur impediret receptionem præfatæ potestatis, seu doni: verbi gratia, si quis esset totaliter ab vsu rationis alienatus per ebrietatem, aut verò valde impeditus propter vehementem iram, aut timorem, vel quid simile: sed talem indispositionem naturalem remouet virtus diuina, quando eam potestaté, seu donū largitur hominibus.

Ad *tertium* respondetur, ordinationem in largitione donorum gratuitorum non esse aliam, nisi Dei voluntatem, vt habetur *prima ad Corinth.* 12. & ob id aliquando conferuntur illis, qui videntur esse ad hoc maximà indispositi, vel ex naturali complexione, vel ex prauis moribus: vt sic largitio hæc diuinæ virtuti attribuatur, & non glorietur omnis caro coram illo. 1. *ad Corinth.* 1. Sic etiam *resp. ad confirm* dicendo rationem, quare hos potius deputat, quam illos ad profligandos dæmones, non esse aliam, nisi quia Deus sic vult fieri. Quod si congruentia desideras: scito esse aliquos, per quos attenta naturali complexione melius adiuratoris officium exercetur, puta quia sunt audaces, impauidi, & huiusmodi, secundum

1. Cor. 12.

1. Cor. 1.

quod diuina iudicat Sapientia: & interdum hos eligit aliis relictis. Ita *D.Thom.* philoſophatur D. Thom. *de veritate: quæſtion.* 12. *de prophetia artic.* 3. *ad* 4. *&* 6. *&* nos etiam de dono hoc eiiciendi dæmones, ſic famur.

DISPVTATIO VII.

An ſanctitas, & morum integritas ſit requiſita in adiurante, ſeu expellente dæmones, vt poßit exercitio mandari præfata diuina poteſtas?

ET videtur vera pars affirmatiua, *primò*, quia poteſtas ſeu donum 1 abigendi dæmones eſt motus, ſeu actus quidam ab Spiritu ſancto, vt ſupra docuimus: ergo non poteſt eſſe ab homine peccatore; quia illa poſſet male vti; ac ex conſequenti non eſſet donum Spiritus ſancti. *Secundo* Poteſtas eiiciendi dæmonia ſæpe data eſt ad teſtificādum ſanctitati eiicientis ſeu adiurantis dæmonia, vt inferius exēplis manifeſtabimus, ergo neceſſariò requirit in adiurante ſanctitaté, & morum integritatem, alias Deus teſtis falſitatis eſſet.

Tertio, Deus in largiēdis donis modū naturalé operādi ſequitur, vt res ſuauius geratur, vt autor eſt D. Dionyſius. 4. *ca. de diuinis nomi*, vbi diuinā bonitatem radio ſolari comparat, *D. Diony.* propter ſimilitudinem effectus, ſed in operatione naturali magis diſpoſitis aliquæ perfectiones magis dantur; ſicut à ſole corpora magis perlucida magis illuſtrantur. *Tunc ſic*: Ad recipiendum poteſtatem abigendi dæmones magis diſpoſitus eſt quiuis bonus quātacunque minima iuſtitia polleat, quam quiuis malus: videmus autem quamplures viros iuſtos hac poteſtate carere: ergo neutiquam eam habere poſſunt peccatores: quia ſunt minus diſpoſiti.

Quarto. Eſto non ſit neceſſaria ſanctitas aut morum integritas in adiuratore, vt ſequatur dæmonum exterminatio: erit tamen neceſſaria, vt congruenter fiat adiuratio. *Prob.* quia adiurator in expulſione dæmonis exhibet ſe inſtrumentum diuinæ poteſtatis erga cacodæmones: ergo tenetur ſe conformare mundiciei & ſanctitati principalis agentis, qui Deus eſt. *Probatur conſequentia*, quia *D.Thom.* hoc argumento vtitur D. Tho. 3. *p. q.* 64. *art.* 6. ad probandum ſacramentorum miniſtros teneri eſſe in ſtatu gratiæ, quando ea adminiſtrant. *Confirmatur*. Exorcizare munus eſt annexum ordini Eccleſiaſtico exorciſtarum: ergo initiati hoc ordine ſi exerceant officium hoc in peccato, irreuerenter agunt: ſicut & quilibet alii ordinati, qui ſuum officium ſine gratia exercent; verbi gratia diaconus canendo Euangelium &c.

Abulenſis 2. Abulenſis ſuper *ſeptimum caput Matth. q.* 33. refert quoſdam aſſerere, eos quibus deeſt gratia, & charitas, non frui hac poteſtate eijciendi dæmones Quod videtur aſſeruiſſe *Chryſoſt.* Chryſoſtomus. *Homil.* 19. *in Matthæū*,

Nihil-

Nihilominus opposita sententia verissima est, & omnium consensu Doctorum recepta: videlicet non esse necessariam sanctitatem, aut morum integritatem in eo, qui potestate eijciendi dæmonia vtitur. Et probatur primo. *Matt.7.* ait Dominus: futuros quosdam qui in die iudicii dicent: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos:* scilicet notitia approbationis. Et quia posset aliquis dicere, hos quando fugabant dæmones, iustos esse: postmodum vero in peccata corruisse: expendit Theophylactus, & Caietanus, illud verbum, *nunquam noui vos*, idest, neque quando eiiciebatis dæmonia approbaui vestros mores. Super quem locum ait Cyprianus de vnitate Ecclesiæ circa medium. *Prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere; sublimis vtique & admirabilis res est, non tamen regnum cælorum consequitur quisquis in his omnibus inuenitur, nisi recti & iusti itineris obseruatione gradiatur.* Confirmatur: nam Iudas Iscariotis potestatem accepit eiiciendi dæmones, quando & sicut cæteri Apostoli, & gaudens cum illis reuersus est dicens: *Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis*, Lucæ 10. & tamen fur erat, & loculos habebat.

Matth. 1.
Theophyl.
Caietan.
Cyprian.
Lucæ. 10.
Marci 9.
Lucæ. 9.

Secundo, Marci & Lucæ. 9. ait Ioannes ad Christum Dominum: *Domine vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Qui autem non sequebatur Christum, non erat iustitia præditus, aut bonitate morum imbutus. Ecce quomodo donum hoc abigendi dæmones non necessario requirit in eiiciente sanctitatem, aut morum integritatem.

Tertio Prophetia, donum linguarum, gratia miraculorum, potest esse sine charitate, quæ est vinculum totius sanctitatis, vt affirmat Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.* Ecce hæc dona reperiri posse sine charitate præsupponit Apostolus. Ergo & gratia eiiciendi dæmones, (quæ non minima pars est gratiæ miracula, siue res mirabiles faciendi) reperiri potest sine sanctitate, & morum integritate. 1. *Cor.* 13.

Quarto, probatur ratione: donum hoc eiiciendi dæmonia, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, dantur in vtilitatem Ecclesiæ. 1. *ad Corinth*, 12. non autem ordinatur directè ad hoc, quod affectus abigentis dæmonia coniungatur Deo, ad quod ordinatur charitas, neque ad hoc vt mens exorcizantis disponatur ad charitatem & gratiam habendam, quod fit per virtutes morales: ergo vsus huius doni reperiri potest sine sanctitate & integritate morum exorcizantis. 1. *Cor.* 12.

Quinto. Si sanctitas aut morum integritas necessaria est in exorcistis, vt dæmonia eiiciant, & sine illa dæmonia non poterunt fugari: sequitur

tur omnes exorcizantes quoties cunque dæmonia expellunt ab obsessis, certo scire se esse in gratia: cōsequens nullus catholicorum admittet: ergo &c.

3. His tamen non obstantibus dico. Sanctitas, ac morum integritas valde conducunt (si adsint in his qui dæmonia adiurant) ne nobis noceant, aut nocumenta illata quomodocunque per fugam amoueant. Huic assertioni fidem faciunt querelæ dæmonum asserentium se præsentia Sanctorum torqueri: fuga item dæmonum, qui antequam Sancti adessent, dum scirent Sanctos aduentare, ab obsessis egredientes fugerunt: quæ omnia exemplis multis allatis inferius ostendemus. Secundò ex historijs & annalibus scimus, viros & fœminas sanctitate insignes ad dæmones profligandos præ ceteris valuisse: speciatim sanctus Triphon fere circa tempora A-
Surius. postolorum, de quo Surius ex Metaphraste prima Februarij. Bernardus, Laurentius, Iustinianus, Colūbanus, Gregorius Lingoniensis, Remigius Remensis, Benedictus; & in genere fœminarum S. Genouepha, Cathetina Senensis, Euphrasia, Brigita, Hildegundis, & multi alij, & aliæ, in fugandis dæmonibus insignes fuere.

4. Integritatem autem morum maximè conducere ad exterminandos dæmones', vel ex eo patere potest, quia Dominus de genere pessimo
Luca. 9. dæmoniorum ait Lucæ. 9. *Hoc genus dæmoniorū nō eijcitur, nisi oratione, & ieiunio.* Oratione fugatos dæmones sæpe legimus. & ipse diabolus in Aniano filio Diodori viri Consularis clamauit; se incendi precibus S. Anatholiæ: ita Surius tomo. 4. De ieiunio etiam multa legimus. Sit nobis satis Surius.
afferre exemplum ex Gregorio Turonensi narrante Nicecium Lugdunensem Archidiaconum vocatum Gregor. Turon.
ex Gallijs Romam, vt Leonis Romani Imperatoris filiam ab obsidente dæmone liberaret, opus hoc arduum aggredi noluit, nisi post cōtinuatum cum vigilijs & orationibus triduanum ieiunium. Itaque quarta die per inuocationem diuini nominis, & crucis vexillum dæmonem à puella fugauit.

Plurimum etiam valet animi sub- 5.
missio, & humilitas, cum enim spiritus nequam superbissimi sint, ferre non possunt præsentiam eorum, qui de se humiliter sentiunt. Insigne huius rei habemus exemplum in vita Iordanis Dominicani scripta per Leandrum Albertum Bononiensem. Lean. Albertus.
Nam cum eidem Iordano dæmon per obsessum alapam impegisset, & ille alteram maxillam subitò præbuisset: confusus superbus spiritus mox reliquit obsessum: quin imò & ipsi dæmones fatentur, se non posse humilium ferre præsentiam, vt videre licet in dæmone fugato à Sācto Paulo, quem simplicem appellant. Rem narrat Palladius in Sanctorum Patrum historia Sect. 25. *Adduxerant* (ait Palladius) *quidam ado-* Palladius

lescentem obsessum ad Sanctum Antonium, vt eum liberaret, hic vt cognouit potentiorem esse spiritum, quam à se eiici posset: cum eodem ad Paulum simplicem, virum magnarum virtutum, properat, & postquam afflictum Sancto commendauit, ad propriam cellam reuertitur. Paulus vero accingitur ad dæmonem expellendum, cui ait: Imperat tibi Antonius vt egrediaris: at spiritus immundus nil curat de his. Tum Paulus me lotam qua indutus erat assumens, & illa dorsum obsessi verberans: rursus priorem sermonem repetit, inquiens, dixit Abbas Antonius egredere ab homine. Sed neque his diabolus mouetur, sed magis insolescit. Tandem Paulus, aut exibis, aut abeo vt id dicam Christo, isque faciet vt tibi sit væ: & ad orationem conuersus Christum pro adolescentis incolumitate precabatur, mox spiritus magnis vocibus: Recedo, recedo, discedo ab homine, non amplius ad eum accedo. Pauli simplicitas, & humilitas me expellit. Hæc Palladius.

6. Huic etiam exterminationi dæmonum admodum prodesse fidem, spem, ac fiduciam, non nostris meritis, sed Dei potentiæ, & bonitati innixam, sacræ Literæ testantur, & nos iam iam paramus dicere. Demum erga Deum feruentem amorem, (qui ferè omnes virtutum actus supponit) valde conducere, verba illa D. Antonij ad suos monachos satis superque indicant. *Mihi fratres* (ait Antonius) *credite: pertimescit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè autem ardentem amorem in* CHRISTVM. Ita Athanasius in eius vita: & penè eisdem verbis idem dixit Sanctus Remaclus Episcopus Traiectensis: qui anno Domini 850. claruit. Ita Notgerus in eius vita. *Athanasi.* *Notgerus.*

7. Ad argumenta in contrarium adducta respondetur. Ad *primum*: multa dona dantur iniquis ab Spiritu sancto, non solum secundum habitum, verum & secundum actum, in quo eius bonitas valde relucet, quia non solum bonis, sed etiam malis nouit benè vti: neque ex hoc vsu illi aliquid mali accrescit: quia instrumento malo vtitur ad bonum. *Ad confirmationem respondetur*: Aliquem malè vti potestate eijciendi dæmones, potest dupliciter intelligi: *vno modo* quod ipse potestatis actus, id est ipsa actio, sit in se mala: *altero modo*, quod quis ipsum actum ad malum finem ordinet. *Priori modo* non potest quis malè vti potestate hac; id est per eam efficere actum malum: quia necessario bonus est, & ab Spiritu sancto. *Secundo* modo nil vetat malè vti ea motione, ordinando ad indebitum finem, & tunc actus illius potestatis bonus est, & ab Spiritu sancto: ordinatio verò ad malũ finem, mala est, & à peruersa hominis voluntate procedens, non ab Spiritu sancto.

8. In *secundo argumento* essent nobis perquirendi fines, propter quos

Ecclesiæ suæ Deus contulit hanc potestatem abigendi dæmones: nisi iam eos enumerassemus supra disputatione quarta, ad quem locum remittimus lectorem. Modo verò dicimus dupliciter Deum operari eiectionem dæmonum per ministerium hominum. *Vno modo* ad fidei confirmationem, quæ maxime per dæmonum eiectionem factam à Christo, & Apostolis confirmata est, videntibus cunctis, tot obsessos, quibus Iudææ regnum abundabat, à dæmonibus liberatos: ita vt nullus superesset obsessus, aut infirmus, qui non sanaretur à Christo, si ad locum accessisset. Idemque egere Apostoli, vt videre licet in Euangelica historia, & actibus Apostolicis. *Secundo modo* ad demonstrandam sanctitatem alicuius: quā Deus vult proponere in exemplum virtutis. Priori modo nihil vetat dæmonia profligari à peccatoribus, per quos vera fides enuntiari potest. Vnde Hieronymus super illud Matth.7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus &c.* ait: *Prophetare, vel virtutes facere, aut dæmonia eiicere, interdum non est eius meriti, qui operatur. Sed inuocatio nominis Christi hoc agit, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula.* Secundo modo eiectio dæmonum nequit fieri nisi eijcientes sanctitate polleant, aut illij, quorum sanctitatis adstruendæ causa, miracula fiunt: & hoc probat secundum argumentum factum, & nihil amplius.

Hierony.

Ad *tertium resp.* maiorem aptitudinem, & dispositionem ad eiiciendos dæmones non sumi ex sanctitate, aut morum integritate: sed ex Dei voluntate, & prouidentia: qui interdum iudicat magis aptos, peccatores ad eijcienda dæmonia; quàm iustos, & dando donum, dat etiam maiorem aptitudinem. *Item* potest contingere homines peccatores esse magis dispositos ad dæmones abigendos, quam aliqui iusti, puta quia hi timidæ sunt complexionis: aut non habent tam robustam fiduciam, vel quid simile: illi vero natura sunt audaces, impauidi, fiduciosi, quod valde iuuat ad recipiendam gratiam dæmonum eijciendorum. Ad hunc fermè modum philosophatur Diuus Thomas. *q.12. de veritate articulo quinto ad sextum.*

Ad *quartum respondetur,* illam D. Thom. rationem esse intelligendam cum limitatione, quam ipse addidit in solutione ad primum eiusdem quæstionis & articuli, quando actiones sunt sacratæ, & sanctificatæ Deo & ordinatæ, per se & immediatè ad sanctificandos eos, penes quos exercentur. Tales sunt actiones, quas efficiunt ministri Sacramentorum. At vero expulsio dæmonum per adiurationem, ac donum expellendi eos; non est actio sacrata, neque immediatè ordinata ad sanctificationem hominum: sed ad fugandos dæmones, & liberandos miseros obsessos ab

D. Thom. 9.

eorum tyrannide. Quod verò ordinetur quandoque ad tollenda impedimenta, quibus homines detinentur, ne se exerceant in officio virtutum, non pertinet per se ad potestatem adiurandi, & eijciendi dæmones: aut si per se, multum à remotis. Sentio igitur secluso scandalo, aut contemptu; nullum esse peccatum adiurare, aut abigere dæmones, eum qui est in peccato mortali, si non sit initiatus ordine exorcistæ, sicut neque est peccatum exercere donum linguarum aut sanitatis in statu peccati mortalis.

10. D. Thom. De exorcistis ab Ecclesia initiatis, quod tangitur in confirmatione, maior est dubitandi ratio: nam D. Thom. *in quarto, dist. 24. q. 1. art 3. quæst. 5.* generalem statuit regulam, videlicet peccare mortaliter eum, qui aliquod sacrum officium, quod sibi ex ordinatione competit, in peccato mortali exequitur, quia indignè tractat res sacras, ac proinde sacrilegium committit: quod ex genere peccatum mortale est. Sed initiatis ordine exorcistarum competit ex sua ordinatione adiurare dæmones: ergo si hoc officium in peccato mortali exerceant peccant mortaliter. Sotus. Sotus *in 4. d. 24. q. 1 ar. 4. circa septimam concl.* putat, nullum committere peccatum initiatum minoribus ordinibus ministerium suum exercendo in peccato mortali, eo quod censet, eos ordines non esse sacramenta, neque characterem imprimere. Et addit, D. Thomam *in quarto* oppositum tenentem, sequutum fuisse vulgus. Ac proinde si de hac re egisset in summa, mutasset sententiam.

Sed quidquid sit de hac mutatione, ego existimo, initiatos ordine exorcistarum, si adiurent dæmones simpliciter, & sine solemnitate, id est sine exorcismis & cæremoniis, quas pro adiurandis dæmonibus instituit Ecclesia nullum committere peccatum, ex eo quod sunt in peccato mortali: secluso tamen scandalo ac contemptu, eo quod in his actionibus non se exhibent, vt publicos Dei ministros, ad eum modum, quo dicitur baptizantes sine solemnitate, & ritibus ab Ecclesia institutis, non peccare: & similiter hostiarium, ac lectorem exercentem priuatim sua officia, ex hoc quod sint in peccato mortali, non peccant. At verò initiati ordine exorcistarum adiurantes solemniter dæmones, si sint in peccato mortali, non peccant mortaliter: quia licet actus adiurandi, vt ab exorcista procedunt, sint aliquo modo sacri: tamen sunt valde remoti à proprio, ac perfecto actu sacrificandi, vel ministrandi sacramenta, ad quem finem quodammodo ordinantur: vt dicitur in quarto, loco iam citato, & ob id illa materia leuis est.

Item, quia probabilis est opinio ordines minores non esse sacramenta: ac proinde non est inijcienda obligatio peccati mortalis, sine magno fun-

fundamento. Cæterum à peccato veniali non excusarem per se præfatos exorcistas adiurantes in peccato mortali. Quia nonnulla irreuerentia videtur esse in peccato exercere hoc officium, quando hoc ministerium fit publico & solemni ritu; tanquam à publico Ecclesiæ ministro Hoc enim modo proprie est actus ordinis, ad quem est consecratus exorcista Dixi, peccare venialiter per se loquendo: quia ex inaduertentia, aut ignorantia, aut quia sequi malunt Soti sententiam, facile excusarem. Nihilominus vt euentus fœliciter succedat in profligatione dæmonum: consulerem huiusmodi sacram confessionem peccatorum præmittere, quæ parit conscientiæ mundiciem, ac sanctitatem: quam valde conducere ad fugandos dæmones, iam diximus, & amplius in sequentibus dicemus.

DISPVTATIO VIII.

An fides sit necessario requisita in adiurante dæmones, vt eorum exterminatio sequatur?

1. ET videtur vera pars affirmatiua. *Primo*: nam Marci vltimo, dicit dominus; *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eiicient &c.* Ex quo loco videtur colligi omnes, quotquot fidem habuerint, dæmonia eijcere posse. Et à contrario sensu, qui ea caruerint, non poterunt dæmonia eijcere: nam sicut affirmatio est causa affirmationis: ita negatio est causa negationis.

Marci. vl.

Secundo. Matt 17. Discipulis quærentibus quare non potuerint eijcere quendam dæmonem pessimum, respondit Dominus. *Propter incredulitatem vestram.* ergo fides necessaria est ad dæmones propulsandos. Nā si vnum oppositū est causa oppositi, & reliquū oppositū est causa reliqui. Sed incredulitas est causa impediens eiectionem dæmonum: ergo fides erit necessario requisita, imo causa eijciendi dæmones. *Matt. 17.*

Tertio: nam eodem loco Matth. 17. vt Dominus commendaret necessitatem fidei, non solum ad eiectionem dæmonum; de qua Christus Dominus loquebatur, verum etiam ad quæcunque miracula patranda subiungit statim: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis.* Et Lucæ. 17. ad discipulos ait; *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mari: & obediet vobis.* Quibus verbis non mediocri exaggeratione intimatur necessitas fidei in eijciente dæmonia, quia pars quædam est hæc eiectio gratiæ miraculorum patrandorum. *Matt. 17.* *Luca. 17.*

Pro decisione præmittere oportet diuisionem fidei in virtutem Theologicam, & fidem, quæ est gratia gratis data Quę diuisio sumitur à Doctoribus ex Apostoli Epistolis multis in locis. Fides Theologica virtus, est fundamentum totius ædifi- 2.

dificii supernaturalis, & principium omnium, quæ fiunt ad gratiam Dei consequendam, de qua Apostolus ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere*
Hebræ. 11. *Deo*: ac proinde communis esse debet cuique Christianorum; vt ea quando voluerit, & vbi libuerit vtatur: fides vero quæ est donum, siue gratia gratis data, nō est communis omnibus fidelibus: sed pro voluntate Spiritus sancti datur ijs, & non illis: vt aperte constat ex eodem Aposto-
Corin. 12. lo. 1. *ad Corinth.* 12. vbi post enumeratam fidem inter gratias gratis datas, subiungit: *Hæc omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult.*

D. Thom. *Secundo* præmittendum est ex doctrina D. Thom. maximè *tertio contra gentes ca.* 154. *in fine*, fidem virtutem Theologicam esse habitum: quo proinde credens vtitur, cum vult, quia eius vsus necessarius est ad salutem consequendam: at verò fides, quæ est gratia gratis data, non est habitualis perfectio: sicut neque cæteræ gratiæ gratis datæ sed est impressio, quæ à Deo fit, & cessat cessante actu, & eam oportet iterari, cū actus iterari fuerit opportunum. Ad eum modum, quo Prophetæ in qualibet reuelatione nouo lumine illustrantur, & in qualibet miraculorum operatione oportet adesse nouam efficaciam diuinæ virtutis, vt latius dicit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 164. *& de veritate q.* 12. *& eadem* 2. 2. *q.* 178. *& de potentia q.* 6. Ad has duas differentias reducere possumus omnes alias, quæ inter fidem Theologicam, & fidem gratiam gratis datam reperiuntur.

Scire autem quid sint, & in quo earum consistat essentia, difficile est: maximè si sermo sit de fide, quæ est gratia gratis data: nam de fide Theologica virtute, multa dicta 3.
sunt à sacræ Scripturæ interpretibus & Doctoribus Scholasticis, asserentibus esse habitum ad credendum Deo, vt est prima veritas reuelans ea, quæ ad Ecclesiæ statum concernunt. De fide vero quæ est gratia gratis data D. Thom. 1. 2. D. Thom.
q. 111. *art.* 4 *ait*, versari circa principia fidei. Et in solutione ad secundum, dicit importare quandam supereminentem certitudinem fidei: ex qua homo fit idoneus ad instruendum alios de his, quæ ad fidem pertinent. Idem dicit *lect.* 2 *supra caput.* 12. 1 *ad Corint. &* 2. 2. *q.* 4. *artic.* 5. *ad quartum* dicit, fidem quæ est gratia gratis data, sumi pro quadam fidei excellentia: sicut pro constantia fidei, vt Interlinealis.
ait Glossa interlinealis *loco citato ex Paulo*. Ex quibus locis colligitur; fidem quæ est gratia gratis data esse modum quendam fidei importantem quandam eximiam certitudinem aut fidei constantiam. Quid autem sit modus hic, & quare ponatur, & circa quid versetur: difficile explicatu est, tentabimus autem explicare Dei adiutorio implorato.

Et argumentor sic *primo* contra 4.
dicta D. Thom. Ad instruendos alios

alios de his, quæ pertinent ad fidem: sufficit certitudo quam præbet docenti habitus fidei, quæ est virtus Theologica: ergo fictitia est quæcunque alia certitudo. *Confirmatur*: vel illa eximia certitudo, quæ dicitur esse necessaria ad docenda dogmata fidei, est à fide virtute operante intensissime, & hoc non: quia sicut est in potestate fidelis vti habitu fidei: ita habere actum magis, ac magis intensum, quod non conuenit fidei, quæ est gratia gratis data; qua non vtitur quis quotiescunque vult, vt dictum est supra in secunda differentia inter has fides; vel illa excellens certitudo nõ est ab habitu fidei, sed aliunde, & tunc non stat id quod asserit D. Thom. fidem quæ est gratia gratis data pertinere ad virtutem fidei. *Secundo*, fides, quæ est gratia gratis data, commendatur maximè ad patranda miracula, vt patet ex testimoniis allatis in argumentis factis initio huius dubitationis. Sed ad hæc non est necessaria certitudo eximia virtutis fidei. Quod patet, *primo* quia multi infideles operantur miracula. *Secundo*, quia non apparet, quare ad patranda miracula magis conducat certitudo fidei, quam pia affectio charitatis ad Deum, aut ieiunium, vel huiusmodi. *Tertio*, quia constantia illa fidei, quam dicit Glossa interlinealis esse gratiam gratis datam, potius pertinet ad fortitudinem, seu eius partem, patientiam, quam ad fidem: ergo non est modus fidei.

Idem argumentum fit de fiducia: quam quidam adiunctam fidei, dicunt esse fidem gratiam gratis datam: fiducia autem spes roborata est, vt ait Diuus Thom. 2.2 *quæst.* 129. *arti.* 6. *in corpo.* & *ad secundum, & tertium.*

5. Nihilominus sententia D. Tho. vera est, cuius veritatem manifestabo respondendo prius ad argumenta facta contra sanctum Doctorem. Ad *primum respondetur*, quemadmodum ad docendum conclusiones, quæ ex fidei articulis deducuntur circa Deum, sufficit sapientia humanitus acquisita, puta Theologia, &c. ad docendum conclusiones circa alia, præter Deum, scientia & rhetorica acquisita, ad docendum delectabiliter. Sed tamẽ vt hæc fiant in docendo fidem cum modo eminenti & efficaci, Spiritus sanctus largitur quibusdam gratias gratis datas: quæ ad hoc deseruiũt, puta sapientiã, sciẽtiã, gratiã sermonũ, iuxta illud. *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere aduersarii vestri*, Lucæ. 21. Sic quamuis ad docendos articulos & fidei dogmata, sat sit docentem fidelẽ habere certissimum eorũ assensũ tamen ad docẽdum eos modo quodam eminentiori, & efficaciori, ita, vt docens fiducialiter loquatur, iuxta illud; *Loquebantur cum fiducia verbum Dei*, Actorum 4. & vt audientes commoueantur ad receptionem doctrinæ, est conuenientissima quædam altior certitudo, quam Spiritus sanctus præbet mediante fi-

Luca. 12.

Actor. 4.

te fi.

te fide, quæ est donum & gratia gratis data.

Ad *confir.resp.* eam eximiam certitudinem, quam diximus esse gratiã gratis datam, non esse grandem intensionem fidei virtutis: neque esse elicitiue ab habitu fidei: sed esse motionem quandam, & impressionem ab Spiritu sancto mouente intellectum, & voluntatem fidelis, vt multo certius assentiatur credendis, quam ille, qui operatur ex habitu: sicut enim quandoque Deus operatur miraculo se quodam excellentiori modo ea, quæ natura potest operari: ita etiam Spiritus sanctus (qui est causa principalis illius certitudinis, quæ spectat ad fidem, gratiam gratis datam; homo verò instrumentum diuinæ virtutis) excellentius operatur eam certitudinem, quam mediante homine, qui operatur assensum certissimum elicitum ab habitu fidei. Itaque excellentior est ea certitudo, quæ prouenit à gratia gratis data, quæ est fides quã ea, quæ prouenit ab habitu fidei.

6. *Et si roges.* Cum illa certitudo assensus eximia non sit ab habitu fidei: quare dicitur modus fidei virtutis? quia reperitur & identificatur cum assensu elicito à virtute fidei, vel supponit actum fidei virtutis, vt dicemus statim. In secundo argumento inquiritur finis, ad quem ordinauit Deus gratiam quæ est fides. *Resp.* non ad docendum absolutè articulos fidei: quia sine ea possent doceri, vt iam dixi: neque ad patranda miracula; quia sine ea effici possent: sed vt homo reddatur magis idoneus ad instruendos alios, de his quæ pertinent ad dogmata fidei, & ad miracula patranda.

Sed quomodo redditur magis idoneus ad hæc? Multipliciter, dando scilicet constantiam, ne proponens res fidei deterreatur impedimentis, quæ possunt prædicationi fidei occurrere, fiduciam itidem, id est firmam spem, quod fœliciter succedet prædicatio; & hæc omnia parit illa eximia certitudo fidei. Item in patrandis miraculis ea eximia certitudo fidei dat securitatem, quod eueniet certissimè effectus miraculosus sine vlla dubitatione, & hæc firmitas, & ablatio hæsitationis valde conducit ad miracula facienda, iuxta illud Matth. 21 *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis &c.* Et Iacobi 2. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* *Matt. 21. Iacobi. 2.*

Ad *tertium resp.* illam constantiam, prima facie, videtur pertinere ad fortitudinem, & fiduciam ad spem: cæterum cum ortum habeant ex certitudine eximia, (quam diximus spectare ad fidem, quæ est gratia gratis data) sicut illa certitudo non est elicitiue à virtute fidei: sic neque constantia à virtute fortitudinis, neque fiducia à virtute spei, sed sunt quædam impressiones Spiritus sancti complentes gratiam gratis datam, quæ est fides, vt insinuatur à D. Thom. 2. 2. q. 4. *art.* 5. *ad quartum.*

Pro

Pro cuius ampliori explicatione libet describere discursum, quem meditatus sum reperiri in vsu fidei, quæ est gratia gratis data, maximè quando versatur circa patranda miracula propter quod vocari solet fides miraculorum. Cupit quis confirmare fidem miraculis: necesse est in eo præcedere actualiter, vel virtualiter, assensum fidei virtutis, quo credat Deum posse perficere, siue se ipso, siue medio homine illo fideli, quod pertinet ad Dei omnipotentiam: sed adhuc quantumcunque iste assensus sit intensus, ac certus, non incepit vsus fidei: quæ est gratia gratis data: quia talem assensum potest quilibet habere, quando & quoties libuerit, at verò quando Spiritus sanctus vult liberaliter communicare donum fidei, quæ gratia est, imprimit actualiter quandam *motionem* intellectui, & voluntati cupientis confirmare fidem miraculis: quæ est certitudo quædam non solum de Dei omnipotentia, verum etiam quod Deus illa miracula operabitur eius fidelis ministerio: insuper & *fiduciam*, idest spem firmam, sine vlla admixtione hæsitationis, quod ita eueniet: hoc totum pertinet ad fidem, quæ gratia est, vbi homo habet se vt instrumentum Spiritus sancti: Deinde tertio loco succedit *impreßio* eiusdem spiritus, quæ est gratia miraculorum. Priorem assensum non est difficile inueniri in quolibet fideli: sicut in quolibet inuenitur fides virtus Theologica; secundum quod pertinet ad fidem, quæ est gratia, rarissime, & in raris, quia rarum Dei donum est, quod nemo nouit, nisi qui accipit. *Caietan.* Quæ verba vsurpat Caietanus in expositione Euangelici Textus.

Et hoc donum dedit Deus viris sanctitate insignibus: qui ausi sunt toto spectante Populo, pro confirmanda aliqua veritate fidei, polliceri res mirabiles: quam promissionem prudenter iudicaremus temerariam; nisi crederemus, eos diuinitus moueri, vt certo & infallibiliter crederent, ac fiderent sine vlla hæsitatione, per eos de facto efficienda fore mirabilia promissa. Talem fidem censeo habuisse Heliam, quando 3. *Regum* 18. promisit toto spectante populo Israelitico ignem de cælo descensurum, ac voraturum Heliæ victimam. *3. Reg. 18.* Similem etiam habuit fidem sanctus Dominicus, quādo cœtu fidelium, ac Hæreticorum adstante, promisit librum, in quo dogma catholicum scriptum erat illæsum ab incendio euasurum, libro Hæretici dogmatis in cinerem resoluto.

His præmissis *dico primo* Ad abigenda dæmonia per adiurationem non est necessaria in exorcistis fides, quæ virtus Theologica est. Et quidem non esse necessariam fidem, non inficiabitur is, qui agnouerit, in eiectione dæmonum exorcizantes se habere vt mera Dei instrumenta: Deum verò vt causam principalem: at homo infidelis assumi

potest à Deo vt instrumentum: ad quæcunque mirabilia patranda: ergo & ad abigendos dæmones. *Confirmatur*: nam per infidelem Balaā pro-
Num.22. phetauit Deus Num.22. cur non etiam per infideles poterit abigere dæmones? Sed de facto homines infideles hac vsos fuisse potestate infra dicemus.

Assertio *probatur primo* ab aliqui-
Matth.7. bus, ex illo Mat.7. vbi Christus Dominus ait: *Multi in illa die*: id est in die extremi iudicij, *dicent, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c.* sed hos esse infideles non certò constat, esse autē improbos viros benè constat ex illo verbo: *Non noui vos*, phrasi vsitata in sacra Scriptura, in qua sæpè agnitio
Ioan. 10. pro approbatione accipitur: vt illud
2. ad Ti.2. Ioan.10. *Ego cognosco oues meas*, & 2. ad
Matt.25. Timot.2. *cognouit Dominus qui sunt eius*:
Theophil. & Matt.25. *Nescio vos*: quod benè ob-
Orig. seruarunt Theophylactus, & alij veteres, & antiquior Origenes in ca.8. ad Romanos.

9. *Secundò probatur* ex Marc.9. vbi Io-
Marc.9. annes ait ad Christum: *Vidimus quem-*
Luc.9. *dam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos*: Lucas capit 9. *Qui non sequitur nobiscum*: id est non profi-
Vict. Ant. tetur tuam fidem. Ita Victor Antiochenus Marci 9. dicens: *Respondere licet, multos in Christum alioqui nō credentes, apud Iudæos extitisse: qui huiusmodi*
August. *gratias, & prærogatiuas acceperant.* Idem
Beda. D. Augustinus, libr. 4. *de consensu Euan-*
Theoph. *gelistarum capit.* 5. Beda & Theophylactus *Marc.* 9. non tamen isti Patres negare possunt, hunc aliqualem habuisse fidem, saltem acquisitam: qua credebat in Christi nomine potuisse dæmonia eijci, alias non eo vsus fuisset, non autem credebat Christum esse verum Messiam, ac filium Dei: sicut credebant Apostoli. Bene scio alios Patres affirmasse, hunc habuisse veram fidem Christi, quamuis enim non sequeretur. Ita Euthymius, Marc.9.
dicens: *Quidam eorum, qui crediderunt* *Euthym.*
gloria amore capti, imitabantur Apostolos, & per inuocationem nominis Christi expellebant dæmones, non sequebantur tamen propter continentiam, & asperum viuendi modum ipsorum. Hæc ille probabiliter: fuisse enim multos ex Iudæis, qui in Christum crederent, licèt eum cum Apostolis non sequerentur, ait Ioan-
nes *capit.* 8. igitur potuit fieri, vnum *Ioann. 8.*
ex his fuisse hunc; qui in nomine
eius dæmonia eijciebat. Ambro- *Ambrosi.*
sius etiam hanc confirmat sententiam: quare ex testimonio citato tātùm probabiliter nostra assertio stabilitur.

Tertiò probatur ex Actibus Aposto- 10.
licis capit.19. vbi narratio fit in hæc *Actu. 19.*
verba: *Tentauerunt quidam de circumeuntibus exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu: dicentes, adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Sceuæ Iudæi Principis Sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Ie-*

sum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens homo, in quo erat dæmonium pessimum, in eos & dominatus amborum, inualuit contra eos: ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi, & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu. Hæc Lucas, vbi clarè apparet homines, qui non credebant in Christum, imò qui aduersabantur doctrinæ Christi (sicut fas est credere de filijs Pontificis Iudæorum) in virtute Christi, & sub eius nominis inuocatione eijcere dæmonia. Ex quo timor reuerentialis inuasit Iudæos, & Gentiles, & factum hoc grandem gloriam adiecit Christo, & eius doctrinæ.

August. *Quartò probatur* ex Patribus. Augustinus namque *libro secundo, contra literas Petiliani.* 80. versans testimonium citatum ex Marc. & Lucæ 9. astruit nostrum assertum: & Patres

Luc. 2. quamplurimi explicantes illud Lucæ 2. *Filij vestri in quo eijciunt?* aiunt esse intelligendum de exorcistis Iudæorum, tempore Christi Domini: & Epiphanius, *aduersus Ilebiomtas Hæres.* 30. refert de Iosepho homine Iudæo, quod nec dum credens, in nomine Iesu à dæmonio hominem obsessum liberauerit.

Epiphan.

II. *Secundo dicò.* Potestas hæc propulsandi dæmones per adiurationem; non viget, neque viguit in communitate infidelium siue illi sint Iudæi, siue Sarraceni, aut Hæretici. *Probatur*, quia si potestas hæc vigeret in communitate infidelium, maximè in eorum pestiferis capitibus: Deus censeretur, & esset falsorum dogmatum testis, ac confirmator: quod Deo attribuere blasphemum est: igitur neutiquam concedenda est hæc potestas communitati infidelium. *Antecedens probatur:* quia potissimi fines, ob quos Deus Ecclesiæ suæ potestatem ad abigendos dæmones, & quæcunque alia mirabilia patrāda concessit: ij nimirum sunt, vt veritas fidei confirmaretur, aut sanctitas, vel innocentia abigētium innotesceret: sed si communitas infidelium, aut eorum peruersa capita, hac potestate fungerentur: omnes censerent eorum blasphema dogmata confirmari vsu & exercitio illius potestatis: ergo non est credendum Deum illam potestatem ijs infidelium communitatibus concessisse, ne simplices decipiantur, putantes eiectione dæmoniorum (quæ inter res mirabiles computatur) eorum peruersa dogmata confirmari, aut eorum damnabilem vitam approbari.

Secundò. Nunquam legimus hanc potestatem in exercitio viguisse apud infidelium cœtus: de quibus præsumitur in confirmationem falsæ doctrinæ suæ eam potestatem (si haberent) ordinaturos: ergo signum est eos non habere potestatem: nam si haberent eam, aliquando 12.

exercitio mandarent. Et quidem de Hæreticis potissimè nostra procedit probatio: qui etsi tentarunt sæpè dæmonia eijcere, non valuerunt perficere, cum passim apud Catholicos id videamus fieri. Historiam de hac re narrat eleganter Thomas *Bosius.* (*Tho. Bos.*) *libr. 23. de signis Ecclesiæ c. 1. sumptam ex Surio & Frederico Staphilo.* Sed age: verba Staphili perlege in absoluta responsione cōtra Iacobum Schmidelinum: *Possum ego* (inquit Staphilus) *redigere mihi in memoriam anno 1545. dæmoniacam quamdam puellam è Misnia ditione adductam Vvitembergam ad Lutherum: ea spe quod Lutherus, velut tertius Helias, puellam istam à malo dæmonio liberaturus esset. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandum, & magni momenti opus, initio non parum difficilem se ostenderet; at tandem tandem, iussit puellam adduci in Parochianæ Ecclesiæ Vvitembergensis Sacrarium: illicque coram aliis plerisque Doctoribus, & eruditis viris, (inter quos ego quoque magister iuuenis aderam) dæmonem cœpit adiurare, & exorcizare: sed id tamen more suo, non eo, qui apud Catholicos receptus & vsitatus est. Cum autem ille diù, multumque adiurasset dæmonem, cedere illi noluit; sed eas in angustias (sit venia verbo) Lutheri caligas redegit, vt is, quamprimum è sacrario se proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille dæmon vsque adeo fores sacrarii obstruxerat, vt neque forinsecus, neque intrinsecus, aperiri possent. Quæ res Lutherum in maiores angustias adduxit, ita vt iam ad fenestram properaret, sperans per eam se posse effugere, & exilire, verum obstabant illi cancelli ferrei sicque compulsus est, vna nobiscum tantisper inclusus, hærere, donec per cancellos ferreos ab æditua nobis oblata securis, mihique ceu iuueni vero tradita, vt ea fores affringerem, quod equidem tum conatus sum, & ad effectum perduxi. Interea vero visu admirandum erat, vt Lutherus angoribus correptus, sursum deorsumque cursitaret, atque instar ouis parturientis huc illucque se inuerteret.* Hactenus Staphilus. Eandem Historiam narrat Guillelmus Lindanus, Dialogor. 3 capit. (*Lindan.*) primo dubitantij, & Bredembacius, (*Bredemb.*) collationum lib. 7. capit. 40. qui & capit. 42. rem similem narrat de quadam fœmina, quam Hæretici tentarunt à dæmone liberare, nec valuerunt.

Obiiciet quispiam. Hoc dictum cum primo non cohæret, in primo asserimus non esse necessariam fidem ad dæmonum propulsationem, in hoc verò secundò negamus id cœtibus infidelium. *Resp.* nos consulto dixisse in hoc secundo dicto potestatem abigendi dæmones non vigere in communitatibus infidelium, quia communiter ad confirmationem suæ falsæ doctrinæ id tentant perficere, cui impossibile est Deum suppetias ire, aut testificari, imo etiam si ad hunc finem non intentent dæmones abigere, quando capita Hæreticorum id conantur; plebs rudis censeret, vel ad confirmationem suæ sectæ, vel ad approbandam sanctitatem suorum ministrorum Deum id operari. At vero in primo dicto asserimus, non esse inconueniens, 13.

quia

quin potius aliquando (sed rarò) accidisse, vt vnus, aut alter infidelis, hac potestate, & eius vsu profliget dæmones, quando, scilicet, ex circumstantijs rerum gestarum, hæc dæmonum profligatio non cedit in confirmationem falsæ doctrinæ, aut approbationem innocentiæ impiorum ministrorum; sed in Dei, & Christi Domini gloriam; quod videre licebit in exemplis allatis circa primum dictum. Nam ille, de quo Marci, & Lucæ. 9. Liberatus est à dæmone per infidelem, sed inuocato Christi nomine; vbi cum tam adstantes, quam exorcizans, essent Iudæi; non potuit eiectio dæmonum per inuocationem nominis Christi ordinari ad impugnandam fidem Christi, quam impii Iudæi impugnabant; sed ad Christi laudem, magnificentiam, potestatem, ac gloriam. Idem dico de filiis Sceuæ summi principis sacerdotum. At verò quando Hæretici exorcizant, inuocant Christum, cuius doctrinæ ipsi se iactant professores. Vnde si rude vulgus videret eorum exorcizationem ad effectum dæmonum pellendorum perduci; putaret eo signo impia dogmata Hæreticorum confirmari; quare DEVS iis non confert talem potestatem.

13; *Dico tertio* Fides, quæ inter gratias gratis datas annumeratur, non est necessaria ad abigendos dæmones; sicut neque ad alia mirabilia efficienda, quæ superant naturales hominum vires.

Probatur primo. Quia hæc gratia gratis data, vel est idem cum assensu fidei virtutis Theologicæ, vel supponit illum, vt superius prænotaui ex D. Thom. doctrina. Sed in primo asserto probauimus, non esse necessariam fidem, virtutem Theologicam, adesse exorcizantibus, & abigentibus dæmones: ergo neque fides, quæ Dei donum est, est necessaria ad id perficiendum. *Secundo.* Sæpè exorcistæ fideles accinguntur, vt per exorcismos Ecclesiæ, abigant dæmones; nullam certitudinem habentes se eiecturos: imo valde dubitantes de successu fœlici, & tamen quandoque reuera eijciunt eos ab obsessis: ergo ad expulsionem dæmonum non est necessaria fides, quę dicitur donũ Dei, & inter gratias gratis datas computatur. *Probatur cõsequentia* ex præiacto fundamento, vbi asseruimus fidem, quæ donum est, & gratia gratis data perfici certitudine futuri euentus circa rem aliquam mirabilem perficiendam.

Dico quarto. Nil ita proximè conducit ad expellendos dæmones, sicut fides exorcizantium, aut exorcizatorum. Consulto addidi, proximè: quia licet charitas habeat hos effectus eminenti quodam modo præ cæteris virtutibus: tamen charitas censenda est vt causa vniuersalis, eo quod forma est, & parens cæterarum virtutum: quibus adscribendi sunt peculiares effectus, vt proximis principiis: saltem per appropriationem, & isto pacto dicimus

fidem potissimè conducere, quia proximus psponit propter statim dicenda. Hoc assertum colligitur ex sacris literis citatis in argumentis factis initio dubitationis. Imo ferme omnis operatio miraculosa, & prodigiosa attribuitur fidei in sacra Scriptura.

Et quidem de fide, quæ virtus Theologica est, sic ostendo, & explico assertum nostrum. Nam omnes operationes miraculosæ, ac mirabiles, inter quas reponitur fugatio dæmoniorum, potissimè ordinantur ad confirmationem dogmatum fidei: vt supra docuimus, & habetur *Marci vltimo*: ergo congruum est, vt habenti fidem, maximè concedatur mirabilia operari: præcipuè dæmonum eiectionem. *Secundo*, quia fides qua credimus Dei adiutorio dæmones ab hominibus posse fugari, & ab eisdem multa alia mirabilia fieri, habet pro ratione, & medio huius assensus diuinam potentiam, quæ valet operari supra captum naturæ: ergo valde disponitur per huiuscemodi fidem, qui dæmones vult abigere, ne hominibus molesti sint.

Quod autem valdè conducat ad dæmones fugandos fides, quæ est gratia gratis data, apertius est, quia ipsa est, quæ dat firmitatem, securitatem, & fiduciam certam omni operanti mirabiles res, vt patet ex prænotatis in initio dubitationis: ergo & abigenti dæmones, quod inter res mirabiles, & quæ excedunt hominum naturales vires cõputatur. Quin imò si adsit fides, quæ est gratia gratis data ad eijciendos dæmones, nisi apponatur ab homine impedimentum, aut ob ex, infallibile erit adesse dæmonum eiectionem per gratiam miraculorum.

Superest *respondere argumentis* factis in oppositum ad probandum, fidem esse necessariæ requisitam: sed antequam eis satisfaciamus, aduertendũ est, multa testimonia, quæ de fide loquuntur, interpretari antiquos Patres, de fide, quæ est gratia gratis data, & pleraque alia de fide virtute Theologica: at hisce nostris calamitosis temporibus (quando omnium Hæresum sentina expositione fidei cuiusdam fictitiæ, quam Hæretici huius ætatis, satis superque esse ad salutem consequendam asseruere, emanauit, occasione capta ex aliquibus sacræ Scripturæ locis, qui de fide loquuntur) nullo modo admittunt vllum locum, vbi fit mentio fidei, esse interpretendum de fide virtute Theologica, (quam Patres Orthodoxi rectè constituunt esse iustificationis exordium,) sed de quadam monstruosa, & fictitia fide quã ipsi confingunt, quod non est præsentis instituti disputare. Cæterum moderni Catholici quamplures, in aliud extremum declinantes, vix admittunt vnum aut alterum testimonium de fide, gratia gratis data interpretandum; sed de virtute Theologica. Nos verò cum Patribus antiquis quædam de fide vir- 16

de virtute Theologica, quædam de gratia gratis data, prout sacri textus intelligentia postulat, explicare non verebimur, respondentes ad argumenta proposita in principio dubitationis.

17. Marc. vlt. 1. Exposi. In primo argumento affertur testimonium in hoc articulo sæpè citatum ex *Marci vltimo*, quod vt semel exponamus fusius quam alibi, *notandum* est, quosdam illud interpretari de fide, quæ est gratia gratis data, non de fide, quæ est virtus Theologica. Quia illi effectus mirabiles ibi recensiti:non sunt fidei virtutis, quæ communis est omnibus Christianis: sed fidei, quæ donum est, & gratia gratis data: quam quidam, & rari habent, alij & plures carent. Ita videtur interpretari Alphonsus à Castro, de Hæresibus, verbo Exorcismus: nec est omnino improbabilis expositio: maximè si asseratur fidem, quæ donum est identificari, cum actu fidei virtutis. Castro.

18. Existimo tamen, illum locum esse intelligendum de fide, quæ virtus Theologica est, & necessaria omnibus fidelibus, non de gratia gratis data Probatur, quia de ea fide loquitur DOMINVS, de qua immediatè ante dixerat: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*. Certum est autem illic fieri sermonem de fide Theologica virtute: qua qui carent condemnabuntur: ergo non de fide, quæ est gratia gratis data. Quo supposito.

Quidam dicunt, præfatum testimonium esse intelligendum de potestate faciem mirabiles res illas, non de actu faciendi: illam habuerunt omnes Christiani primitiuæ Ecclesiæ; hunc non omnes, etiam sanctissimi viri. Qualis fuit Ioannes Baptista, de quo dicitur Ioannes vigesimo nullum miraculum fecisse. Hæc interpretatio non placet: quia illa potestas vel est per designationem ad facienda miracula, vel per idoneitatem: non primum, quia etiam in primitiua Ecclesia non omnes fideles designati erant ad eos mirabiles effectus perficiendos: neque etiam fideles huius temporis. *Secundo*, quia prior illa sententia: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* respicit omnes fideles etiam huius temporis: ergo & illa, quæ statim subiungitur; *Signa autem eos, qui crediderint, has sequentur, &c.* 19 Ioan. 20.

Secunda expositio vt illa promissio tantum fuerit facta fidelibus primitiuæ Ecclesiæ; quia sicut omnes, aut ferè omnes incumbebant prædicationi fidei; ita omnibus aut ferè omnibus assistebat Spiritus sanctus, vt per eos mirabilia patraret ad confirmationem eorum, quæ prædicabant. Sed expositio hæc exploditur, pari ratione sicut prima. 2. Expos.

Tertia

3. Expositio. *Tertia expositio* est domini Caietani super hunc locum dicentis, quan-
10 *Caietan.* tum est ex parte virtutis fidei nisi impedimentum ab habente fidem præstetur, sequentur ea mirabilia. Hæc interpretatio propius rem attingit, in eo tamen quod insinuat secluso impedimento, aut defectu fidei virtutis, semper ea signa subsequutura falsa mihi videtur; quia sæpè contigit, & modo contingit viros fide, & sanctitate insignes nullum apponẽtes impedimentum hos mirabiles effectus non perficere.

4. Expositio. *Quarta expositio* mihi magis arridet, scilicet, eam promissionem Christi Domini non esse ita amplè intelligendam, vt verba in cortice sonant; sed quibusdam appositis limitationibus Pro cuius expositione, lector studiosè, *aduerte regulam* ad intelligendam sacram Scripturam apprimè necessariam; ea est. Propositiones quasdam affirmatiuas, & vniuersales in sacris literis sæpè esse intelligendas non in ea amplitudine, quã verba referunt, sed quibusdam subintellectis; verbi gratia, dicitur Matthæi septimo, & Lucæ. 11. *Petite & accipietis, &c. quia omnis, qui petit, accipit*, etiam dicitur Iacobi quarto. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.* Igitur debet illa vniuersalis intelligi si petitio legitimis sit vallata conditionibus; de quibus egimus tractantes de efficacia orationis. Est etiam alterum exemplum immediatè ante testimonium, quod versamus ex Marci vltimo; vbi dicitur. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*; nunquid ea vniuersalis, vt verba in cortice sonant intelligenda est? absit. Sic enim intelligit Caluinus; cum tamen multi credentes & baptizati detrudẽtur in infernum. Sed intelligi debet, si adsint alia necessaria ad salutem; quæ ex sacris literis colliguntur, putà charitas, pœnitentia, & interdum Exomologesis peccatorum; id est confessio.

Regula ad intelligẽdã Scripturam.

Matth. 7. *Luca. 11.* *Iacob. 4.*

Non dissimiliter ea propositio; *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*, non debet intelligi, omnes quotquot crediderint ea signa effecturos; sed subintelligendo quando, & quomodo oportuerit; & eos, quos oportuerit: non enim omnes fideles fœminas ea respicit sententia, quibus enim non est datum in Ecclesia loqui, nec etiã hæc signa facere, quia Ecclesiæ non esset vtile, & ipsis esset perniciosum Item cum hæc signa facere Deus dederit ad Ecclesiæ communem vtilitatem, & fidei confirmationem, non eodem modo verificabitur tempore primitiuæ Ecclesiæ, & modò. Nã tempore nascẽtis Ecclesiæ, vt supra deduximus ex Gregorio, & August. necessaria erant crebra prodigia & signa; vt fides nouella confirmaretur, & stabiliretur. Confirmabatur autem prodigiis & signis; frequentius autem eiectione dæmonum ab obsessis, & linguarum dono, vt constat Matthæi & Lucæ 9. & alibi sæpe, & in actibus Apostolorum. *Matt. 9.* *Luca. 9.*

Quar.

Quare ferè omnes fideles vt concionatores, ita & miraculorum patratores erant. At verò nostris temporibus: quia Ecclesia iam per orbē propagata, & tot radices altas misit: hæc miracula à Diuo Marco recensita, non ita crebrò fiunt, sed rarò, quando id expedit vtilitati Ecclesiæ Christianæ. Quare illa promissio nō ad singulos fideles extenditur, sed dumtaxat ad eos, quos & quando diuina prouidentia viderit expedire vtilitati communi Ecclesiæ, vel in confirmanda fide, vel in manifestanda alicuius communitatis, aut virorum piorum sanctitate, aut alio quopiam simili.

11 His suppositis, pro interpretatione illius testimonij *ex Marci vltimo, ad argumentum respondetur*: ex eo non colligi omnes fideles pollere potestate actualiter pellendi dæmones: & esto ita esset, negatur consequentia, quæ fit à contrario sensu, scilicet eos, qui fide caruerint, non posse dæmonia eijcere: quia argumentatio à contrario sensu non valida est: similiter illa: sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio causa negationis, nisi affirmatio sit causa totalis affirmationis: non autem sic fit in præsentiarum: quia sola fides non sufficit ad eijciendos dæmones, aut alia miracula patranda: cum requiratur gratia miraculorum, quam non omnes fideles habent. Distinctas enim esse gratias, fidem, & gratiam miraculorum, patet ex Diuo Paulo, loco citato, & ex Diuo Thoma 2.2, *quæstione* 178. *art.* 1. *ad* 5.

Quinimò addiderim (quod valdè notandum est) neque fides, virtus Theologica, neque fides, quæ est gratia gratis data, sunt principia proxima patrandi miracula, sed dispositiones ad recipiendum donum miraculorum: quod est principium actiuum instrumentale talis patrationis: ita Diuus Thom. *de potentia, quæstion.* 6. *articul.* 9. *ad primum.* Dispositiones, inquam, sunt, sed diuerso modo: nam fides, virtus Theologica, disponit subiectum ad gratiam miraculorum recipiendam, non quia infallibiliter sequatur ea receptio, potest enim sine vlla culpa non sequi: cum multi viri pij & fideles non faciant miracula, sed quia reddit idoneum ad modum superius explicatum in quarto asserto: at verò fides, quæ est gratia gratis data, ita disponit subiectum, ac reddit idoneum ad gratiam miraculorum recipiendam: vt si per ipsum subiectum non steterit, infallibiliter sequetur & receptio gratiæ miraculorum, & eorum patratio. Quæ omnia patebunt consideranti, quæ diximus initio huius dubii explicantes, in quo consistat, & compleatur ratio fidei, quæ est gratia gratis data.

D.Thom. D.Thom.

Testimonium adductum in *argumento secundo* initio dubitationis facto valdè vrget aduersus primam, & tertiam assertiones nostras. Insuper difficile explicatu est de qua incre- 12

eos acerrimè reprehenderet, quod non fecisse apertè constat ex sacro textu.

24 Alii aiunt, Apostolos non perdidisse fidem; sed non habuisse eam, quæ necessaria erat ad dæmonem illum expellendum. Ita Caietanus super *caput* 17. *Matthei.* Quæ autem esset ea fides necessaria ad dæmonem expellendum, non explicat, neque probat eam esse necessariam ad id efficiendum, de quo nostra procedit dubitatio.

Caietan.

Alii communiter dicunt, Apostolos non fuisse passos dispendium fidei, sed diminutionem, & sic explicant Patres citatos, maximè Hilarium. Sed neque hoc placet, quia isthæc diminutio fidei, aut extitit ex parte obiecti, ita quod Apostoli discrediderunt vnum articulum fidei, quem antea crediderant; & hoc non, quia amisissent totam fidem, vt Diuus Thomas demonstrat supra *quæstion.* 5. *articul.* 3. aut vero diminutio facta est quantum ad intensionem, ita quod fides eorum remissior fuit, quando eis obtulerunt puerum obsessum; & neque hoc consistere potest, quia, vt superius ostendimus, intensio fidei non est principium miracula faciendi; cum videamus homines sanctissimos & feruentis fidei, qui non faciunt miracula, vt Ioannes Baptista, de quo *Ioannis vigesimo* dicitur nullum fecisse miraculum; ergo neque propter remissionem fidei, Apostoli impotentes euasere ad eijciendum dæmonium à puero illo obsesso.

D.Thom.

Ioan. 20.

In præfato testimonio explicando sacræ Scripturæ interpretes sine distinctione loquuntur; dum nunc de incredulitate, quæ opponitur fidei, nunc de ea quæ opponitur fidei gratiæ gratis datæ, permixtè interpretationem instituant; ita vt vix percipias de qua fide sua placita depromant; fortasse confusionis causa est, quia fides, quæ est gratia, non distinguitur realiter à fide virtute: sed tantum addit modum quemdam, vt superius docuimus. 25

Mihi verò sub correctione doctiorum videtur dicendum, illum locum interpretandum de incredulitate, quæ opponitur fidei, quæ est gratia gratis data. Moueor argumentis factis in secundo loco pro hac parte. Itaque assero Domino existente in monte Thabor cum tribus discipulis, cæteri Apostoli oblatum puerum dæmoniacum non potuerunt sanare, non quia fidem Theologicam virtutem perdiderint, sed propter defectum fidei, quæ est gratia gratis data, quæ licet possit haberi sine vllis meritis, aut non haberi sine vllis demeritis, cum ab Spiritu sancto pro sua voluntate quibusdam negetur, & quibusdam communicetur: tamen homines interdum posse apponere obicem, & impedimentum præ[illegible] fidei dono.

& alijs gratiis recipiendis non dubito: maximè si mens humana aliquibus perturbatis affectionibus vrgeatur: quod Apostolis accidisse in euentu commemorato, mihi fit verosimile, & in receptione propheticæ impressionis palam fit.

Quod dicimus: quia spiritus propheticus aliquando Prophetis defecit propter perturbatum animum: cuius pacatio & quies necessaria est ad recipiendas propheticas impressiones. Esto exemplum in Heliseo,
4. Regũ 3 4. *Regum* 3. qui & prophetare cupiens de quodam euentu belli, non valuit, eo quod zelus Dei contra Regum Israel ipsius mentem turbauerat, atque indispositam reddiderat ad propheticam reuelationem recipiendam: & ideò iussit adduci fidicinem, qui pulsando cytharam, caneret: Ad quid? ad disponendum se ipsum in mentis eleuationem: quia ira iustissimè concepta contra Regem idololatram, sic eius mentem turbauerat, vt non esset ita aptus, sicut conueniens erat ad prophetandum.

Non dissimiliter, Apostoli eo tẽpore, quo oblatus est illis dæmoniacus puer, turbati erant: & consequenter non apti ad recipiendas impressiones diuinas: id est gratiam fidei, & miraculorum: & ideò præstiterunt impedimentum, & apposuerunt obicem, ne fides solita ad facienda miracula eis communicaretur: & hanc turbationem, vt reor, vocat supra Hilarius torporem eorum fidem relaxantem.

Et si roges: vnde prouenerit Apostolis huiuscemodi perturbatio? Respondet Lyranus, ex affectu inuidiæ, quam conceperant ex ascensu Iesu in mõtem Thabor cum tribus discipulis, cæteris relictis ad montis radicem: Nam licèt ipsi ignorarent Dominum perrexisse in montis verticem suam ostensurum gloriam: tamen benè viderunt aliquod secretum tribus Apostolis dumtaxat pandere voluisse: & ideò inuidiæ falcibus agitati, valdè turbati erant: ac proinde indispositi vt fidei donum, necessarium ad eijcienda dæmonia reciperent. Magna namque mentis recollectio, ac pacatio requiritur ad recipiendas diuinas impressiones; quales esse diximus gratias gratis datas. Et per oppositũ perturbatio mentis non modicum apponit eisdem recipiendis obicem & impedimentum. 26

Secundo respondetur, ortam fuisse eam perturbationem in Apostolorum mentibus ex ira aduersus Iudæos concepta. Nam vt colligitur ex *Marci* 9. Scribæ sequebantur Dominum potius calumniandi, quam pietatis causa, & eum non inuenientes, quia montem Thabor ascenderat cum tribus discipulis; cœperunt disceptare cum reliquis Apostolis, ad montis radicem relictis, fortasse probrodantes, quod puerum dæmoniacum non potuissent sanare. Rationabile autem est, inquit Caietanus *Marci nono*, quod Scri- Marci 9. Caietan.

Scribæ imputarent diſcipulis mali aliquid: putà quod vanè ſequerētur Ieſum, aut eius detrahentes poteſtati, & ſanctitati: Scribis autem arguētibus, & Apoſtolis reſpondentibus, haud dubium quin Apoſtoli zelo ſui Magiſtri accenſi, iraſcerentur aduerſus Iudæos, & perturbarentur: & ideo non potuerunt dæmonium eijcere, apponentes obicem & impedimentum ad donum fidei & gratiā miraculorum recipienda: quod apponitur maximè per iræ perturbationem, etiam ſi ex zelo iuſtitiæ prouueniat, vt patet in Heliſeo, de quo ſupra. Obiurgati ſunt autem de hac incredulitate, id eſt carentia fidei, quia vix reperitur iuſtus, qui ſi his affectibus inardeſcat non excedat metas & limites virtutis: quamuis ortum habuerint ex zelo virtutis.

Quod ſi mauis omnino inculpabiles Apoſtolos iudicare in hac ſua perturbatione, dicito, Chriſtū Dominum in Apoſtolis, fidem, quę gratia eſt, voluiſſe deficere ad oſtenſionem & gloriam ſuæ poteſtatis. Fortaſſe enim exiſtimabant Iudæi Chriſtum ſimul & Apoſtolos parem eijciendi dæmonia accepiſſe poteſtatē, ſicut exorciſtæ Iudæorum: vt igitur oſtenderet eam poteſtatem ab eo in Apoſtolos deriuari, & certis limitibus communicari, eumque eſſe caput ac largitorem illius poteſtatis: voluit in eis deficere principia illius poteſtatis (videlicet fidem, ac miraculorum gratiam) vt non poſſent liberare puerum dęmoniacum: quem coram ſe oblatum ſanauit, imperioſè iubens dæmonem exire, non in nomine alterius, vt faciebant diſcipuli in nomine Ieſu, ſed abſolutè iubendo: vt ſic magna Iudæorum turba, quę ad eum conuenerant, agnoſcerent non ab alio, ſed à ſe hanc mirabilem habere poteſtatem.

Ex dictis colligimus, in teſtimonio quod verſamus, ſermonem fieri de incredulitate, quæ opponitur fidei, quę eſt gratia gratis data: licet non ob id negemus hanc fidem identificari cum fide virtute Theologica, aut eam ſupponere.

27 *Dicet quiſpiam*, adhuc inſolutum manere argumētum ſecundum: quo contendebamus probare, ſine fide non poſſe dæmonia eijci: fateor, adhuc ſolutione eget: Nam quæ diximus ad explicationem teſtimonij obſcuri ex Matthæo allati dumtaxat conducunt.

Solutio igitur argumenti eſt, ſine fide virtute Theologica adiurantes, aliquando, ſed rarò dæmonia eieciſſe, ſine fide etiam quæ gratia eſt, ſæpè: quod experientia vidimus ferè in omnibus exorciſtis noſtri temporis: at Apoſtoli, & eorum coætanei Chriſtiani, rarò, aut nunquam ſine vtraq; fide id effecere, non enim poteſtas eijciendi dæmonia, & alia, quę exuperant naturæ vires, eis quantulacunque conceſſa eſt, ſed copioſiſſima: in qua annectebantur duę gratiæ gratis datæ: fides ſcilicet, & miraculorum gratia: fides quidem, vt certiſſimè & ſine vlla hæſitatione crederent

derent omne miraculorum genus se posse perficere, & firmissimè se facturos esse sperarent: quod necessarium fuit, ne temerè se ingerentes rerum mirabilium patrationi, si euentus deesset, ludibrio exponerētur ipsi, & eorum doctrina, & statim sequebatur miraculorum gratia.

Itaque fidei donum non semper comitatur miraculorum gratiam: vt patet in eiectione dæmonū facta ab exorcistis nostris: comitatur autem copiosam gratiam, qualis erat in Apostolis, & postea, sed rarò in hominibus insignis sanctitatis: & in his deficiēte fide, deficiebat miraculorū gratia: quia annexæ erant, in copiosa illa eorum potestate: at in alijs, in quibus non est ita copiosa potestas nō est necesse ad illa fidem, quę donum est.

28 Ad *tertium* quidam moderni nequaquam patiūtur illud testimoniū de fide, quæ est gratia gratis data intelligi debere: ne videantur conuenire cum Caluinistis fingentibus, nescio quàm monstruosam fidē, per quàm (aiūt) iustificamur. Nos verò, eorum fidem fictam detestantes, nō formidamus prætatum testimoniū, de fide, quæ gratia est, & valdè conducit ad miracula facienda intelligere cum Chrysostomo, Euthymio, & Theophylacto, ac Abulensi, super *caput* 17. *Matth. quæstio.* 165. & certè locus vix explicabilis est de fide, virtute. Multos enim nouimus aut legimus ingenti, & ardenti fide ornatos, nullum tamē miraculū patrasse: ergo sermo Christi Domini, eo in loco, non est intelligendus de fide virtute. Sed quidquid de hoc sit, *respond. ad argument.* vtramque fidem valdè conducere ad dæmones eijciendos, & alia mirabilia, quæ excedunt humanas vires, patranda, vt nos latè deduximus superius, & ob id valdè ad isthæc opera perficienda à Christo Domino commendari: at verò nō inde infertur sine ea dæmones abigi nō posse. Sat enim est gratia miraculorum pollere: ad hanc enim potestas eijciendi dæmonia reducitur, vt superius docui.

Chrysost. *Euth.* *Theoph.* *Abul.*

DISPVTATIO IX.

An oratio, & ieiunium necessariò prærequirantur in adiurante dæmones, vt eos expellat?

1 ET pars affirmatiua videtur colligi ex Matthæi 17. & Marci 9. vbi Apostolis sciscitantibus quare non potuerint dæmoniacum puerum liberare, respondit Christus: *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.* Quod testimonium de omni genere dæmoniorum explicant Athanasius lib. de virginitate, Chrysostomus, & Euthymius, & D Thom. super caput. 17. Matth.

Matt. 17. *Marci.* 9. *Athanas.* *Chrysost.* *Euthym.* *D.Thom.*

In oppositum est. Nam fidei attribuitur isthæc potestas: at fides benè potest haberi sine oratione, & ieiunio: ergo, &cæt. *Confirmatur:* nam multa dæmonia expulerunt Apostoli sine præuio ieiunio Marci. 9. & Lucæ 10.

Marci. 6. *Lucæ.* 10.

Tertiò,

Tertiò. Esto Dominus loquatur, non de omni dæmoniorum genere, sed quodam ferocissimo & sæuiori, quale erat, quod vexabat puerum relatum in testimonio Matthæi. 17. & Marci. 9. vt testantur Hieronymus super Matthæum, & Leo sermone secundo de ieiunio septimi mensis, adhuc tamen videtur falsum, sine ieiunio & oratione adiurantis non posse pelli: quia gratia miraculorum, maximè comitata fidei dono, potens est ad omnia dæmonia profliganda. Et confirmatur, Lucæ. 10. ait Christus Apostolis sine vlla limitatione: *Ecce dedi vobis potestatem non super hos, aut illos dæmones, sed super omnem virtutem inimici:* & capit. 9. *dedit eis potestatem super omnia dæmonia.*

Hierony. D. Leo. Luc. 10.

2 Pro *responsione dico primò.* Ad omne genus dæmoniorum fugandum valdè conducit oratio, & ieiunium adiurantium conanti im per exorcismos dæmones expellere. *Probatur*: Nam ieiunium mentem præparat ad orationem: oratio impetrat fidem, & miraculorum gratiam: quę potiora dona sunt ad debellandas aëreas potestates. *Qui orans ieiunat* (ait Diuus Chrysostomus) *binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando præteruehitur: non enim oscitat, neque extenditur, nec torpet orando, sed igne ardentior, & terra superior est: quare terribilis hostis dæmonibus redditur. Nihil enim est in homine probè orante potentius.* Perlege eundem Chrysostomum de hac re probè concionantem *homilia 59. super caput 17. Mat.*

Assertio 1. Chrysost.

Deinde probatur ratione sumpta ex D. Thom. *quæstion. 6. de potentia, art. 9. in corp.* quantò animus adiurantis magis abstrahitur à sensibilibus, & ad superiora eleuatur, tãto fit magis idoneus ad recipiendam gratiam miraculorum, ad quam potestas abigendi dæmones reducitur: sed per orationem, & ieiunium fit istiusmodi abstractio, & eleuatio, plus quã per alias virtutes morales: quia per ieiunium à carnalibus, & corporalibus affectionibus abstrahitur, & per orationem, cum sit ascensus mentis in Deum, in superna eleuatur: aliæ verò virtutes non habent hoc: ergo ieiuniũ, & oratio præ cæteris virtutibus moralibus conducunt in exorcizantibus ad fugandos dæmones. *Maior* à nobis supra declarata est in omni gratiarum gratis datarum receptione.

D. Thom.

Secundò dico. Absolutè loquendo sine oratione, & ieiunio possunt exorcizantes dæmonia eijcere. Probatur omnibus argumentis factis pro parte negatiua huius dubitationis. 3 Assertio 2.

Dico tertiò. Est quoddã dæmoniorum genus, quod regulariter non potest eijci, nisi præcedentibus ieiunio, & oratione. Dico, regulariter, quia potestas diuina in operibus miraculosis peragendis, neque ieiunio, neque orationi, aut alijs virtutũ actibus alligata est. Quare omne dæmoniorũ genus, aliquando sine oratione, & ieiunio profligari non dubito: quando id Dei prouidentia ordinauerit propter fines, quos ipse scit.

Assertio 3.

Hoc

Matt. 17. Marc. 9. Hoc assertum expresè habetur *Matthai 17. & Marci 9.* Quod testimoniū videtur necessario intelligendum de aliquo speciali genere dæmoniorū: & certè pronomē, *Hoc*, id manifestat. Cùm enim discipuli interrogassent Dominum; cur qui alios eiecissent dæmones, hunc fugare non potuissent? Dominus post alia inquit: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in oratione, & ieiunio:* ac si diceret: quauis potestate à me accepta, multa dæmonia expuleritis: tamen in hoc dæmoniorum genere non sat est consueta, & ordinaria facultas; quia scilicet, nō ita facilè pellitur, vt cætera. Hæc meo inuocato nomine fugiunt: illud nisi oratione, & ieiunio præcedentibus non exibit. Ita explicat Abulensis *Matthai 17. quæstio. 172.* Abulen. & approbatur communiter à modernis expositio: nam alia de omni dæmoniorum genere vix adaptari potest historiæ Euangelicæ, & circūstantijs eius. Ex his responderi potest ad argumenta facta initio huius dubij.

4 Sed tamen adhuc animus non quiescit, nisi discutiamus multa quę in prædicto testimonio inuoluūtur. *Primum* esse aliquod dæmoniorum genus, quod difficilius, quàm cætera ab hominibus molestandis abiguntur. Hoc certo certius est. Tum experientia exorcistarum affirmantium se quosdam dæmones facilè profligare, in alijs verò expellendis per multos dies valde laborare: imò quandoque re infecta recedere. Tū ex testimonio citato id ipsum manifestè apparet in dęmone, quem Apostoli non potuerunt eijcere: cùm quàmplurimos alios expulissent.

Secundum scitu dignum, qui sint illi, qui difficilius eijcientur; ad quos fugandos adiuratores ieiunio, & oratione muniri necesse est? Quidam aiunt eos difficilius pelli, qui superiorum ordinum sunt; eo quod maiores vires possident: sicut in humanis difficilius à ciuitate pellitur ferocior inimicus, quàm imbecillis: iuxta illud: *Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: cùm autem fortior illo superuenerit, vniuersa eius arma auferet, & spolia distribuet, &c.* Lucæ 11. Lucæ 11. Sed hæc coniectura leuis est. Etenim siue dæmones sint inferioris ordinis, siue superioris, quilibet etiam infimi ordinis, vires habet ad superandum, & subiugandum fortissimos quosque homines: ergo parum retulerit ad difficilem egressum esse superioris, aut inferioris ordinis. *Item* dæmones non affligunt obsessos pro quantitate virium dæmoniacarum: quia non permittuntur quantum possunt affligere: aliàs omnes homines occidissent; sed modus, & terminus afflictionis ex mensura à Deo permissa sumitur: At fieri potest (& credo fieri) vt plus permittatur aliquando sęuire in hominem, dæmoni inferioris ordinis, quàm superioris: ergo non quia aliquis dæmon ad ordinem superiorē pertinet, difficilius pellitur. Sed sępè accidere verosimile est, plus labor a

re exorcistas in pellẽdis quibusdam dæmonijs inferioris ordinis, quàm superioris.

5 Alij asserũt, eos dæmones difficilius expelli, qui nullã, neque tantillam requiem miseris obsessis impertiuntur. Hi refutãtur exemplo illius dæmonis, quem difficile expellendum ait Euangelica historia: & eadem affirmat *Marci, & Lucæ nono.* aliquando relinquere puerum obsessum, ac posteà redire. Et eadem historia refutantur illi, qui dicunt eos dæmones difficilius expelli, qui ingressi sunt ob culpam obsessorum. Nam ille puer dæmoniacus cùm ab ineunte ætate vexatus fuerit, vt dixit pater eius; verosimile est non ob culpam suam in tam teneris annis dæmonis vexationem sustinuisse.

Marc 9. *Luc. 9.*

Alij dicunt, eos dæmones difficilius pelli, qui diutius energumenos vexarunt: sed hi nullo firmo fulciuntur fundamento. Quid enim ad difficilem egressum, diutius inhabitasse hominem? Certè mihi persuadeo; dæmonem hunc, qui vexauit præfatum puerum non minus difficile expellendum à primo die sui ingressus, quàm post multos annos, cum statim illum puerum malè affecerit priuatione auditus, & loquelæ.

6 His, quæ allata sunt, rei huius incertitudo, ac dubietas facilè dignoscitur: nequeo autem negare ex Christi Domini reuelatione certò constare, esse aliquod dæmoniorum genus, quod difficilius pellitur, quàm cætera. Quod est illud? lunaticum, surdum, ac mutum. Pater pueri nũc lunaticum vocat: nunc surdus, & mutus vocatur, Matthæi 17. sic fatetur: *Filius meus lunaticus est*: & Marci 9. *Tuli filium meum habentem spiritum mutum*: quod verò idem etiam surdus fuerit, Christi sermo enunciat: *Surde (inquit ille) & mute spiritus præcipio tibi, exi ab homine.* Oportet autem obiter notare dæmones dici mutos, ac surdos, non quia non intelligant, quæ dicuntur, aut quia loqui non possint: sed quia efficiant obsessos surdos, ac mutos eos, quos inhabitant. Et lunatici dicuntur, quod certis Lunæ temporibus & decrementis grauius torqueant. Igitur ex Euangelica historia habemus, ea dæmonia, quæ miseros obsessos surdos, ac mutos efficiunt, difficilius propulsari à corporibus obsessorum: an verò hi soli sint, qui difficilè expellantur, & an ad eorum expulsionem sit necessarium præcedere orationem, & ieiunium, fateor me ignorare: nec se offerunt principia, vnde possim aliquid certum colligere.

Matt. 17. *Marc. 9.*

Quibus autẽ de causis dæmones lunatici, muti, ac surdi, & si qui sunt alij, difficilè expellantur non est facilè diffinire. Lyranus in *nonum caput Marci* ait, id prouenire ex viribus præstantioribus horum spirituum lunaticorum, mutorum, ac surdorũ. Sed eisdem rationibus impugnatur, quibus illi, qui asserunt dæmones superioris ordinis difficilius profligari. *Item* virtus diuina, à qua 7

Lyranus.

dęmonia expelluntur, etiam si minima sit, potens est omnes vires, ac robur fortiorum dæmonum; imò totum infernum profligare: ergo difficultas maior exeundi non oritur ex magnis viribus dæmonum, quæ relatæ ad diuinam virtutē nihil sunt, & nihili æstimantur. *Dices* quis: sunt dæmones muti, & surdi; ac proinde, neq; ad interrogata respondere, neque exorcismos audire. Benè quidem, si ad obsessos sermo dirigeretur: at ad dæmones inhabitantes destinatur: qui percipiunt exorcismos, & possunt vincula linguæ mutæ soluere, quàm ligauerunt.

8 Vt rationem, quare dæmones lunatici, surdi, ac muti difficilius ab obsessis pellantur inuestigemus, aliquot præmittenda sunt. *Primum* est, quædam dæmonia maiorem accipere potestatem supra energumenos, quàm alia; & hoc nō prouenire ex maioribus viribus dæmonum inuadentium, tum, quia minimus dæmonum posset omnes homines subiugare: neque ex voluntate absoluta dæmonū: namq; sua est erga homines inuidia, & odium si pro volūtate sua, ac virium quātitate permitterētur debacchari, omne hominum genus funditus interemissent, vt annotauit Chrysostomus super *caput Mat.* 17. Sed id prouenit ex Dei permissu, ac ordinatione prouidente, vt nunc maiorem, nunc minorem potestatem supra obsessos obtineāt: quod manifestè apparet ex sanctissimi Iobi historia: Nam *primo capite* exprimitur, quomodo sine Dei licentia nequiuit Iob molestare, & dumtaxat accepisse potestatem supra bona eius. Et in *capite secundo* habetur ampliorem esse facultatem concessam dicente Deo: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua, & egressus Sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo.* Ecce quomodo ex Dei voluntate dæmones maiorem accipiunt potestatem.

Chrysost. · Iob. 1. · Iob. 2.

9 *Secundò* præmittendum, pro quātitate potestatis, quàm dæmones in homines accipiunt, maior, atque minor vis in exorcizātibus ad ipsos ex hominibus pellendos necessaria est. Itaque vbi parua potestas dæmonibus collata est, parua potestate ac vi eijciuntur: at vbi magnam potestatem accepêre, magna etiam vis in exorcizantibus necessaria est. Ac proinde ea dæmonia difficilius exeunt ab obsessis, quæ supra ipsos maiorem acceperunt potestatem: Hoc dictum non aliunde probatur, nisi exemplo hominum se loco pellentium: & quia actiua passiuis proportionari necesse est.

Sed contra hoc notabile est argumentum. Virtus diuina à qua profligantur dæmonia, mediante hominum ministerio, quantumuis minima, potens est, omne genus dæmoniorum, etiam si supra energumenos magnam acceperint potestatem, profligare: ergo ad pellendos dæmones, qui supra obsessos acceperunt magnam potestatem, sufficit qua-

qualiscunque in exorcistis vis, ac virtus, eiectiua dæmoniorum, ac per consequens non difficilius quędam pelluntur, sed omnia æquè facilè. *Antecedens probatur.* Quia sicut minimè vires dæmonis infimi possunt vires omnium hominum superare propter excellentiam naturæ Angelicæ supra humanam; sic etiam quælibet vis, ac virtus diuina superat omnem cuiusuis dæmonis, propter excellentiam naturæ diuinæ supra Angelicam.

Certè si inesset exorcistis virtus expulsiua dæmonum per modum habitus, aut potentiæ, argumentum haberet non mediocres vires: at verò cum virtus expulsiua dæmoniorum sit quid actuale: id est, motio diuina, qua mens eijcientis dæmones eleuatur, vt sit instrumentum Dei pellentis: maior, & minor reperitur, secundum quod maior, & minor resistentia in dæmone habitante inuenitur: & ad pellendum dæmonem magis resistentem virtus diuina fortius mouet, & efficacius se attemperat actibus adiurantium: quos Deus vt instrumenta diuinæ virtutis assumit ad pellendos dęmones Nec hoc est peculiare in virtute eiectiua dæmonum: sed reperitur in omnibus donis actualibus: nam maius prophetiæ donum accipit vnus propheta, quàm alter: quia Deus magis mouet mentem vnius, quàm alterius: & idem dico de gratia miraculorum, & sanitatum, & similibus.

10

His præmissis planum erit assignare causam, quare dæmones lunatici, surdi, ac muti difficilius expellantur ab obsessis: videlicet, quia cum maiorem potestatem accipiant supra miseros obsessos, maior subinde vis requiritur in eos eijcientibus. Maiorem autem potestatem, quàm cætera dæmonia accipere, non leuiter suadetur ex magna clade illata à dæmonibus his puero illi, de quo Matth. 17. Marci, & Lucæ 9 nam allidebat eum dęmon, discerpebat, conijciebat in aquam, & ignem; interempturus certè, nisi à Deo cohiberetur, vt adnotauit Diuus Chrysostomus Insuper fecerat surdum, ac mutum, quod extremæ subactionis, & miseriæ indicium est. *Matt. 17. Marc 9. Luc. 9. Chrysost.*

Quanta autem in eijciente requirebatur potestas, vel ipsa Iudæorum existimatio persuadet: quia Christi in his lunaticis, surdis, ac mutis dæmonibus eijciendis potestatem, plus mirati sunt, ac acclamarunt, quàm in quibuscumque alijs propulsandis: imò quàm in mortuorum ad vitam reuocatione. Postquàm Dominus mutum dęmonium eiecisset, & mutus locutus fuisset: inquit Matth. capite nono: *Admirata sunt turbæ dicentes: Nunquam sic apparuit in Israel*: & capite duodecimo, cum iterum eiecisset dæmonium mutum: *Nunquid* (inquiunt) *iste est filius Dauid?* Et Lucas capite nono asserit obstupuisse omnes in magnitudine Dei: postquam *Matth. 9. & 12. Luc. 9.*

curauit lunaticum, cuius mentio fit Matthæi decimoseptimo: & tamen hic stupor ipsos non apprehendit: quando mortuos suscitabat, neque in similes acclamationes prorupe-runt.

11 *Vltimò.* Desiderat animus scire quibus de causis ad dęmonia lunatica, surda, ac muta pellēda necessariū sit exorcizātem oratione, & ieiunio muniri: quod propius accedit ad nostrum intentum inquitens, de requisitis in exorcistas ad dæmones propulsandos, ne hominibus molesti sint. Et quidem fortassè posset quis dicere, verba Christi Domini de ieiunio, & oratione præmittendis ad propulsationem dæmoniorū lunaticorum, surdorum, ac mutorum esse intelligenda, non de necessitate, sed quia valdè conducunt ad omnia dæmonia eijcienda, sicut in primo asserto dicebamus. Sed qui sic interpretatur, refellitur à Marco dicente: *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest eijci, nisi in oratione, & ieiunio.* Vbi absolutam potestatem negat, nisi præcedentibus oratione, & ieiunio. Sanctius cum Caietano *Matthæi* 17. dicimus, nouit solus Iesus, quare hoc genus dæmoniorum exigat orationem, & ieiunium, vt egrediatur: & quidem secundùm regulas generales, & attenta efficacia gratiæ miraculorum, sola vis eiectiua dæmonum sufficit ad omnia dæmonia propulsanda: & fides, quæ est gratia gratis data, sufficiet sine ieiunio, & oratione: at verò sicut est in potestate Iesu conferre gratiam eijciendi dæmonia, quibus voluerit, & denegare, quibus placuerit non dare: sic placuit illi non conferre eam gratiam, neque fidem miraculorum ad eijciendos dæmones lunaticos, surdos, ac mutos, nisi præcedentibus oratione, & ieiunio.

Caietan.

Dices. Cuius debet esse oratio, & ieiunium? adiurantium, an adiuratorum? Hoc non est certum apud sacræ Scripturæ interpretes. Quidam aiunt ex parte adiuratorum: quidam ex parte adiurātium: mihi plus quàm probabile est, hæc postulari ex parte adiurantium: tum, quia in puero isto ferè infatuato à dæmone, hæc non desiderabantur: tum maximè, quia Apostolos eum dæmonem non eiecisse, tribuitur partim incredulitati ipsorum, partim defectui orationis, & ieiunij. Et ideò docentur; quando simile genus dæmoniorum conarentur eijcere, debere eos oratione, ac ieiunio præcedentibus muniri.

Habemus igitur ex præcedētibus, gratiam miraculorum esse principium effectiuum, ac instrumentale, quo mediante Deus dæmonia fugat, ne molesti sint hominibus: fidem verò, virtutem Theologicam, ad eam recipiendam gratiam conducere, ac disponere: fidem autem, quæ gratia est, esse dispositionem proximam, & vltimam, ad quam infallibiliter sequitur eiectio dæmonum. At verò ieiunium, & oratio disponunt quidem ad eam gratiam; 12.

sed

sed non ita proximè, vt fides: & ad quoddam genus dæmoniorum fugandum ex Christi Domini voluntate, necessaria sunt. Et hæc dicta sint de requisitis in exorcistis ad fugandum dæmones.

Annotatio ad sequentia.

CAusa formalis in respectiuis per ordinem ad obiectum sumitur: cum ergo potestas abigendi dæmones versetur in propulsandis malis, quæ dæmon intulit, aut conatur inferre, operæ pretium erit inuestigare, quæ sint ista mala. Et ideo sit:

DISPVTATIO X.

An ad omnia mala, quæ dæmones possunt inferre propulsanda per adiurationem, sit in Ecclesia Christi potestas?

1. ET pro parte negatiua arguitur *primo.* Quia dæmones variè, ac multipliciter homines ad peccandum tentant, & inducunt. Sed ad has tentationes vitandas non est medium ordinatum adiurare dæmones, ne tentent: ergo non est in Ecclesia potestas, vt dæmones adiurentur ad omne malum imminens ab eis propulsandum. *Minor patet,* quia neminem fidelium legimus vsum fuisse adiurationibus ad vitandas dæmonum tentationes; sed forti repulsa, & resistentia ac crebris ad Deum fusis precibus.

Secundo. Continget quandoque hominem infirmitatem pati à dæmone immissam: & tunc non licet adiurare dæmonem, vt eam à nobis auferat: etenim procurare ab eo sanitatem, aut quodlibet obsequium recipere, pertinet ad initam cum eo societatem: quod non admittit Diuus Thomas *in secunda conclus.* ergo, D.Thom. &c. Idem argumentum fit de recuperatione famæ, aut pecuniarum à dæmone sublatarum.

In oppositum est illud Lucæ decimo; *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* En promissio Christi Domini ad omnia mala propulsanda extenditur. Et ita interpretatur Diuus Thomas in secunda conclusione. Luca. 10. 2.

Pro decisione *dico primo.* Quotiescunque certis, aut probabilibus signis deprehenditur dæmones aliquod malum infligere hominibus, licitum est eos adiurare, præcipiendo in virtute nominis Christi, aut alicuius rei sacræ, ne homines vexent, cessentque à tali malorum inflictione. Probatur. Nam ad hunc finem, liberandi scilicet miseros homines à dæmonum iniuria, collata est à Christo Domino potestas Ecclesiæ suæ, vt vidimus in testimonijs ex Euangelio sæpè citatis.

Dico secundo. Non est potestas in Ecclesia ad adiurandum dæmones, ne nos tentent. *Probatur.* Quia potestas hæc adiurandi dæmonia, non est data ad destruendum ordinem 3.

communis prouidentiæ diuinæ, sed potius ad eum stabiliendum. Sed si homines per adiurationem possent dæmones compellere, ne nos tentarent, subuerteretur ordo diuinæ prouidentiæ: ergo non est in Ecclesia talis potestas. *Probatur minor.* Quia diuina prouidentia inter alia ordinauit, vt per tentationes, maximè dæmonum, exerceremur ad pugnam: incitaremur ad victoriam, vt patet *Tobiæ 12. Iacobi 1.* & ex Patribus & rationibus, quas attuli alias *quæstione* 83. explicans sextam petitionem orationis Dominicæ: ergo si esset collata potestas hominibus, vt per adiurationem omnino fugarent dæmonia, ne nos vnquam tentarent, ordo diuinæ prouidentiæ, & facultas victoriæ adipiscendæ tolleretur. *Confirmatur.* Quia potestas hæc ad dæmones fugandos maximè viguit in Apostolis; & tamen non poterant eos compellere, ne tentarent. Sæpè enim à Dæmonibus tentati sunt, Lucæ 22. *Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Et Diuus Paulus aiebat se vexari ab Angelo Sathanæ: ergo neque modo in Ecclesia est talis potestas.

Tobiæ. 12. Iacobi 1.

Lucæ. 22. D. Paul.

Secundo Non licet, neque est potestas compellendi dæmones ad id, quod à Deo non est petendum: sed non est petendum à Deo, vt nullis nos sinat tentationibus subiacere, vt latè probaui *loc. cit.* explicans illud orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*: ergo nec licet dæmones ad idem adiurare. Idem dico de quocunque alio malo, quo sublato turbaretur ordo diuinæ prouidentiæ: verbi gratia, non licet adiurare vnum, aut omnes dæmones, vt eant in abyssum, neque pro semper, neque ad tempus. Et iuxta hoc assertum intellige secundum proximè præcedens, & dissolues etiam primum argumentum factum initio dubitationis huius.

4 *Aduerte* tamen, me non negare non deberi, aut non posse adiurari dæmones immittentes aliquot tentationes. Debent quidem, & possunt adiurari, si deprehenditur eas à dæmonibus immitti: sed quod assero est non posse, neque deberi adiurari, vt nunquam tentent: quia ex hoc peruertitur ordo diuinæ prouidentiæ: ex illo nequaquam sed subuenitur calamitati huius, vel illius hominis.

Ad secundum resp. Infirmitates, & alia huiusmodi immissa à dæmonibus esse in duplici differentia: *quædam*: quæ pendent à præsentia, vel actuali influxu dæmonis vexantis: itaque eo fugato auferetur infirmitas, & redibit sanitas: *quædam* vero immissæ sunt à dæmonibus, sed non sanabuntur ijs fugatis, sed necesse erit eas curare medicamentis adhibitis, aut aliquibus dæmoniaca virtute effectis. *Ad prioris* generis infirmitates tollendas licet dæmones adiurare: quia adiuratio directè ordinatur ad dæmonem propulsandum, quod autem sanitas exhibeatur infirmo naturali con-

consequio diminat. *Ad secundi* generis infirmitates tollendas non licet dæmones adiurare : quia id non valent efficere dæmones, nisi præstita aliqua opera, aut obsequio : quod non licet à dæmone petere : vt in argumento probatur. Sed de hoc fortasse fusior redibit sermo inferius.

5. Habemus igitur, licere dæmones adiurare præcipiendo in Christi nomine, aut alicuius rei sacræ, ne hominibus mala inferant: modo ex tali repulsione malorum, non perturbetur ordo diuinæ prouidentiæ.

Sed quæ sint ista mala, quæ cacodæmon hominibus possit inferre: non erit ingratum lectori specia-tim scire: vt agnoscat, ad quæ se extendat potestas præfata collata Ecclesiæ aduersus malignos spiritus. Quare

DISPVTATIO XI.

Versabitur in recensendis malis, ac ærumnis, quas possunt, & solent dæmones hominibus inferre?

1. MAla hæc, ac nocumenta innumera sunt; reducam tamen ad certa genera, seu capita. *Primo*. Possunt in bonis fortunæ lædere, greges, & armenta perdendo, iugulatione, veneno, igne : sicut legitur
Iob. 1. Iob 1. messes comburendo, domos diruendo, & similia. Modus isthæc faciendi perfacilis est, etiam hominibus, nedum potentissimis spiritibus. Possunt & alienæ famæ nocere multis modis : per os arreptitiorum, & assumpta figura innoxiorum cōparere in loco criminis. Sed obseruandum est hoc dæmoni nunquam Deum permisisse, nisi ad tempus breue; mox innocentiam iustorum propalaturus : quod legimus apud *Hierony.* Diuum Hieronymum de Beato Syluano, & apud alios de aliis Sanctis à Dæmone diffamatis sumpta eorum figura : sed à Deo cito detectæ sunt thecnæ inimici, & innocentibus sua fama est restituta.

Possunt *secundo* corpus affligere 2. variis modis; verberando scilicet, vulnerando, plagas inferendo, morbos generando, affricato, vel sparso veneno, multisque aliis modis, multo potentius, quam homines. Hæc enim omnia efficit per motum localem, vel applicando actiua passiuis : cum hostis iste omnium rerum efficacitates nouerit, & ea omnia possit corporibus admouere. Quinimo & homines enecare valent: vt patet ex occisione facta à Deo erga primogenita Ægypti; quam fecisse ministerio dæmonum apparet Psalmo 77. quā- *Psal. 77.* do enumerando plagas, & mortes Ægyptiorum dicitur esse facta per Angelos malos. *Misit in eos* (inquit) *iram indignationis suæ, &c. immissiones per Angelos malos*, id est, calamitates ab Angelis malis immissas : Deus enim istis pro carnificibus vtitur, 3. Regum 22. Et confirmatur : nam *3. Reg. 22* Exodi 12. vbi noster interpres vocat

Exod. 12. cat illam occisionem, *Plagam disperdentem*, Hebraice habetur, *Masbith, perdentem*, id est, Angelos perdentes per synecdochem numeri: cui annuunt Hebræi: *Quæ in tenebris* (inquiunt) *immittuntur mala, recte demandantur malignis spiritibus, quoniam ipsi sunt spiritus tenebrarum*. Sed apertius de morte, quæ fit à dæmonibus, habe-
Tobiæ. 6. tur Tobiæ cap. sexto: vbi narratur, dæmones suffocasse septem maritos Saræ, nurus postea Tobiæ.

3. *Tertio*. Possunt sensus exteriores, & interiores hominis immutare, vt ludificentur, ac decipiantur. Sic ha-
D.Thom. bet Diuus Thomas 1 *parte, quæst*. 111. *artic* 3. & 4. de veritate, *quæst*. 1. *art*. 3. & *quæst*. 12 *art*. 8. *de potentia quæst* 6. *art*. 3. *ad tert de malo quæst*. 16. *art*. 1. *ad*. 16. Ratio est: quia omnis natura cor-
D.Thom. porea obedit naturæ spirituali per localem motum: ita Diuus Thomas 1. *parte. quæst*. 110 *art*. 3. Sed dæmones substantiæ spirituales sunt; sensus verò exteriores, corporei, & materiales, id est facultates affixæ organis corporeis: ergo à dæmonibus immutari possunt per localem motum. De qua re copiosius infra in disputatione præambula ad *quæstio*. 95. & 96.

An vero possint nocere animabus, mouendo earum potentias, videlicet intellectum, & voluntatem, etiam renuentes, & eas decipere? agendum erit latius inferius in disputatione citata,

Hæc dicta sint de multiplicitate malorum, quæ dæmones hominibus possunt inferre: quibus nullis humanis remediis potest occurri, nullis pharmacis mederi, nullis hominum artibus auxilium præstari. Etenim non est potestas in terra, quæ comparetur ei (scilicet dæmoni) Iob 40.

Audiens quis, dæmones tam ingenti pollere potestate, haud dubium contremiscet, & valde timebit tam potentes hostes, & percupidos perniciei hominum. Quare merito est.

DISPVTATIO XI.

An liberum sit dæmonibus, ea mala, quæ per vires naturæ suæ hominibus infligere possunt; de facto infligere? Si hoc enim verum est, væ mortalibus. An vero isthæc eorum potestas ligata, & prohibita à Deo sit, & quomodo?

ET videtur vera prior pars dubitationis. *Primo*. Quia ordo diuinæ prouidentiæ expostulat vt res, maximè quæ libertate pollent, sinantur suis viribus vti, ac suis motibus gaudere: ergo diuinam prouidentiam decet sinere dæmones, vt suas vires exerceant in nocendo hominibus, quos lædere summopere desiderant, *Confirmatur*. Quia Deus elementa sinit agere secundum suam naturam, feras etiam, vt lupos, & leones, vt noceant quãtum placuerit: imò & homines: ergo & vsum suæ libertatis in malis inferendis liberum

rum,& non ligatum reliquit dæmonibus. Ac proinde nonnisi miraculose prohibebuntur mala inferre: sicut aliquando accidit inferis, & hominibus.

Secundo. Illud axioma commune Theologorum, dæmonũ esse ligatã potestatem, ne mala hominibus inferant, quæ possent attentis suæ naturæ viribus. *Vel facit hunc sensum,* Dæmones non valere suas vires exequutioni mandare, nisi Deo concurrente, saltem ad materiale operis: & hoc non, quia id verificatur etiam in aliis rebus, quæ habent potestatem aliquid faciendi: quarum potestatem non dicimus ob id esse ligatam, sicut in dæmonibus. *Vel sensus est,* Deum prohibuisse, vt sine sui licentia, aut permissione nil moliantur mali aduersus homines: & hoc quidem peculiare est in dæmonibus. Sed sine sacræ Scripturæ testimonio, aut ratione vrgenti dicitur: & vt dicebamus in primo argumento, contra ordinem diuinæ prouidentiæ.

Tertio. Esto potentia dæmonum esse ligata isto posteriori modo: vnde possunt scire dæmones Deum aliquando hanc licentiam concessisse? esset enim necessarium, vt per se, vel per Angelos bonos id Deus dæmonibus reuelaret, quod videtur inconueniens.

In oppositum est. Nam quæ est inuidia, & odium dæmonum erga humanum genus: si sinerentur suis viribus vti homines omnes necarent, & eorum bona disperderent. Marcion, & Manichæus, qui dæmonem esse Deum, & principem huius mũdi dixerunt: negarent potentiam eius esse à Deo ligatam: imo neque Lutherus, qui *super epistolam ad Galatas capite tertio,* dicit, dæmonem in toto mundo regnare; & mox regnum istud quale sit, explicat his verbis: *Sumus autem nos omnes corporibus, & rebus subiectis diabolo, & hospites in mundo, cuius ipse princeps, & Deus est.* Vbi satis aperte in errorem Manichæi declinauit. Sed sit illi, & illis, talis Deus: nos autem veri Dei sumus famuli: diaboli autem hostes perpetui. Sed de refutatione Lutheri suo loco.

Modo pro explicatione dubitationis propositæ præmittere oportet quædam indubitata. *Primum est,* potestatem diaboli, attenta sua natura; longè superare vires omnium hominum: ac proinde eadem attenta, possent homines omnes perdere, & eorum bona destruere, vt colligitur ex *Iob* 41. vbi ait, non esse potestatem, quæ comparetur ei in terra. *Secundum est,* dæmones quantum in se est, valde cupere totum genus humanum delere, ac cladibus afficere, propter odium, & inuidiam, quibus incessanter homines prosequuntur. Egregiè Diuus Petrus prima Canonica, capite quinto. *Aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Et Paulus ad Ephesios 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem,*

Iob. 41.

1. *Pet. c.* 5

Ephes. 6

nem, & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates tenebrarum harum. Colluctatio hæc nihil aliud est, quam odium, & inuidia hostilis: à qua prouenit, vt nos vsque ad internecionem destruere conentur, & facerent si à Deo permitterentur, vt statim dicemus: ex parte vero nostra nos eis colluctamus, eorum suasionibus dissentientes, opem diuinam aduersus sæuos, & fortissimos hostes implorantes; qua muniti eos sæpe superamus. His positis.

6. *Dico primo.* Naturalis potestas dæmonum à Deo ligata est, vt sine eius permissu, aut licentia nil mali inferant hominibus, aut eorum bonis. Hæc assertio est communis assensus Sanctorum, ac Theologorum: ita Diuus Augustinus *libro 3. de Trinit. cap. 7. & 8. & libro 20. de ciuit. Dei, cap. 3. & 8. & libro 2. contra aduers. legis,* capite vltimo: *Sathanas* (inquit) *cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuique non potest, nisi ab Omnipotente acceperit potestatem. Quid aliud? non solum in libro Iob, sed etiam magis in Euangelio declaratum est; vbi spiritus immundi, nec in porcos irent, nisi hoc illis benignus ipse Saluator petentibus, quos certe in abyssum posset relegare, concederet. Rem necessariam docere nos volens: vt scilicet nouerimus, multo minus eos posse sua potestate nocere hominibus: qui nec pecoribus qualibuscunque potuerunt.* Hæc eleganter Diuus Augustinus: & Diuus Gregorius *lib. 2. Moralium cap. 11.* vbi id colligit, & omnes Theologi *ex capite 1. Iobi, ex capite octauo Lucæ, & libro quarto, capite 12.* Idem dicit Chrysostomus *libro 3. de patientia* Iob. En dæmones attenta sua facultate naturali, poterant Iobum affligere: & tamen non valebant sine Dei permissu, ac licentia: qui tunc dicitur ligare dæmones, quando non permittit eos facultate sua naturali abuti, tunc vero dicitur soluere: quando permittit, aut licentiam tribuit.

Assertio itidem tenetur à Magistro *sentent. in secunda distinct. 7.* & à Diuo Thoma *3. par. quæst. vigesimonono, articul. 1 ad tertium de potentia, quæst. sexto, artic. 5. de malo, quæstio 16 articulo vndecimo ad 11.* Videte si placet Abulensem super *cap. 15. Matth. quæst. 66.* & Maldonatum super cap. 22. Luc circa illud: *Ecce Sathan expetiuit, vt cribraret, &c.* Deinde *probatur ratione*, quia alias si dæmones permitterentur debacchari iuxta vires, odium, ac inuidiam suam erga genus hominum: iamdudum illud obruissent: ergo ad prouidentiam Dei pertinuit eorum sæuam, & ingentem potentiam ligare, vt nihil possent in homines sine Dei licentia, ac permissu. Egregie Cassianus collat. 7. c. 22. *Nemo* (inquit) *posset, non dicam iuuenum quos videmus in hac eremo constantissime commorari: sed neque perfectorum quidem: tantis taliumque hostium agminibus circumseptus in eremo singularis habitare: si in ipsis dæmonibus esset pro voluntate sua nocendi, vel accendendi facultas, atque libertas, &c.*

In quo autem consistat ligatio hæc, & quid sit licentia, aut permis- 7.

Augus. Greg. Chrysost. Mag. Sen. D. Thom. Abulen. Malden. Cassianus.

ſio Dei neceſſaria, vt ligati dæmones laxentur: res difficilis viſa eſt Diuo D. Aug. Auguſtino vbi ſupra, cap. 9. vbi ait: *Ex ineffabili Dei potentatu fit: vt quod poſſint mali Angeli, ſi permitterentur, ideo non poſſint; quia non permittuntur. Nec enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutiſſimas muſcas, qui ranas, ſerpenteſq; fecerunt: niſi quia maior aderat dominatio prohibendi per Spiritum ſanctum. Quod etiam ipſi Magi confeßi ſunt dicentes, Digitus Dei eſt hic. Quid autem poſſint per naturam, nec poßint per prohibitionem, & quid per ipſius naturæ ſuæ conditionem facere non ſinantur: homini explorare difficile eſt: imo vero impoßibile, niſi per illud donum Dei, quod Apoſtolus commemorat dicens, Alij diiudicatio ſpirituum. Nouimus enim hominem poſſe ambulare; & nequaquam hoc poſſe, ſi non permittatur: volare autem non poſſe, etiam ſi permittatur. Sic & illi Angeli quædam poſſunt facere, ſi permittantur ab Angelis potentioribus ex imperio Dei; quædam vero non poſſunt, etiam ſi ab eis permittantur, quia ille non permittit, à quo eſt illis talis naturæ modus: qui etiam per Angelos ſuos illa plerumque non permittit, quæ conceßit, vt poßint.* Hæc Auguſtinus.

3. Nos autem de modo ligaturæ ipſius, & ſolutionis eius tentabimus aliquid dicere: & ideo.

Dico ſecundo. Ligatio dæmonum ne noceant, niſi ex permiſſione Dei, nõ ſolum conſiſtit in prohibitione illis à Deo facta per iuſſionem moralem aut præceptum: ſed in prohibitione phyſica. *Prima pars probatur.* Quia per prohibitionem præceptiuam non aufertur poteſtas illis nocendi; alias non cecidiſſent per tranſgreſſionem diuini præcepti: ſed de facto illis adempta eſt poteſtas nocendi, niſi præcedente Dei permiſſione, vt docui in prima aſſertione: ergo præfata religatio dæmonum non conſiſtit in ſola prohibitione morali per præcepta, aut per quid ſimile. *Secunda pars probatur.* Nam ea prohibitio eſt neceſſaria, quæ inducat coactionem & auferat vſum poteſtatis: hanc autem debere eſſe phyſicam clarum eſt, cum non ſufficiat moralis: ergo, &c.

Sed pro declaratione huius prohibitionis phyſicæ *aduertendum*, Deũ operari poſſe per ſe ipſum immediatè, aut mediatè per miniſterium Angelorum: per ſe ipſum, vel quia quando non vult, vt noceant dæmones, ſubtrahit eis concurſũ ſuum neceſſarium, vt nocumenta inferant; vel quia efficienter impellit, & prohibet modis ſibi notis, ne lædant, quem lædi Deus non vult. Et iſte modus prohibendi facilis eſt, & planus abſque vlla difficultate.

Secundus modus prohibitionis conſiderari poteſt eſſe à Deo, mediante miniſterio Angelorum; & eſt magis conformis ſententiæ Diui Auguſtini libro 3. de Trinit. c. 4. dicentis: *Corpora quodam ordine reguntur, inferiora per ſuperiora, & omnia per ſpiritualem creaturam, & ſpiritus malus per ſpiritum bonum.* Diuum Augu- Auguſt. ſtinum ſequuntur Doctores, præcipuè Diuus Thomas *prima parte,*

D. Thom. Gregor. *quæst.* 108. *art.* 6. & ex professo, *quæst.* 109. *art.* 4. & Diuus Gregorius homilia 34. in Euangelia, inquit: *Potestates sunt Angeli, quorum ditioni virtutes aduersæ subiectæ sunt. Et ita dæmones dicuntur ligati, ne hominibus noceant, quantum possunt, & desiderant, quia ab Angelis, maximè custodibus arcentur, ne votis satisfaciant, nisi DEO permittente.*

Sed quomodo prohibent Angeli dæmonia? Quidam dicunt per impressionem actualem imprimendo, ad instar hominum prohibentium hostes per impulsionem actualem, ne in aliquos irruant: & isto modo dicuntur Angeli ligare dæmones. Sed hoc non potest stare: tum, quia esset constituere perpetuam, & actualem pugnam inter bonos & malos Angelos, sicut mali perpetuo ligati sunt nisi Deo permittente. Hoc autem videtur inconueniens, & falsum: *tum* quia sæpe sine vlla actuali impulsione inuigilant Angeli circa nostram custodiam: *tum*, quia quando Angeli sancti custodes assistunt Deo in cœlis, non dicerentur ligatos habere malos Angelos, sed suæ permissos voluntati: etenim tunc nullam impressionem, aut repulsam actualem infligunt dæmonibus, nec possunt, cum sint extra sphæram suæ actiuitatis: *tum tertio*, quia nunquam prohiberent, nisi iam, iam erumpentibus malis Angelis; cum tamen certum sit, eos arcere, præueniendo ne erumpant; igitur existimo cacodæmones ligatos esse bonis Angelis ne noceant hominibus, nisi Deo permittente; quia prohibentur ab Angelis ne noceant nisi ex eiusdem Dei permissu. Prohibent autem interdum abigendo, ne appropient hominibus nocendis, sine vllo actuali impulsu Angelis malis inflicto, sed sola mediante sua cura ac vigilantia; interdum ipsis conantibus resistendo per actualem motum repressiuum dæmonibus infixum.

Explicatur hoc à simili. Milites fortes ac prouidi non solum prohibent hostes, ne capiant ciuitatem vi pellendo irruentes; verum & vigilant, se seque ostentant desuper murum, vt videntes inimici vigilantes custodes, terreantur, nec audeant cominus accedere, & hoc etiam arcere, & prohibere est. Non dissimiliter Angeli boni dicuntur arcere dæmones, ne hominibus noceãt; interdũ vi repellẽdo irruentes dæmones, instar militũ deiicientiũ de murorum cacumine inimicos conãtes ascẽdere; interdũ vigilãtes, & circũdãtes cliẽtes suos; ac parati vi repellere hostes, si appropinquent: & hoc etiã arcere est, quia vidẽtes dæmones paratã custodiã non audẽt mortales impetere: sciẽtes ad sãctis Angelis vi illata esse fugandos, si mala conẽtur inferre. Consistit igitur prohibitio & ligatio dæmonum, vel saltem nascitur ex assistentia Angelorũ, ac firma custodia erga homines ad modũ explicatũ, ꝙ innuit Sathanas Iob 1. dicẽs: *Nõ ne tu vallasti eũ*: protectionẽ

Angelorum insinuans, vt quidam dicunt, qua Angeli prohibēt dæmones, ne noceant hominibus. Sicut *Matt. 21.* illud Matth. 21. *Et sæpè circumdedit ei*, id est Angelorum custodia: Ita Inter- *Interlin.* linealis.

10 Sed his nostris dictis occurrit ex *Tob. 8.* aduerso historia Tobiæ, cap. 8. Vbi narratur Raphaelem Angelum apprehendisse dæmonem Asmodæum, ac religasse in deserto superioris Ægypti. Quæ religatio nequiuit fieri modis præfatis nō per actualem impressionem, & detentionem: quia licet in apprehendendo dæmonem, potuit inueniri, sed tamen in detentione per multos dies Raphaele absente, & conuersante cum Tobia, reperiri non potuit, nec etiam per custodiam Tobiæ: quia hæc impertinens fuit ad religationem in deserto Ægypti, cum fuerit detentio, ne à deserto egrederetur.

11 *Respondetur.* Dæmon Asmodæus ligatus fuit ab Angelo Raphaele, nō solum quia non sinebatur noxam Tobiæ; & coniugi inferre: isto enim modo toto decursu temporis, quo apud eos, & cum eis morabatur Angelus bonus, Asmodæus, & alij dæmones ab Angelis ligati erāt modis à me explanatis, sed etiam dicebatur religatus in superiori Ægypti deserto: quia ei loco affixus, vt illinc se se mouere, alioque quopiam euagari non posset: at alligatio hæc peculiaris est, pertinens ad peculiarem Dei prouidentiam: nos verò loquuti sumus de alligatione dæmonum pertinente ad communem Dei prouidentiam, qua non sinuntur dæmones lædere homines, nisi Deo permittente.

Quod si cupis scire, quomodo illa alligatio potuit fieri per Angelum Raphaëlē: nil certò de eo, quod factum est definire possumus: probabiliter tamē dicimus, id potuisse fieri per imperium Raphaelis præcipientis dęmoni illic non discedere: nisi licentia præmissa, & quamuis dæmon solo imperio Angeli, imò & Dei, salua suæ naturæ libertate non compelleretur, tamen sicut imperio hominum affigitur virtus diuina, vt dæmones recedant, exeant, &c. de quo latius infra, ita virtute diuina credimus Raphaelem imperasse Asmodæo, vt non recederet à deserto superioris Ægypti, quā virtute diuina ligabatur ac detinebatur, ne discederet ante licentiam habitam à Deo, vel Angelo.

De huiusmodi ligatione per im- *Augustin.* perium videtur loquutus Augustinus li. de diuinatione dæmonum, ca. 7. *Fugantur* (inquit) *dæmones, vel etiam iussu superioribus colligati abstrahuntur, & alienantur à locis suis, vt de rebus, quibus dominabantur, in quibusq; colebantur, fiat voluntas Dei.* Nisi fortasse quis dixerit virtute diuina aptatum esse corpus ab Angelo, quo inclusus & alligatus Asmodæus non potuit illud à se excutere. Isto modo dicitur esse ligatus igne infernali: sed hæc alligatio, vt dixi, peculiaris est, sicut & illa, de *Matt. 12.* qua fit mentio, Matth. 12. Marc. 3. & *Marc. 3.*

Apoc. 20. Apocalyp. 20. Memento tamen, ac præ oculis habeto semper hanc ligationem dęmoniorum per metaphoram ad ligationem corporalem intelligendam esse. Similiter & modi quibus diximus ligari, metaphoricè vincula, rudentes, & catenæ nuncupatur. Sic enim 2. Petri 2. legimus: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradit cruciandos.* Et Iudas in sua Canonica: *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Apocalyp. 20. *Angelus, vt serpentem antiquum in abysso ligaret: habebat catenam magnam in manu sua.* Vbi Andreas: *Catenam* (inquit) *ad nostram intelligentiam vocabit operationem, quæ Sathanæ malitiam coercet.* Habemus igitur, dæmonum potentiam esse ligatam à Deo, ne hominibus noceant, nisi ipso permittente; & quomodo illud ligamen apponatur.

2. Petri 2.

Iudas in Canon.

Apoc. 20.

Andreas

Nō minor difficultas suboritur, in quo consistat Dei permissio, aut licentia collata dęmonibus, vt noceāt quādo Deus id disponit, aut sinit fieri? & vnde, aut quomodo dæmones, qui se ligatos esse sciunt, agnoscant solui, aut permitti nocere.

12 Aliquis fortasse poterit dicere, dæmones à Deo licentiam petere, & Deo concedente mala infligi, quod si abnuat petitioni, desistit à nocendi conamine. Ita videtur colligi ex historia *Iobi primo & secundo capite.* Vbi dæmon petijt à Deo licentiam vexandi Iobum, petijt, inquam, petitione intelligibili, qualis esse solet Angeli ad Deum: de quo 1 *p. qu.* 107. *artic.* 3. & obtinuit: *& Matth.* 8. visibili voce petijt dæmoniorum legio à Christo licentiam intrandi in porcos, quàm Dominus concessit: & Luc. 22. ait Christus ad Petrum: *Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*: id est postulauit vos ita legunt quidam. Fateor, tamen, aliquando ita accidisse, maximè quando noxa inferenda à dæmone est vehementer concupita, vt in historijs allatis, sed cū innumera mala, & innumeris diaboli inferant, non videtur probabile secundum ordinem communis prouidentiæ tot licentias à Deo petere, totque concessiones datas fuisse, ac multo plures negatas.

Iob. 1. & 2

Matth. 8.

Luc. 22.

13 *Alij respuentes* tot licentias à dęmonibus petitas, dicunt ob id Deū permittere, aut licentiam dare nocendi: quia innuit illis, cui nocere debeāt: non quidē voce exprimendo, sed interius intelligibiliter indicādo. Et conātur probare ex testimonio Iobi citato. *Ecce* (inquit Deus dæmoni) *vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt*: id est do tibi potestatem affligendi eū. Modus dicendi nō omninò improbabilis. Contra quem tamen argumentor: quia vel illud innuere Dei pertinet ad reuelationem factā dæmonibus, vel ad præceptum: vtrumque aliquādo accidisse non inficior: nam plagas Ægypto inflictas dæmones intulisse Deo reuelante, & iubēte ait Dauid Psalm. 77. vers. 55. quod prius

Psal. 77.

Exod. 12. prius significatum fuerat Exod. 12. vbi nos legimus: *Plagam disperdentem*: habent Hebræi, *Angelum perdentem*, id est Angelos perdentes per synecdochem numeri: in licentia verò data Sathanę vt Iobum affligeret, neutiquam esse ponendum præceptum, D. Thom. affirmat D. Thom. ibidem, sed potestatem traditam.

Cęterum quidquid sit de licentia data diabolo ad nocendum sanctissimo Iob: existimo tamen secundum ordinem communis prouidentię, vt dæmones licentiam obtineãt à Deo, aut permittantur hominibus nocere: non esse necessarium pręceptum, aut reuelationem Dei, per quam innuat sibi non displicere, vt his aut illis noceatur. Et de præcepto patet: quia præcepta Dei communiter dãtur ab eo bonis spiritibus, vtpotè qui habent rectam voluntatem ac conformem diuinæ, ac proinde ei in omnibus obediunt; mali verò nequaquam communiter reguntur præceptis, sed coactione. *Secũdò*, quia si imperio Dei nocerent: ergo non ex permissione. Communiter autem dicitur à Sanctis citatis eos affligere homines ex permissione diuina: quia sinuntur exercere & vires, & prauam voluntatem erga homines. Quod verò licentiam tribuat reuelando cui velit Deus nocere: non videtur verosimile: tũ quia esset quodammodo præcipere noxam: tum quia dæmones tot reuelationibus à Deo illuminari non videtur congruum.

14 Quare sub correctione doctiorum reor, totidem modis Deum largiri, aut permittere dæmonibus nocere hominibus: quot diximus eos impediri, ne noceant: Nam sicut eos ligari consistit in prohibitione, sic solui cõsistit in ablatione prohibitionis. Et sicut meditati sumus eos prohiberi posse, vel à Deo immèdiate vel mediante ministerio Angelorum: sic & ablatio prohibitionis (quę est permissio) fit duobus modis, vel à Deo immediatè, vel mediante ministerio Angelorũ. A Deo immediate quia illos nõ prohibet actuali impulsu, vel quia illis nõ denegat cõcursũ requisitum ad operandum; & hoc facile est dæmonibus cognoscere: sicut cuiuis facile est agnoscere, habeat ne manus solutas ad operandum. A d vero ministerio Angelorũ conceditur licentia hæc, aut permissio nocendi, vel quando dæmones ab Angelis nõ patiuntur actualem repulsam, aut impressionẽ prohibitiuam, vel quando Angeli boni Deo reuelante deserunt clientes suos vexandos à dæmonibus. Sed vnde scient dæmones, quod deseruntur homines ab Angelis custodibus, vt possint affligi? Dicet quispiã, quia Angeli custodes id reuelãt malis, puta dicẽtes, ecce istum, in eum potestis sæuire. *Hoc non* stat: tum quia tot reuelationibus dæmones imbui non est congruum: tum quia id videtur alienũ à pietate Angelorum custodum, quasi digito ostendere, & sępissimè tradere suos clien-

clientes vexandos. *Quod si dicas*, quia Angeli custodes non sunt assistentes hominibus aliquibus, & hoc benè vident dæmones. *Contra*, quia benè sciunt dæmones quandoque Angelos custodes absentes esse in cœlo, vel aliquo loco valdè distanti, & licet tunc deserant homines loco, nõ tamen quantum ad effectum custodiæ: quia etiam cum sunt in cœlo, cognoscunt quid circa hominem agatur: & Deo reuelante, si clientes impugnantur à Dæmonibus, statim aduolant ad eos tuendos, nec indigent mora tẽporis, vt adsint, sed statim adesse possunt, vt annotauit D. Thom. *p. quæst.* 113. *artic.* 3. *Item tertiò*: quia Angeli custodes nunquam totaliter deserunt homines, vt affirmat D. Thom. loco proximè citato. Item quartò: quia ex desertione pręfata quamuis fortaſsè posset cognosci diuina permissio nocumenti inferendi: non tamen certa nocendi mẽsura, cùm tamen necessarium eam præfigere. Sæpius enim permittuntur mala inferre certis limitibus, vt patet in potestate tradita dęmoni ad affligendum Iobum. Probatur illatio: quia si Angeli custodes assistunt, dæmones nocere non possunt: si deserunt, poterunt pro sua impia voluntate, quæ nullo minori malo, quã internecione satiabitur.

D. Thom.

15 *Aduertendum*, dæmones quamuis sciant se à Deo ligatos ac prohibitos ne hominibus noceant, nisi Deo permittente: tamen non ob id animo linquunt, aut desistunt à captanda occasione nocendi: quærentes vtrũ ab Angelis custodibus deserantur, hoc enim accipiunt pro signo permissionis, aut licentiæ datæ. Hoc egregiè docuit D. Petrus dicens: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*. & Iob 1. & 2. *Circuiui terram, & perambulaui eam*, nimirum quærens cui nocere posset: & Matth. 12. *Ambulat per loca arida & inaquosa quærens requiem*, idest cui noceat, quia afflictio hominũ requies est dæmonum.

D. Petrus

Iob. 1. & 2.

Matt. 12.

Dum autem sic æstu inuidiæ ac liuoris agitati percurrunt, callidè obseruantes quem lædant; quos vidẽt ab Angelis custodibus diligẽter custoditos, nec aggredi audent, ne eorum reddatur conatus irritus & inanis, & quia fortè à longè ab Angelis custodibus arcentur. Si autem dubitant de diligenti custodia, aut cõiecturaliter censent eos remissius custodiri, tentant audacter mala inferre. Quod si repelluntur, certò sciunt non esse sibi nocendi concessam facultatem, sin minus certò agnoscunt sibi concessam, eaque abutuntur. Itaque ex eo quod non repellũtur ab Angelis custodibus, aut alijs bonis Angelis, agnoscunt sibi esse permissam nocendi potestatem.

Ad obiectiones oppositas. *Ad primam* cõcedimus illatum, *ad secundam* respondetur, quando vident Angelos non assistentes, tentant malum infligere, quod si non patiantur repulsam, inde colligunt sibi concessam lædendi potestatem. *Ad tertiam* 16

respon-

respondeo, D. Thom. esse intelligẽdum toto tempore, quo aliquis à Deo non deseritur: nam quandoque totaliter Deus deserit, vt septẽ viros Saræ, quos dæmon occidit, & tũc etiam Angelus deserit. *Ad quartã*: Angeli boni benè sciunt Deo reuelante in quanta mensura permittantur dæmones nocere, & si dæmon amplius procedere vult, repellitur à bonis Angelis.

Demum aduertendum; Angelos malos esse in tanto numero, adeoq; solicitos contra homines, vt statim atque aliquis ab Angelis bonis deseritur: ipsum inuadant, atque malo permisso afficiant: nam si aliquod modicum temporis intercederet, in quo homo ab Angelo desereretur, & non à dæmone inuaderetur diuinæ prouidentiæ ordo turbaretur, quæ ad hoc vult Angelum deserere hominem, vt à dæmone inuadatur: sunt autem in aere isto tot dæmones commorantes, vt atomorũ superent multitudinem: nec illis hęc tam solicita occupatio fastidiosa est, quia nimis desiderant hominibus nocere, neque laboriosa, quia infatigabilis naturæ sunt.

17 Superest ad argumenta in initio facta respondere. *Ad primum respondetur*. Absolutè loquendo, & in communi ad prouidentiam diuinam spectat sinere res operari iuxta naturas suas: at attentis quibusdam circumstantijs, & aliquo supposito, ad eandem prouidentiam spectat, vt prohibeantur, verbi gratia, attenta grauitate aquarum, & superiori earum loco, inundarent certè terram: sed quia homo erat futurus eius habitator, ad prouidentiã Dei pertinuit, vt aquæ maris prohiberentur à Deo dicente: *In litore confringes fluctus tuos*. Sic absolutè concessum est etiam dæmonibus, vt liberè exercerent vires suas: sed supposito eorum casu, & odio vehementi, quo aduersus homines flagrant, ne interiret totum humanum genus, ad Dei prouidentiam pertinuit dæmoniorum potestatem cohibere, ne noceãt hominibus pro suo arbitratu, sed tantum Deo permittente ferè semper, vel propter sui gloriam, vel propter hominum vtilitatem. Quo fit vt dęmonum nocumentis non solum mali, verũ & boni quandoque subijciantur, propter Dei gloriam quidẽ: quia in hac Dei prouidentia multa Dei attributa à longè lucent, suauitas in gubernando, eo quòd cùm hominibus ac dæmonibus liberum arbitrium dederit: violentum videretur semper impedire quod possunt naturaliter dęmones, & summoperè desiderant: ideò sinit aliquãdo eos id perficere: Clementia autem in genus humanũ manifestatur: quia si dæmones permitterẽtur in homines grassari, actũ esset de humano genere, vt nuper dicebamus. Iustitia etiam Dei elucet: quia sæpè propter vindictam scelerum dæmones carnifices, & tortores promptissimos ad eam exequẽdam elegit Deus, hominum verò vtilitas ex hac dæmonum tortura nõ parua,

neque vna sola enascitur, patientia exercetur, virtus probatur, humilitas acquiritur, ad omne virtutis genus exercendum occasio datur.

Ad secundum, & tertium facilis est solutio ex dictis.

Dico tertiò. Non solum Angeli boni dæmones coercere ac ligare possunt: verùm & dæmones superioris ordinis, qui fortiores sunt alios inferioris, qui non sunt ita fortes. Hoc assertum clarum est similitudine sumpta inter homines fortiores, & imbecilliores. Hac arte vtuntur sceleratissimi Magi, qui certa quadã societate, ac conuentione inita cũ dæmonibus, implorato auxilio fortiorum dæmonum, alios imbecilliores annulis includere, certisque operibus & locis alligare solẽt. Palladius *cap*. 20. plurimos ac ferocissimos dæmones in Iamnæ & Mambræ sepulchro per magiam alligatos refert: sed de hoc nos latius, interim videndus est Victoria de magia.

Palladius.

Victoria.

Dico quartò. Non solùm ab Angelis bonis, & malis possunt dæmones ligati, ac prohiberi ne noceant: verùm etiam ab hominibus mediante potestate illis à Deo collata, cuius naturam ex professo in hac Diui Th. quæst. rimamur. Hoc assertum palam fit ex testimonijs sæpè citatis, vbi à Deo & Christo Domino potestas hæc collata est. Sed age in eius explicationem vlterius progrediamur.

DE CAVSA EFFICIENTE HUIUS POTESTATIS, SEU EIECTIONIS DÆMONUM.

ADNOTATIO.

Acturi de causa efficiente ad fugandos dæmones, ne hominibus molestias ingerãt, diuidere causam effectricẽ necesse est, in causam principalem, & instrumentalem. Principalis quidem causa Deus est, cuius imperio subdita est omnis creatura etiam dæmones: *Colũnæ cæli*, inquit Iob 26. *contremiscunt & pauẽt ad nutum eius. Spiritus eius ornauit cælos, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus*; id est diabolus. Et quamuis opera Dei ad extra sint tribus personis conuenientia, tamen quia filius Dei factus caro, erat profligaturus potentiã diaboli, qui tyrannide occupauerat orbem, huic exitiali hosti fugando, & ab hominibus eijciendo egregiam, & frequentem nauauit operam in terris degens: & ideò ipsi vt causæ principali dæmonum pulsionem attribuimus: qui de se, Matt. 28. ait: *Dada est potestas mihi in cælo, & in terra*: & de eodem Apocal. 20. Ioannes ait: *Habet clauem abyssi & catenam magnã in manu sua, & apprehendere potest draconem serpẽtem antiquum, eumq; ligare, & mittere in abyssum, & claudere, atque signare.* Quæ verba satis exprimunt Christum Dominũ sua virtute diuina causam esse efficiẽtem principalẽ

Iob. 26.

Matt. 28.

Apoc. 20.

omnium dæmonum pellendorum.

Post Christum verò non inuenio alias causas efficiẽtes principales nisi Angelos, siue bonos, siue malos: nequã verò spiritus, si superioris ordinis sint, ac ex consequenti robustiorum virium, pellere possunt dæmones inferioris ordinis: quia infirmiores sunt, & sæpè (vt iam vidimus) expellunt: at verò Angeli boni, siue sint impares naturalibus viribus, siue pares, siue sint superioris ordinis, siue inferioris, supra malos spiritus potestatem habẽt, possuntq; ab hominibus molestãdis abigere, imò & torquere. De spiritibus bonis, qui ordinis superioris sunt, certa res est: quia viribus naturalibus potẽtiores sunt. Talem censeo fuisse Raphaelẽ Angelum, qui dæmonem Asmodæum à Tobia, & Sara coniugibus abegit, ac in deserto Ægypti ligauit, ne eis noceret sicut cæteris sponsis Saræ, Tobiæ 8. Quod verò Angelus bonus ordinis inferioris potestatem habeat arcendi, & subiugandi spiritum malum, etiam si superioris ordinis sit: asserit Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. *Spiritus vitæ desertor, atque peccator* (ait Augustin.) *regitur per spiritum vitæ rationalem, pium & iustum*. Et D. Gregorius homilia 34. in Euangelia docet, virtutes aduersas (id est dæmones) subiectas esse Angelis, qui potestates dicuntur. His adiungitur D. Thom. 1. *part. quæst.* 109. *artic.* 4. Ratio huius est: quia propter peccata dęmoniorũ ea subiecit Deus omnibus bonis spiritibus, vel quia vires eorum elanguerunt, vel (quod certius est) quia virtute diuina cõmunicata potestatem supra cacodęmones acceperunt. Verũ tamen quando eã potestatem exercẽt supra dæmones ordinis superioris: non concurrunt inferiores spiritus boni vt causę principales, sed vt instrumentariæ, mediante virtute à Deo communicata.

Tobiæ 8.

Augustin.

Gregor.

D. Thom. 2

Et idem dicendum est de hominibus, qui cum imbecilliores viribus sunt, quàm minimus dæmonum; in eis abigẽdis nequaquam concurrere possunt vt causæ efficientes principales, sed tantum vt instrumentales Dei, & Christi, virtute scilicet diuina hominibus communicata. Benè hoc agnouit Beatus Bernardus: tum enim arroganter spiritus nequã, qui arripuerat quẽdam, ipsi insultaret, quod *nec Syrulus* (Sanctũ Syrum intellige, ad cuius reliquias obsessum miserat) *nec Bernardulus* (sic per contemptum sanctum virum nominabat) ipsum à suo domicilio esset pulsurus: *non te* (respondit Bernardus) *Syrus eijciet, non Bernardus, sed Dominus noster Iesus Christus.* Et Diuus Petrus & Ioannes Actorum 3. cum sanassent quendam claudum ab vtero matris, ne ipsis, vt causis principalibus sanitas ea tribueretur, sed tantum vt instrumentalibus, quibus Christus suam virtutem communicauit dixerunt: *Viri Israelitæ quid miramini in hoc? aut nos quid intuemini? quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare, &c.* Idem possemus & nos dicere, quando

Bernar.

Actor. 3

eijcimus dæmonia, adscribentes eiectionem vt causæ principali Christo Domino, & nobis vt instrumẽtarijs: qui virtute accepta à Christo id opus nostris viribus impar perficimus. Communicauitq; hãc potestatem hominibus, vt ipsi, licèt natura imbecilliores, possent tãquam causæ instrumentales dæmones fugare, imò & profligare, ne hominibus molesti sint, & non sine operationibus humanis (quas esse necessarias vt instrumenta humana operentur) schola Sancti Thomæ affirmat.

3 Quare meritò disputabitur, quibus actibus, quibusve medijs Christus Dominus suam virtutem communicauerit, vt his adhibitis homines abigant dęmonia, ne hominibus molesta sint. *Secundò*, istorum mediorum virtutem, ac efficaciam tuebimur aduersus calumniantes Hæreticos. *Tertiò*, docebimus modũ concurrendi horum mediorum ad dæmonum pulsionem. *Quartò*, an semper media isthęc efficacia sint ad hostes communes hos propulsandos. Ac demum, an aliquibus sensibilibus vis naturalis insit ad cogendos dæmones, ne hominibus molesti sint? Igitur sit

DISPVTATIO XII.

De numero mediorum, quibus licitè & proficuè vti possint fideles, ad fugandos dæmones.

4 IN primis de exorcismis, quibus exercetur potestas abigendi dæmones collata à Christo, de qua toties egimus.

Exorcismus Græcè, *adiuratio* Latinè dicitur. Quid autem sit adiurare dæmones, superius docuimus: est namque dæmonibus imperare per obtestationem alicuius rei sacræ, ne hominibus mala inferant.

Dubitatur tamen: *an de essentia adiurationis sit imperium confirmare per aliquid diuinum? & quod sit illud?* *An adiuratio aliquo diuino sit confirmãda?*

Et videtur vera pars affirmatiua. *Primò* quia Marci vltimo, vbi potestas abigendi dęmones renouata est, *Marc. vlt.* & traditus modus ea vtendi, dicit Christus Dominus: *In nomine meo dæmonia eijcient.* Ecce adiuratio necessariò debet fieri per inuocationem alicuius diuini, imò necessariò per inuocationem nominis Iesu. *Confirmatur:* quia isto modo adiurandi vsi sunt Apostoli, & Patres eorum coætanei. Legitur namque Luc. 10. Apostolos missos à Christo ad prædicandum cum gaudio reuertẽtes dixisse: *Lucæ 10.* *Domine in nomine tuo etiam dæmonia subijciuntur nobis.* Ad quorum imitationem quidam Iudæi dęmonia pellebant in nomine Iesu, vt videre licet Lucæ 9. & D. Paulus Acto. 16. eijciens spiritum immũdum à puella ait: *Præcipio tibi in nomine Iesu discedere ab ea.* *Lucæ 9.* *Actor. 16.* Et Actuum 19. quidam Iudæi leguntur adiurasse dæmones per nomen Iesu, quem Paulus prædicabat, *Act. 19.* nimirũ, quia videbant Paulum eodẽ nomine vti in dæmonibus pellendis: & Iustinus coætaneus Apostolorum: *Nominis Iesu* (inquit) *potentiam dæmones tremunt, & reformidant,* *Iustinus.*

& he-

& hodie quoque illi per nomen Iesu adiurati nobis parent. Secundo adiuratio dæmonum est actus Religionis, & sub hac ratione de adiuratione differit D.Thom. *in art.* 2. *huius quæst* at nisi fiat per obtestationem alicuius rei sacræ non est actus Religionis & cultus: quia solum imperium non est actus Religionis: ergo necessario debet fieri per aliquam rem sacram.

D.Thom.

In oppositum est: nam in locis citatis in prima disputatione, absoluta potestas confertur hominibus calcandi dæmones, ac eijciendi: ergo non est cur limitetur, & necessario debeat fieri per obtestationem alicuius rei sacræ. *Secundo.* Multi viri sanctitate insignes solo imperio dæmones fugarunt. Id effecit Parthenius, vt ait Metaphrastes septima Februarii. Idem de Remigio refert Hincmarus in vita Remigii, & de sancta Anatholia ait Surius tom. 4. primo afflasse dæmoniacum, & ad dæmonem conuersa ait: *Exi ab homine*, & statim discessit.

Metaphr. Hincmar. Surius.

5. Ad dubitationem *dico primo.* Modus adiurandi dæmones, vsitatus tempore primitiuæ Ecclesiæ per inuocationem nominis Christi perficiebatur. Cuius nominis? nam Christus multis nominibus vocatur in sacris Literis; Prophetarum cuiusuis inuocatio sat erat: sed Apostoli nomine Iesu vtebantur, quod vocatum est ei ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Hoc dictum probatur primo argumento pro affirmatiua parte, & eius confirmatione.

Dico secundo. Adiuratio quæ Religionis actus est, & efficax ad dæmones pellendos, debet necessario fieri per obtestationem alicuius rei sacræ; non est tamen necessarium quod fiat per nominis Iesu inuocationem. *Prima pars prob.* argumento secundo pro parte affirmatiua. *Secunda vero probatur* argumento secundo facto in oppositum pro parte negatiua. Et præterea: quia in lege veteri adiuratio sæpe fiebat per nomen Dei tetagrammaton, vt retulimus ex Epiphanio, & etiam in lege gratiæ adiurationes factas esse per Crucem, & per alia sacra legimus.

6 *Dico tertio.* Adiuratio dæmonum efficax ad abigendos dæmones, benè potest fieri per solum imperium, nulla præcedente oratione, aut obtestatione rei sacræ. Probatur argumento primo, & secundo in oppositum pro parte negatiua.

Ad *primum pro parte affirmatiua,* quatenus militat contra tertium assertum, *respondetur*, in sacris Literis, quando aliquid dicitur, aut iubetur fieri in nomine Christi, non in vna & eadem significatione phrasis loquendi intelligenda est. Ioann. 14. dicitur: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. In nomine meo,* id est meis meritis confisi: & ibidem: *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo:* id est mea autoritate: & Ioan. 10. *Opera quæ ego facio in nomine*

Ioann. 14 Ioan. 10.

Patris mei: Id est in virtute Patris mei: at Marci vltimo, quamuis fortasse possent accommodari præfatæ acceptiones, tamen in nomine Christi esse dæmonia eijcienda sensus est, id est in virtute, & efficacia accepta à Christo: Quod contingit siue expresse adiuratores inuocent Christi nomen, siue rem quamlibet sacram, siue nudè imperent dæmonibus exitum: totum id, quidquid fit, virtute accepta à Christo fit. Quod nō obscurè indicatur in testimonio allato in annotatione ex Actorum 3. *Ad confirm. resp.* eum modum adiurandi per nomen Iesu præstantiorem putamus, licet expressa inuocatione eius nominis non sit necessaria ad saluandum substantiā adiurationis.

Marc. vlt.

Ad 2. *resp.* concedendo actus imperandi dæmones, nisi fiat explicitè, aut implicitè, per obtestationem alicuius rei sacræ non esse Religionis actum, neq; esse propriè adiurationem, esse tamen opus miraculosum pertinens ad gratiam gratis datam eiectiuam dæmonum, promissam à Christo Domino in multis locis citatis in prima disputatione.

Exorcismorum duo sunt genera: quidam breuis, nimirum constans nuda, ac simplici adiuratione, v.g. *Præcipio tibi dæmon per Iesu nomen, vt exeas ab homine hoc.* Vel alia simili formula imperandi dæmonib. Quidam vero amplior, plures res & verba complectens, nempe orationes, Euangeliorum recitationes, sacrarum vestium, reliquiarum, Crucis, ac imaginum vsum: & præcipue verba imperatiua, quibus dæmones specialius coguntur, vt videre licebit in ritualibus, quibus Romana ecclesia vtitur.

7. Prioris generis exorcismo vsi sūt Apostoli, & Patres primitiuæ Ecclesiæ, maximè per inuocationem nominis Iesu, vt diximus. Et eandem vsurparunt fœlici euentu alij insignis sanctitatis viri, ac fœminæ. De Theodoro Archimandita refert Gregorius in eius vita apud *Surium to. 2.* multos dæmoniacos inuocatione nominis Iesu liberasse. Idem de Arsatio dicit Sozomenus 4. *lib. hist. c. 15.* & de D. Antonio Athanasius in eius vita: & sanctus Dominicus dū concionaretur quædam dæmoniaca clamoribus Ecclesiā replens auditores conturbabat: at sanctus Pater in nomine Iesu Christi facto Crucis signo spiritui præcepit exire ab obsessa, & statim discessit: *ita cap. 9. l. 2 vita ipsius.*

Surius. *Sozome.* *Athanasi.*

At vero post tempora primitiuæ Ecclesiæ, amplior exorcismorum forma cœpit introduci. Vbere illa & copiosa gratia eijciendi dæmonia in exorcistis languente, ac proinde egressu dæmoniorum non ita facilè existente: Ecclesia (quæ omni tempore ab Spiritu sancto gubernatur) ordinauit quosdam exorcismos ampliores, & extensiores, qui essent veluti epilogus omnium mediorum, quibus dæmones fugari solent: orationis scilicet, ac ieiunij, Crucis, reliquiarum, ac rerum sacrarum vsus, vt

multis

multis adhibitis machinis exitialis hostis cedere loco cogeretur:& istorum exorcismorum ampliorum vsum, solis exorcistis delegauit, propter rationes à me adductas disputatione 5. quorum exorcismorum formulæ videndæ sunt in rituali Romano.

8. De successu fœlici vtrorũq; exorcismorum multa narrarunt maiores nostri, à quibus supersedeo ne morosus fiam. Sed quid acciderit S. Hilarioni referre non grauabor ipsis D. Hieron. verbis in vita Hylarionis. *Marsitas* (inquit Hier.) *fortissimus iuuenis de territorio Hierosolymæ tantum valebat viribus, vt quindecim frumenti modios diu longeque portaret, & hanc haberet palmam fortudinis suæ si asinos vinceret: hic afflictus pessimo dæmone non catenas, non compedes, non claustra ostiorum integra patiebatur. Multorum nasum, & aures morsibus amputauerat, horum pedes, illorum gulam fregerat: tantumque sui terrorem omnibus incusserat, vt oneratus catenis, funib. in diuersa nitentium, quasi ferocissimus taurus ad monasterium Hilarionis Eremitæ pertraheretur, quem postquam fratres videre perterriti (erat enim miræ magnitudinis) indicauerunt Patri. Ille sicut sedebat iussit eum ad se pertrahi, & dimitti, solutoq; : Inclina (ait) caput, & veni. Tremere ille, & ceruicem flectere, neq; aspicere contra ausus, omnique ferocitate deposita, pedes cœperit sedentis lambere adiuratus itaque dæmon, & tortus qui iuuenem possederat, septima die egressus est.* Hæc Hier. in vita Hilar. Hieron.

Sed numquid solis exorcismis fugantur dæmones? Soli exorcismi directe ad nostram disputationem pertinent, qui disputamus de potestate abigendi dæmones per adiurationem. Sed sunt etiam multa alia media, quibus orthodoxi prospero euentu vtuntur, videlicet oratio, reliquiæ, Crux, ac res consecratæ. De his singulis dicamus.

Oratio.

9 AD fugandos dæmones orationẽ plurimum valere palã est ex impetratiua facultate, qua pollet, si legitimis circumstãtijs vestiatur. De quo late diximus alias ad *q.* 83. *ar.* 15. tum etiã exemplis (quę plurima sũt) eorum qui orationũ auxilio à dęmoniorũ infestatione liberati sũt. Ioannes diaconus in vita S. Gregorij Magni *l.* 4. *c.* 93. refert suasione S. Grego. Litanijs spectrum formidabile dæmonis quasi cornuti à quodam loco quem reddiderat inhabitabilem, pulsum fuisse. Et ibidem refertur, oratione fugatum dæmonem, qui in forma cati, cuidam Religioso molestus erat: & idẽ Greg. *l.* 1. *dialog. c.* 10. de Fortunato Tudertinæ Ecclesiæ Episcopo narrat, oratione dæmonia à corporib. obsessorum expellere solitũ, & de S. Hilar. D. Hierõ. in eius vita ait, ducentos propemodũ, partim viros partim mulieres à dæmonis vexatione liberasse. Multa alia exẽpla possent auferri, hæc tamen sufficiant. si aduertam⁹, fere quotiescũq; vel Cruce, vel exorcismis, dæmones pulsi sũt, oratio effusa est. Et ideo in beneficio liberationis à dęmonũ tyrãnide, sua laus nõ est illi adimenda. Ioann. Diacon. Gregor. Diac.

Reli.

Reliquia.

SEcundum medium est reliquiarum vsus: tempus codicesque deessent si enumerare vellem, quanti obsessi, quanta loca infesta, quot homines, à dæmonum crebra assistentia fatigati, libertate donati fuerint reliquiarum vsu. Vnum, aut alterum exempla proferam. *Actor.* 19. attactu semicinctiorum, & sudarij D. Pauli referuntur dæmonia pulsa: & vmbra D. Petri vim dæmonibus esse allatam, non obscurè insinuatur cap. 5. & per D. Petri catenas, quibus vinctus fuerat, plurima dæmonia eiecta testatur Vincentius *lib.* 24. *cap.* 88. Gregorius Nissenus in vita Gregorij Thaumaturgi apud Surium *tom.* 4. quod anhelitu oris sui velum afflauerit, & obsesso illud imponens dæmonem expulerit. De munimine aduersus dæmones per reliquias euentum celebrem referre non grauabor ex verbis D. Theodoreti historia Sanctorum Patrum cap. 21. quæ recitat Baronius tom. 5. historiæ Ecclesiasticæ circa annum Domini 424. *Execrandus Marcio* (inquit Theodoretus) *multas spinas impietatis seminauit in regione vrbis Cyri, eas cum conarer euellere radicitus: noctu venit quidam dæmon exitialis clamans, & lingua vtens Syriaca: cur inquiens bellum geris cum Marcione? cur hanc pugnam aduersus eum suscipis? Quanam is, te nunquam affecit molestia, desine belligerare, desine à maleuolentia, aut disces experientia, quantum bonum sit quies. Scias quod te iam pridem confodissem, nisi chorum Martyrum te custodientem vidissem cum Iacobo. Hæc ego audiui, & dixi cuidam ex familiaribus, qui prope me dormiebat, audis inquam, quæ dicuntur? Ille verò: Omnia inquit audiui & cum vellem surgere, & respicere, & scire quis loqueretur, tua causa quieui: quia te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes respeximus, neque vllum, qui moueretur vidimus, nec qui loqueretur audiuimus. Illa verba alii quoque qui nobiscum habitabant audierunt. Intellexi igitur quod martyrum quidem chorum ducebat lecythum olei martyrum, qui cum à multis martyribus collectam haberet benedictionem pendebat in meo lecto. Sub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis claustro adamantino fuit mihi quoque validior.*

Nissenus.

Sed illustrius exemplum refert Beda li. 3. historiæ Angelorum cap. 11. quod quia etiam pluribus locis huic disputationi potest seruire etiam ipsius verbis ascribimus: *Monasterium nobile fuit in prouincia Lindisi nomine Baernadum. Huc quodam tempore hospes venit, qui solebat nocturnis sæpius horis repente ab immundo spiritu grauissimè vexari. Cum igitur benigne susceptus post cœnam in lecto membra posuisset, subito à diabolo arreptus inclamare, dentibus frendere, spumare, & diuersis motibus cœpit membra torquere. Cumque à nullo vel teneri, vel ligari potuisset, cucurrit minister, & pulsans ad ostium nuntiauit Abbatissæ. At illa aperiens ianua exiuit cum vna Sanctimonialium fœminarum ad locum virorum, & euocans presbyterum, rogauit secum*

11 Beda.

cum venire ad patientem. Vbi cum venientes viderent multos affuisse, qui vexatum tenere; & motus eius insanos comprimere conati nequaquam valebant, ducebat presbyter exorcismum, & quæcunque poterat pro sedando miseri furore agebat: sed nec ipse quamuis multum laborans, proficere aliquid valebat. Cumque nil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mentem habuisse puluis ille præfatus (intellige cineres sancti Oswaldi martyris) *statimque iussit ire ministram, & capsellam in qua erat adducere. Et cum illa afferens intrasset atrium domus, in cuius interioribus dæmoniosus torquebatur, conticuitque ille subito intentique ora tenebant reliqui quem res exitum haberet solicite expectantes. Et post aliquantum horæ spatium resedit, qui vexabatur & grauiter suspirans: Modo inquit sanum sapio, recepi enim sensum animi mei. At illi sedulo sciscitabantur, quomodo hoc contigisset. Quibus ille: Mox vt virgo hæc cum capsella, quam portabat, appropinquauit atrio domus huius, discesserunt omnes, qui me premebant spiritus maligni, & me relicto nusquam comparuerunt.* Hactenus Beda.

Crux.

12 Tertium medium est Crucis vsus; Crucis, inquam, id est effigiei Crucis: nam particulæ ligni sanctissimi, cui Christus Dominus affixus est ad reliquiarum vsum spectat: effigiei vero Crucis (siue Crucem formes in aere, siue in materia solida, siue in plano depingas) vsum ad dæmonia arcenda efficacem fuisse, apud Catholicos constans res est, & antiquissima, vt videre licebit in disputatione sequenti: modo exẽplis allatis huius efficacitatis, contenti simus. Si prius aduertamus, Crucis, quæ in aere formatur, duplicem esse vsum: quendam, quando homines sibi imprimunt eam, vt cum fronté, pectus, vel os Cruce munimus: alterum, quando alijs Crucem affigimus, vt in administratione Sacramẽtorum contingit, & quando à Sacerdotibus, aut Episcopis benedictio datur: vtroq; modo magno præsidio fuisse aduersus dæmones, tam apud fideles, quam apud ethnicos ex historijs palam fiet. Epiphanius Hæresi.30. scribit Iosephum quemdã, nõdum Christianum, Cruce Christi dæmonia eiecisse, & deinde Christianum effectum, eadem Cruce Iudæorum incantationes destruxisse. *Lucian.* Lucianus Atheista, & omnis Religionis irrisor tradit, Eucratem dignũ fide virum, cum annulum accepisset ex ferro ex quadam Cruce facto, aduersus spiritus nequam redditũ fuisse securum. *Itaque* (inquit Cesar Baronius, Anno Christi sexagesimo,) *Baron.* *quemadmodum Iudæi exorcistæ, licet in Iesum Christum non crederent, tamen quod scirent à Paulo, & alijs Christianis, in nomine Iesu pelli dæmones: & ipsi eodem nomine ad dimouendũ eos vtebantur. Ita Magi, quod à Christianis fœliciter factitari videbant, nimirum Crucis virtute eos dæmonibus imperare: & ipsi ad coercendos, cum opus esset, impetus dæmonum signo Crucis vti voluerunt.* Diuus Gregorius

Nissen. Nissenus in vita sancti Gregorii Neocesariensis ait, eum sæpe contra dæmones his armis instructum pugnasse. Et idem de Beato Antonio refert Hieronymus in vita D. Pauli, *Hieron.* & Metaphrastes in vita sanctæ Mar- *Metaph.* garitæ, eam, dæmonem in figura Draconis occurrentem profligasse. Et Gregorius Linconiensis Cruce eiecit dæmones à multis obsessis, vt refert Gregorius Turonensis in eius *Turon.* vita: & nostro seculo sanctam Bri- *Surius.* gittam signo Crucis fugasse dæmonem, narrat Surius in eius vita, *tomo* 4. Idem de sancta Catherina Senensi refert Raymundus in eius vita. Vide Surium *tom.* 4. Hæc satis sunt de multis quæ afferri possent.

Res consecrata.

13 QVartum medium ad fugandos dæmones est vsus rerum consecratarum, aut benedictarum. Quod vt clarius percipias est aduertendum, omnes & singulas res benedicere, Ecclesia in more habet: imitans sui magistri facta, qui vsus fuit cibum ac potum benedicere, dum in humanis ageret, & postquam gloriosus à morte resurrexit vsus est benedictione in deserto, vsus est etiam in Emaus: & omnes Orthodoxi ad eius imitationem omnia, quibus vescimur, ac potamur benedicere solemus. Finis autem huius generalis benedictionis est, vt res benedictæ à dæmonum vsibus substrahantur, & ab eorum infestationibus sint liberæ: at vero quædam res consecrantur, aut benedicuntur ob peculiares fines: verbi gratia, vestes sacræ ad cultum diuinum solemni pompa exercendum, Oleum, Chrisma, & similia ad Sacramenta solemniter ministranda: quædam vero sunt, quæ extra Sacramentorum administrationem vsibus humanis deseruiunt; interdum quidem ad morbos curandos; interdum ad dæmones fugandos, vel ab obsessorum corporibus, vel ne loca infestent terroribus, apparitionibus, &c. aut vero tempestatibus immissis fulguris, grandinis, &c. & tertio vt abigantur, ne persequantur crebra sua assistentia homines quosdam: huiusmodi sunt aqua benedicta, sal exorcizatum, imagines cereæ, quas agnus Dei appellamus. Quæ omnia benedici aut consecrari ad dæmones abigendos clarum erit legenti formulas inferius expressè referendas; quibus vtitur Ecclesia Catholica in eorum benedictione, aut consecratione: & huiuscemodi res benedictæ, aut cõsecratæ sunt, quæ præcipue ad pellendos dæmones valent, quia ad id institutæ sunt, an sycophantiæ accusanda est Ecclesia in tali institutione? Absit.

Aliæ vero res sacratæ indirectè, & minus præcipuè propter exosam à dæmonibus sacrationem, aut benedictionem dæmonia fugant, de quibus fusius disputatione immediatè sequenti. Exemplis manifestemus (sicut in cæteris medijs fecimus) has res consecratas, aut benedictas

dictas dæmones fugare. Oleo benedicto Theodorus Archimādrita (vt scribit in eius vita Presbyter Georgius) expulit dæmonem, qui vehementem cruciatum & tremorem membris obsessi nautæ afferebat. Aqua benedicta sanctus Germanus sedauit tumescentes, & inualescentes maris fluctus, quos dæmon viri sancti in Anglia aduentum impedire volens excitauerat; ita Beda in Historia Anglorum *lib.1 cap.17*. Beatus Marcellus, Episcopus Apamdæ vt refert Theod *lib.1.c.21.* cum diabolus conaretur impedire, ne Iobis Apameni famosum delubrum cōbureretur, sanctus Episcopus aspersione aquæ benedictæ dæmonem fugauit. De alijs rebus consecratis, ac clamatio populi Christiani eas ad fugandos dæmones magni momenti esse testatur.

Geor. Pres.

Beda.

Theodor.

Et hæc de numero mediorum quibus dæmones abiguntur: nam si quæ sunt alia ad iam relata reducuntur: v.g. manuum impositio super energumenos, qua Beatus Germanus Parisiensis Episcopus plurimos dæmoniacos liberauit; vt ait Fortunatus Pictauorum Episcopus in eius vita, cap. 30. ad vsum reliquiarum reducitur. Idem dicendum de digitorum immissione in os obsessorum qua curauit quandam dæmoniacam sanctus Clarus Abbas Vienensis: ita Surius in eius vita tom. 1. Idem etiam dico de crucifixi imágine. Missæ autem sacrificium ad rerum sacratarum vsum reduco.

Surius.

DISPVTATIO XIII.

Contra Hæreticos in defensionem exorcismorum, & omnium mediorum, quibus Ecclesia vtitur ad dæmones pellendos.

HÆretici sectarij imitantes Waldenses, ac Wiclephistas, vt in omnibus Orthodoxos sugillent, nilque quod Ecclesia Romana approbat intemeratum custodiant: exorcismos extensiores, quibus Ecclesia modo vtitur, & omnia præfata media, quæ diximus ad pellendos dæmones conducere, partim irrident, partim impugnant: qua propter operæpretium iudicaui, eorum impugnationes afferre, & si quæ aliæ se offerunt: vt illis eneruatis, vsus præfatorum mediorum à calumnia vindicetur Hæreticorum.

Primo contra vsum prædictorum mediorum obijciunt, non colligi ex sacra Scriptura ea deseruire ad dæmones profligandos, quinimo quædam ipsorum esse merum inuentū hominum, vt sacrarum rerum vsus: quarum sacrationem superstitiosam appellant, cedentem in Omnipotentis iniuriam. *Confirmatur*: quia isti verbosi, ac prolixi exorcismi, quibus Ecclesia Romana vtitur, longe diuersi sunt ab his, quos in vsu habuit primitiua Ecclesia Apostolorum. Hi simplices adiurationes per nominis Iesu inuocationem: illi, prolixæ cæremoniæ, multis superstitionibus referti,

vsus sacrarum vestium, aquæ benedictæ aspersio, ieiunia multiplicata, litaniæ infructuosæ ad Sanctos, qui in cœlis sunt, & similia plena superstitioso cultu, parum aut nihil conducente ad dæmonum expulsionem.

Secundo. Hæretici fatentur dæmones ad præsentiam istorum mediorum fugam capere. Fugiunt conspectis Sanctorum reliquijs: ita Hæretici Magdeburgenses *centuria quarta, capit.* 13. Fugiunt ad conspectum Crucis: ita fatetur Brentius Hæreticus, teste Alano, *lib.* 4. *Dialog. cap.* 3. idem dicerent, vt existimo, de vsu rerum sacratarum. Hoc etiam fatemur Catholici: sed superaddunt impij Hæretici dæmones nequaquam inuitos pelli, sed fugam simulare, vt sic homines credant, in his rebus esse aliquid numinis, vel ad superstitiosum cultum (qualis est istorum vsus) inducantur. *Alanus.*

Tertio. Sine aliqua vi præfatis medijs impressa nequeunt dęmones abigi: hanc autem in eis constituere ridiculum est: nam vel spiritualis vis est, aut corporalis: hæc nil valet aduersus spiritus, neque in eos quidquam operari potest; illa vero residere in corpore nequit: ergo.

2. Non est animus extrahendi disputationes à proprijs sedibus & ideò à multis, quæ in præfatis argumentis tanguntur supersedemus. Orationes ad Sanctos, qui in cœlis sunt, licite fundi, contra Hæreticos modo non disputamus, de quibus alias late ad *q.* 8. *articul.* 4. vsum reliquiarum, & Crucis esse valde Deo gratum (rumpantur scilicet,) asserimus cum Catholicis interpretibus Diui Thom. 3. *parte*, *quæst.* 25. cæremonias exorcismorum minutatim defendere, cum rationes Hæreticorum friuolæ sint, non vacat. si quis hæc cupiat, legat Petrum Thireum ex Societate Iesu *de locis infestis* 3. *parte per multa capita*. *D. Thom.* *Pet. Thir.*

Modo nos aduersus Hæreticos asserimus præfata media esse efficacia ad dæmones fugandos, & eorum vsum non superstitiosum, vt Hæretici calumniantur, sed sanctum, religiosum, ac pium. *Probatur.* Id quod Catholica Ecclesia obseruat ab Apostolorum, vel suorum coætaneorum tempore licitum & sanctum censeri debet, & est: sed præfatorum mediorum vsus ad profligandos dæmones fuit in pretio habitus à tota Patrum antiquitate, & perseuerat vsque ad nostra tempora: ergo licitus, & religiosus est omni carens superstitione. Maior Regula celebris est Beati Augustini *libro quarto contra Donatistas capite* 24. vbi id censet Apostolicam habere traditionem, & institutionem; quod in vniuersa Ecclesia, & omnibus retro temporibus seruatum est. Quãuis ipsum etiam tale sit, vt ab Ecclesia potuerit institui. Et Iren. *libr* 3. *cap* 3. ac Tertull. lib. de præsc. docent ex Apostolica descendere traditione, quod pro tali habetur in his Ecclesijs *Assertio.* *August.* *Tertul.*

clesijs, vbi est integra, & continuata successio ab Apostolis. *Minor huius syllogismi prob.* discurrēdo per singula. De vsu & virtute exorcismi: id est ad. iurationis, res constans est legenti Euangelia, & Actus Apostolorum: vbi constat imperio per inuocationem nominis Iesu (hoc est exorcismus) dæmonia fugata ab Apostolis, imò & à Iudæis, de quo nos latè in disputatione immediatè præcedēti. Et Tertullianus *libro de præscript. c* 40. in mulierculas quasdam, quæ officiū exorcistarū vsurpare præsumebant, his verbis inuehitur: *Ipsæ mulieres Hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant docere, exorcismos agere, &c.* Diuus Cyprianus, ad Demetrianum Proconsulem; *adiurantur* (inquit,) *dæmones à nobis, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessorum corporibus eijciuntur.* Et idem de idolorum vanitate. *Adiurati* (inquit) *per Deum verum à nobis, statim cedunt, & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur: videas illos nostra voce & operatione maiestatis occultæ, flagris cædi, & igne torreri, incremento pœnæ propugnantis extendi, eiulari, gemere, deprecari, vnde veniunt, & quando discedunt, confiteri.* Hæc Cyprianus ferè coætaneus Apostolorum. Et similiter Hieronymus, Augustinus, & alij vsque ad nostra tempora. *Dicent* fortasse, exorcismum breuem vsitatum tempore Apostolorum licitum esse, & hæc operari: non verò eum ampliorem, qui modò in vsu est. *Contrà:* nam qui modo in vsu est essentialiter consistit in imperio erga dæmones, per obtestationem alicuius rei sacræ: sicut & is breuis, qui erat in vsu Apostolorum tempore: cætera quæ adduntur, putà vsus reliquiarum, Crucis, rerum sacrarum, &c. pia sunt, vt statim ostendemus.

Cyprian. Hieron. August.

De vsu verò reliquiarum ad profligandos dæmones antiquus Hieronymus *lib. contra Vigilantium* inquit: *Tu* (dæmonem alloquitur, qui per os vigilantij reliquias Sanctorum vilissimum puluerem appellauerat) *sæpè vilissimo hoc tortus es puluere.* Chrysostomus Homil. 66. ad populum Antiochenum: *Reliquiæ Sanctorum* (inquit) *dæmones sistunt, & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis*: & libro contra Gentiles de vita sancti Babilæ: *Ea* (inquit) *est Sanctorum potestas, vt illorum superstitum, dæmones ne vmbras quidem, aut vestes, vita autem defunctorū, & loculos quoque reformident*: & sermone in adorationem catenarum sancti Petri: *Has catenas* (inquit) *potentiarum, quæ ab ipso defecerunt, Princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret, & multo cum timore illas subterfugiens comprimitur. Has aerea spirituum multitudo metuens, ac tremens, iaculisque inde emissis percussa, longius perfugatur, &c.* Ac denique exempla multa nobis annales omnium ætatum, ac temporum subministrant. Videnda sunt, quæ diximus dubitatione præcedenti.

3 Hieron. Chrysost.

De vsu Crucis aduersus dæmones Lactantius libr. 4. cap 27. *Sicut ipse Christus cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emoliebat, & malis incursibus feria-*

4 Lactan.

tas in sensus pristinos reponebat. Ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus & nomine magistri sui, Basilius. *& signo passionis excludunt.* Hæc Lactantius. Diuus Basilius, *libro de Spiritu sancto,* Crucem vocat saluberrimum remedium ad pellendos dæmones. Sanctus Ephren *de pœnitentia capit.* 3. Ephren. insuperabilem Christianorum armaturam. Origenes. Origenes homil 5. in sextum caput Exodi: *Timor & tremor* (inquit) *cadunt super dæmones, cum signum in vobis viderint Crucis fideliter fixum.* Et Homil. 8. ad diuersos, sic habet: *immortale labarum* (Crucem) *portemus in frontibus nostris, cùm dæmones hoc viderint contremiscent, qui aurata capitolia non timent.* August. Augustus. ad Cathecumenos docet, idcircò eos Cruce signari, vt dæmonibus sint terrori. Sanctus Antonius, teste Athan. Athanasio *in eius vita*, contra omnes terrores solo Crucis signo iubebat Cyr. Hier. securos esse monachos. Cyrillus Hierosolymitanus, Cathechesi. 9. *ne pudeat* (inquit) *vos Christum crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signum Crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus Crux fiat, in panibus, comedendis, in poculis bibendis. & in ingressu, & in egressu, ante somnum recumbendo, & surgendo.* Continuatam verò seriem religiosi vsus Crucis ad fuganda dæmonia monstrant exempla à nobis allata de hac re in præcedenti disputatione: & innumera alia, quæ possent adduci, non solùm de fuga dæmonum per Crucis virtutem, verum & de multis alijs mirabilibus eiusdem virtute patratis.

Ex dictis planè confutantur Hæretici dicentes vsum Crucis ad profliganda dæmonia esse superstitiosum. Bone Deus, si vniuersa Patrum antiquitas Crucis virtutem venerata est, & ad profligandos dæmones in pretio habuit: qua fronte isti nebulones, quove fundamento superstitiosum dicunt, quòd à sanctissimis viris vsitatum totis retro temporibus fuit?

De rebus verò sacratis, seu bene- 5
dictis, quæ per se non ordinantur ex sua sacratione, aut benedictione ad dæmonia fuganda, modo nil dico: dicet & ipsi eas, & earum vsum reprehendant: quia multi viri docti Catholici nostræ ætatis eas tuentur contra istorum insaniam: solùm dicam de vsu earum sacrarum, quæ ex vi suæ institutionis, aut sacrationis ad dæmones pellendos institutæ sunt. Fatemur, ab Ecclesia hasce res esse sacratas, & ad præfatum vsum institutas, & orasse, ac orare, vt prædictum sortiantur effectum. Nunquid non potest expulsio dæmonum oratione impetrari, sicut alij mirabiliores effectus? Nunquid creaturas benedicere nouum, aut superstitiosum? Oleum ab Apostolis benedicebatur ad vngendos infirmos. Diuus Basilius *libro de Spiritu Sancto* docet esse Apostolicam Basilius. traditionem, quod aquam benedicimus. Sed antiquitatem probat maximè oratio, quæ inter constitutio-

tutiones à Clemente scriptas repe-ritur: vbi sic dicitur: *Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & dator olei, misericors, & benigne, qui dedisti aquam ad potum, & munditiem, oleum ad exhilarandum faciem in exultatione lætitiæ: ipse quoque nunc sanctifica aquam, & hoc oleum, in nomine eorum, qui attulerunt, & da virtutem sanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, omnibus insidijs aduersariam. Per Christum, qui est spes nostra, &c.* Demum aquæ benedictæ meminerunt Epiphanius Hæresi. 30. Theodoretus *libro 5. capit.* 21. Augustinus *homilia 27. ex 50. & sermone 19. de Sanctis, & lib. 6. in Iulianum, cap. 8.*

Epiph. *Theodor.* *August.*

Neque desunt pro hoc vsu innumera exempla, quæ partim retulimus disputatione præcedenti. Et hæc satis dicta sint ad impugnandum Hæreticos, qui censent vsum mediorum, qui innumerauimus esse superstitiosum.

6 Sed accingamur necesse est ad eosdem Hæreticos impugnandos, asserentes dæmones his applicitis medijs nequaquam inuitos fugari: sed volentes discedunt, inuitos se exterminari simulant, vt sic homines ad vsum superstitiosum earum rerum inducãt, non sine magna Dei iniuria. O nequitiam! O calumniam! quæ à nobis retundẽda est. *Primò* sancti Patres, quos citauimus, & alij post eos aiunt his rebus, verbi gratia, reliquijs Sanctorum, Crucis signo dæmones torqueri, compelli, inuitos fugere: & isti nouatores asseuerant dæmones fugam simulare, ac volentes, imò lætos discedere, vt homines ad vsum superstitiosum inducant. Quibus maior fides adhibenda est? Istis qui nouissimis temporibus peruersa dogmata inuexerunt: an vniuersæ sanctorum Patrum antiquitati, & sequentium Orthodoxorum vniuersitati, qui dæmones his rebus inuitos fugari, & torqueri asseuerant? Vnde agnouerunt Hæretici dæmones fugam simulare? an quia illis Deus reuelauit, & per tot secula sanctis viris sibi dilectis occultauit? an quia ipsi dæmones suaserunt? Ita reor, vt sibi familiaribus. Sed mendax est, & pater mendacij, & hac via inter alias vult, vt ab Ecclesia Catholica discedant.

Sed propius ad rem accedentes, audiamus Chrysostomum contra Gentiles de vita sancti Babilæ docentem, oraculum Apollinis siluisse ob viciniam sepulchri sancti Babilę, & vt loquelam reciperet iussisse Iulianum apostatam arcam Martyris remoueri. Dicunt centuriatores diabolum de industria simulasse se impediri à Martyre; vt in vsum ac venerationem reliquiarum superstitiosam induceret. Sed isti cæci attendant, quã futilis sit eorum respõsio: nam vix arca Martyris amota est, quando ignis de cœlo descendens idolum, vnde diabolus oracula reddebat totum consumpserit. Vide Bellarminum *tomo primo contr. vltima, lib. 2. cap. 2.* *Chrysost.* *Bellarm.*

Nar-

7 Nazian. Narrat item Nazianzenus, in *oratione contra Iulianum apostatam* semel euocasse dæmones, vt ei assisterent: at ipse vel metu percussus, vel pro consuetudine Christianorum, ipse apostata à Christianismo, se Cruce signat, & statim eo signo dæmones, quos euocauerat, fugat. *Dicet* vtique nouatores isti, dæmones nequaquã fuisse fugatos virtute Crucis, sed fugam simulasse: ad quid rogo? ad inuitandum perditum apostatam, vt honoraret Crucem, quem à Crucis honore iã auocauerat? nonne satius esset ipsis, inuitare ad blasphemiam Crucis, ad quam ipse animatus erat? Voluerunt ne persuadere, vt Christianus fieret, quem ad abnegandam fidem Christi spe maximi lucri induxerant? Quid ineptius potuit excogitari, aut dici? Profectò si vnquã dæmones simulauerunt fugam ad conspectum Crucis, cum se signo Crucis signauit apostata, fugam simulare non debuerunt; sicut neque ad effigiatam Crucem à Iosepho Iudæo: (de quo supra retulimus, Crucis signo pellere dæmones ab obsessis,) siquidem hac re motus, Christianus effectus est. Quis autem dicat fugam simulasse dæmones, vt Iosephus abnegato Iudaismo Christianus fieret? Ferè eadem argumenta fieri possunt de eiectione dęmonum per nomen Iesu, ipsis formidabile; per aquam benedictam, & alias huiuscemodi sacratas res.

8 Demum, si veterum Historias euoluamus, inueniemus magna, & multa prodigia patrata esse reliquiarum, & Crucis vsu, & aliorum quæ isti nouatores nolunt admittere ad fugam dæmonum efficiendam.

Mittamus cætera, ne nimis prolixi simus, & sermonem instituamus de Cruce signo, cuius virtute plura facta esse prodigia legimus, sanatos morbos, restitutam sanitatem, dracones ingẽtes peremptos: ita Theodoretus in vita Iuliani, & Marciani Martyrum. Cęcis lumen restitutum: ita Victor Vticensis, *de persequutione VVandalica*. Haustum sine detrimẽto salutis venenum, vt scribit Diuus Gregorius. Fractos, & repulsos maris fluctus; scribit enim Hieronymus, in vita Hilarionis, post mortem Iuliani Imperatoris mare sic intumuisse, & terminos egressum solitos, vt quasi nouum diluuium minaretur: stupefacti accolæ sanctum Hilarionem accersunt, atque in litore constitutum rogant, vt precibus suis mare, iramque Dei auertat, & Hilarion tribus in arena Crucibus factis, manus contra fluctus eleuat, & ecce subitò in modũ muri erigitur; & quasi vim sibi fieri sentientes, paulatim recedunt. Alia innumera possent adduci non solùm de virtute Crucis, verum etiam de reliquis rebus sacratis, & alijs medijs quæ approbauimus ad inducendam dæmonibus fugam. Quibus ita constitutis, & suppositis, sic formo argumentum. Pręfata media habuerunt vim ad multa portenta, & prodigia citra dæmonũ fugam, & aliqua, quæ non potuerunt à dæ-

Theodore. Vit. Vti. *Greg.* *Hieron.*

à dæmonibus fieri, vt mortuorum suscitatio, oculorum restitutio, & similia: quæ ergo ratio patitur, vt eam virtutem denegemus ad fugandos malignos spiritus? Nulla certè, sed sola malignitas Hæreticorum, qui omnia pertinentia ad ritus Ecclesiæ Romanæ conantur euertere, sibi ineptè persuadet.

9 Ad argumenta facta pro Hæreticis respondetur. *Ad primum*: non omnia, quæ Ecclesia licitè & sanctæ obseruat, habentur in sacra Scriptura, non omnia à Christo instituta: sed quædam ex traditione Apostolica habentur, & ex Ecclesiæ institutione. Hoc non admittunt Hæretici: sed Orthodoxi admittunt, vt colligere licet ex Concilio Tridentino *sessione* 7. *Cano.* 13. de Sacramentis in genere, & *Session.* 21. *capit. secundo.* Et ad hoc confirmandum adducit Synodus illud Pauli primæ ad Corinthios quarto: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: & illud primæ ad Corinthios: 11. *Cætera autem cum venero disponam.* Sed de hoc aliàs: videndi sunt Orthodoxi scriptores nostri sæculi, qui egregiè adlaborarunt contra Hæreticos.

Trident. 1. Cor. 4. & 11.

Ad *confirmat. respond.* nostros exorcismos eiusdem rationis esse cum illis, quibus Apostoli sunt vsi: fateor, sunt ampliores, & pluribus constant: quorum singula valdè prosunt ad eiectionem dæmonum: orationes, ieiunia, Crucis signa, aquæ benedictæ aspersio. Nunquid damnandi sunt, quia tot remedia congerunt, quorum singula magnam ad profligandos dæmones virtutem habent? nequaquam. Tot autem congessit Ecclesia, quia non viget tam copiosa gratia ad eijciendos dæmones in ministris nostri temporis, sicut in ministris primitiuæ Ecclesiæ: & ideò dæmones multis impetendi sunt machinis, vt relinquant miseros, quos vexant: ea autem, quæ adiunguntur, pertinere ad superstitiosum cultum negamus, sed potius ad pium & religiosum, de quo partim diximus: & alibi proprijs locis aduersus Hæreticos discutiunt nostri Theologi.

Secundum argumentum satis superque à nobis solutum est: ita vt neque verbulum sit necesse superaddere. In tertio argumento postulatur modus concurrendi præfatorum mediorum ad dæmonum pulsioné: de quo disputatione immediatè sequenti.

DISPVTATIO XIV.

De modo causalitatis dictorum mediorum.

1 OBscura visa est decisio huius rei Diuo August. *libr.* 2. *de ciuitate Dei cap* 9. vbi loquens generaliter de omnium miraculorum, & rerum, quæ superant naturæ vires operatione ait: *Siue enim Deus ipse per se ipsum miro modo, siue per suos ministros etiam faciat, siue etiam per martyrum spiritus, siue per homines adhuc in corpore constitutos, siue omnia ista per Angelos,*

August.

quibus inuisibiliter imperat, operetur: vt quæ per martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, siue aliis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt: tamen attestantur hæc miracula fidei, in qua carnis resurrectio in æternum prædicatur. Nos autem diuino numine implorato tentabimus hunc modum dissoluere, præmittendo non esse quæstionem, an præfata media possint eijcere dæmonia ex opere operantis, id est ex merito ijs vtentium: sed ex opere operato, quod aiunt Theologi: id est ex vi vsus istorum mediorum.

2 *Secundò* nota, triplicem imaginari modum possibilem, quo dæmonia ab hominibus pellantur & in fugam vertantur medijs ac signis sensibilibus. *Primus* modus est quasi connaturalis ipsi medio sensibili suppositis nostræ fidei mysterijs: videlicet quia ipso viso, aut apprehenso dæmon tristatur, & perhorrescit, & vt hanc tristitiam & horrorem euadat fugam capessit: verbi gratia, audito Christi nomine, qui de hoste generis humani mirabiliter triumphauit: visa Cruce, in qua suspensus dæmones deuicit: & in hoc modo fugandi dæmones, non aliam efficaciam habet medium sensibile, nisi quam habet obiectum cōtristans, quod naturaliter mens versare reformidat.

Secundus modus fugandi dæmones in impetratione fundatur, & hoc dupliciter. *Primo*, quando ad preces alicuius ad Deum, vel Sanctos fusas, dæmones abiguntur. *Secundo*, quoniam Ecclesia quibusdam rebus impetrauit efficaciam dæmones pellēdi, vt quando benedictionem aquæ instituit, aut imagines cereas, quas *agnus Dei* dicimus, pro exterminatione dęmonum. *Tertius modus*, quando ex Dei speciali potestate à Christo promissa, confertur quibusdam sensibilibus, vt exorcismis, causas esse instrumentales Dei ad dæmonum eiectionem, hoc dupliciter, vel vt causę instrumentales physicę, aut verò vt causæ instrumētales morales.

Tertio notandum est, non esse necessarium, vt in singulis quinque medijs enumeratis, omnes & singuli tres modi operandi dæmonum pulsionem inueniantur: sed sat erit si in aliquibus omnes, in alijs verò vnus solus operandi modus reperiatur. Sed age de singulis in speciali perscrutemur, quomodo præfatum effectum operentur.

De Oratione.

Modvs fugandi dæmones per orationem longè diuersus est ab eo, quem in alijs medijs sensibilibus constituimus: hic ad Deum tendit, & Sanctos, quibus pro dæmonum eiectione supplicatur; illi ad dæmones profligandos diriguntur: in hoc oratio non est instrumentalis causa, nisi fortè medium morale; in illis media sensibilia causæ instrumētariæ sunt. 3

Modus

Modus itaque abigendi dæmones per orationem fundatur in communi lege orationum, maximè in promissione Christi multis in locis: quas reliquit Deus vt remedium vniuersale hominum, non solùm ad bona quęcunque obtinenda, verùm & ad omnia propulsanda mala. Quæ mala? omnia: etiam dæmones: quinimò in oratione Dominica posteriorem petitionem : *Sed libera nos à malo*: de liberatione à dæmone intelligant omnes Græci, Nissenus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, & ex Latinis Chrysologus, Ambrosius, & Cassianus.

Denique hanc orationis vim, ac efficaciam ad propulsandos dæmones Christus Dominus *Matth.* 17. expressit, dum affirmat quoddam dæmoniorum genus seuissimum sola oratione posse pelli: ergo pro alijs non ita ferocibus expellẽdis, multũ valere necessarium est orationem; nimirum impetrando à Deo eorum pulsionem.

Matt. 17.

De Reliquijs Sanctorum.

4 Reliquias Sãctorum pellere dæmones, ac in fugam conuertere superius docuimus. Modus autem istius fugæ operandæ, primus est: quia reliquijs visis exhorrescunt, ac tristantur dæmones multò plus quàm nos, si dæmonia videremus in forma horribili. Hóc palam fit ex sequentibus.

Res clara est, dæmones odio ac inuidia aduersus Sanctos dum in humanis agerent flagrare. Quare? quia occupaturi sunt cœlestes sedes, quas ipsi perdiderunt; quia redemptionis Christi participes sunt, & ipsi ab ea extorres; quia ipsis molesti sunt, & ab eis superantur sæpissimè; quia ab ipsis confunduntur, dum homo terrenus, & imbecillus potentissimum spiritum profligat. Hinc emanat, vt eorum præsentiam ferre nequeant, & ea se torqueri sæpè clamarunt. Cum sancta Genouepha virgo Turonum esset ingressa Sancti Martini reliquias visitatura: turba dæmoniacorum clamare cœpit, se gemino incendio torqueri: præsentia, scilicet, Sanctæ illius virginis, & reliquijs Sancti Martini, quæ in ea Ecclesia, quàm Sancta ingrediebatur, asseruabantur. Sic se torqueri clamabat, & facultatem egrediendi precabatur, ille qui ad Theodorum Archimandritam adductus fuit, & ne loco se moueret ab eodem mandatum accepit.

Legimus insuper, quosdam dæmones in obsessis existentes præsentiam Sanctorum aduentantium expectare noluisse : sed fugerunt prius quàm à sanctis hominibus eijcerentur. Dæmon ille, qui filiam Gordiani Imperatoris vexabat, antequam sanctus Triphon accederet, sede sua relicta aufugit. Ita Metaphrastes in Triphone : & legio spirituum torquentium adolescentem, *Metaph.* *Lisiard.*

centem; cuius in vita sancti Arnulphi, *capit.* 24. mentionem facit Lisiardus Suouesionensis Ecclesiæ Episcopus, mox in fugam conuersi fuerunt, vbi sanctum virum viderunt aduentare. Multa huiusmodi lege apud Theodoretum *libr.* 7. *capit.* 37. *Ecclesiast. Hist.* Formidant igitur, ac tremunt dæmones adesse in Sanctorum præsentia.

Theodor.

5 Ex his inferimus exhorrescere ac tremere coram Sanctorum reliquijs, & non valentes earum præsentiam ferre, fugiũt. Naturale est omnibus, quorum odio ac inuidia flagrant, eorum neque aspectum ferre, neque præsentiam: eorum detestari imagines, mores, filios, & amicos ipsorum: quidquid est, graue est, molestum est, tortura est: cùm ergo dæmones odio ac inuidia sanctos homines prosequantur, palam est nequaquam posse non detestari eorum cadauera, reliquias, vestes, imagines, &c. & eorum præsentiam fugere. *Præterea:* difficile est hominibus, maximè improbis, vt eos mortuos ament, & non detestentur, à quibus viuis graues iniurias perpessi sunt: sed dæmones multa passi sunt à sanctis viris, victi, superati, neglectui habiti: igitur cùm nequissimi sint, iniuriarum non immemores: certè odio plusquam Vatiniano Sanctos mortuos prosequentur, & eorum cadauera, ac reliquias cum molestia sustinebunt; maximè quia Deo eas protegente dæmones non audent, nec possunt disperdere.

Huic accedit, quod Deus sicut dilexit Sanctos, dum viuerent, ita mortuos non despexit, sed eorum cadauera magni æstimat: sunt enim chara pignora Sanctorum, quos Deus honorat, & per ea, & alias eorum reliquias magnalia operatur: quod agnoscentes dæmones eas execrantur, & fugiunt. Elegãter hoc docuit Chrysostomus homil. 7. de septem Machabæis his verbis: *Vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si fortè dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirũt, in arma, vel ornamenta Imperatoru incurrerint, quamlibet cupidi prædarum: tamen ita agnitis Regis insignibus terrentur, vt fugiant: neque cominus accedere, vel attingere audeant, vnde sibi compendium non procedere, sed periculum prouident imminere, si quid inde audeant vsurpare. Ita profectò & dæmones, qui verè latronum, & principes, & magistri sunt, vbi coronatorum Martyrum viderint corpora posita: longè illicò à conspectu illorum pauidi fugiunt & absiliunt.* Hæc Chrysostomus. Hic est præcipuus modus fugandi dæmones, quem in reliquijs Sanctorum reperio.

Chrysost.

6 Alter modus, quo per reliquias Sanctorũ dæmonia fugantur, est cõcursus instrumentarius, quibus reliquiæ pollent, eo quod à Deo assumuntur, vt instrumenta sint ad fuganda dæmonia. Iste autem modus non tam certus est sicut præcedens, probabilé tamen reputo: quia Deus

per

per Sanctorum cadauera ac reliquias multa miracula operatus est: vt videre licet in sacris literis, & Patrum monumentis: at vix imaginari possumus modum huius concursus reliquiarum: nisi quod instrumenta Dei fuere ad opera miraculosa: ergo idem fatendum est in fugatione dæmonum, quæ inter opera miraculosa computatur. Quæ enim maior ratio dubitandi est de hac, quam de illis? Minor est communis consensio Theologorum recte sentientiũ. Maior autem constat ex sacris literis & Patrum monumentis. Conijcitur in Sepulchrum Helisæi cadauer hominis mortui, & subitò, vbi Helisæi ossa attigit, surrexit homo viuus: 4 *Regum*. 13. fimbria vestimẽti Christi Domini mulierem à fluxu sanguinis liberat, *Luca* 8. Ambrosius, *sermone de Geruasio & Prothasio* refert, cæcũ esse visui restitutum ad contactum feretri, quo reliquiæ portabantur. Nazianzenus, oratione in Cyprianum: *Omnia* (inquit) *potest puluis Cypriani cum fide, vt sciunt hi, qui experti sũt, & miraculum vsq; ad nos transmiserunt.* August. *libr* 22. *de Ciuit. Dei, capit.* 8. ait tot esse facta miracula breuissimo tempore ad Reliquias sancti Stephani: vt multi libri scribendi essent, si omnia referenda essent: ac deniq; nostris temporibus & facta sunt, & fiunt sæpe miracula per reliquias Sanctorum: in quibus non inuenimus alium operandi modum, nisi quia Deus ea operatur medijs reliquijs, vt instrumentis: & idem nos

4. Reg 13. Luc 8. Ambros. Nazian. August.

dicimus modo de eiectione dæmonum.

De modo, quo Crux pellit dæmones.

CRux pellit dæmones dupliciter, sicut de reliquijs diximus. Vno modo vt obiectum contristans & horrorem dæmonibus incutiens: quod vt deuitent, fugiunt. Itaque vt nos res odiosas & inuisas: ita illi crucem detestantur & fugiũt. Sed quare Crucem odiunt, ac detestantur? quia Cruce eorum vires labefactatæ, eorum regnum euersum est: *Christus*, (inquit Paulus ad Colossens. 2.) *chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis tulit de medio, affigens illud Cruci, expolians principatus & potestates, traduxit palam confidenter triumphans illos in semetipso.* Quare vt canis baculum, quo percussus est, detestatur: ita diaboli crucem detestantur. Quo fit vt in prouerbium abierit de his, qui res sibi exosas auersantur. *Fugiunt eas, sicut diabolus Crucem.* Odiunt item, quia Christi crucifixi, eos damnaturi effigies est. Odiunt, quia Crucis signo in memoriã reuocatur Passio Christi, & eius merita: ob quæ homines à potestate diaboli erepti sũt: & propter multa alia, quæ dæmonibus valde displicent: quorum recordatione torquentur, & præ horrore fugiunt. Egregiè Origenes homil. 6. in quintum caput Exod. *Timor & tremor* (inquit,) *cadunt super dæmones cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum:* & in homil 8 ad diuersos sic ait: *Immortale labarum* (*Crucem*)

7. Colossens. Origen.

portemus in frontibus nostris: cum dæmones hoc viderint, contremiscent, quia aurata capitolia non timent.

2. *Secundo modo* Crux dæmones abigit, vt causa instrumentalis, qua vtitur Deus ad eos profligandos. Hoc probabile est; & probatur eadem ratione, qua id in reliquijs adstruximus: nam Crucis signo audiuimus à fide dignis magna & plura ædita fuisse miracula: cæci lumini restituti; ita Victor Vticensis *de persequutione* Vict. Vtic. *Vvandalica*. Carbones ardentes extincti, ita Metaphrastes in vita sancti Metaph. Tiburtij I gentes dracones occisi: ita Theodoretus de sanctis Iuliano, Theod. & Marciano. Sed in his & similibus patrandis Crux instrumentum Dei fuit: cur ergo id nō asseramus in dæmonibus profligandis?

Inter hunc & priorem modum multiplex differentia est: in *priori* Crux pellit dæmones, vt obiectum: in *secundo* vt efficiens instrumentale. *In priori* solus Deus autor fugæ est: *in secundo* homines etiam concurrunt, mediante crucis effigiatione, aut applicatione. In *priori* dæmones voluntarie fugiunt, vt euitent horrorem obiecti contristantis: in *secundo* multi etiam ac nollentes coguntur fugere, ac propria relinquere domicilia, quæ possederunt: ferè ad eum modum, quo homo hominem pellit à loco, vbi antea erat, & in quo cupiebat permanere. Mitto modo vsum Crucis, quando Deus per eam adiuratur: vt si dicamus, per tuam Crucem libera nos Domine à dæmone, quia hic precandi Deū modus est, & adorationem reducitur. Et hæc satis de modo, quo Crux dæmones fugat.

De rebus consecratis, seu benedictis

Res sacratas, seu benedictas plurimum valere ad fugandos dæmones superius docuimus. Superest disserere modum, quo tam mirabilem effectum perficiant: Prius tamen diuidere oportet res sacratas seu benedictas, in quasdam, quarum vsus vt habetur ex earum institutione, est dæmonum fugatio, aut contra eos protectio, vt aqua benedicta, & cerei, qui in die purificationis benedicuntur: aliæ vero sunt quæ ex vi suæ sacrationis, aut benedictionis ad finem præfatum non ordinantur: sed ad alias, putà ad Dei cultum, sacramentorum administrationem, morbos curandos, & similia: in his, quæ posterioris generis sunt, nullam rationem ac modum fugandi dæmones esse existimo, nisi forte, quia dæmones propter sacrationem, & eorum effectus exosas habent. 9

Nescio tamen, an odium erga eas tam ingens sit, vt compulsi sint à loco recedere, aut non accedere vbi adsunt. At vero in vsu rerum prioris generis, vt in vsu aquæ benedictæ reor esse vim instrumentalem, id est esse Dei instrumenta ad dæmones pellēdos, aut profligandos, plusquā in reliquijs Sanctorū, aut Crucis effigie, eo quod reliquiæ & Crux suū per se habēt vsū distinctū à profligatione dæmoniorū. Reliquiæ pignora Sanctorū sūt, quæ quia organa fuere ad

opera

opera egregia, vnde honorat Deus. Crux imago Christi pro nobis in Cruce pendẽtis. Et si ab aqua benedicta tollas effectum præfatum: aqua sola est, quia ex vi suæ consecrationis ad illud instituta est.

Si autem quis roget: in quo cõcursus iste instrumentalis fundetur? Respondeo, in impetratione Ecclesiæ, quando eas res benedixit aut sacrauit: vt.n. constat ex verbis ac cæremonijs, quibus Ecclesia vtitur in earum benedictione, enixe supplicat, ac à Deo obtinere nititur vt vsu earũ dæmonia fugentur, vt videre licet in formulis suæ benedictionis. Deum autem exaudiuisse Ecclesiam sponsam suam, quis ambigit? maximè quia ex Spiritus S. inspiratione, modus ac forma benedicendi, & sacrandi eas res ortum habuit à tempore Apostolorum.

10 Ne autem, amice lector, rituales libros, vbi formulæ præfatæ exaratæ sunt, perquiras, & fortè non inuenias, en eas tibi ante oculos pono. In aquæ benedictione, aut sacratione sic orat Ecclesia: *Deus qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramẽta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multis modis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua mysterijs tuis seruiens ad abigendos dæmones, morbosq; pellendos diuinæ gratiæ sumat effectum &c.* Ad benedictionem salis hac formula vtitur: *Omnipotens æterne Deus immensam clementiam tuam humiliter imploramus, vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti: benedicere & sanctificare digneris, vt sit omnibus sumẽtibus sanitas animæ, & corporis, & quidquid ex eo tactum vel aspersum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum &c.*

Dum cereas imagines, quas agnus Dei dicimus, consecrat inter alia sic orat. *Quæsumus Domine hos agnus, quos de cera virginea in tuũ honorẽ formauimus, sacra & perẽni vnda, balsamoq; sacri chrismatis perfusos benedicere, sanctificare, & cõsecrare digneris: quatenus à te benedicti virtutem accipiant cõtra omnia diabolica tentamenta, & omnes portantes tuti esse possint inter aduersa, & prospera: vt tua consolatione accepta, nullum periculum timeant, nullamque formidẽt vmbram, nulla sæuitia diabolica, aut versutia humana eis noceat: sed virtute tua fortitudinis roborati, tua consolatione glorientur; qui verè paracletus diceris, &c.*

In benedictione autẽ cerei petitur, vt per ceræ sanctificationẽ Dominus cõterat diabolũ, & disperdat de cunctis habitationibus colentiũ Deum: de basilicis, de domibus, de angulis, de refectorijs, de lectulis, de vniuersis locis, in quibuscunq; Deo famulantes habitant, & requiescũt, dormiunt, vigilant, ambulant, & cõsistũt. Nec audeat ille malignus spiritus inquietare amplius, vel pauorẽ immittere super eos, quos S. Chrismatis sui vnctione fecit esse munitos. Ita libri rituales.

Hinc factum est vt istarum rerũ sacrarum vsus tam frequens sit, & apud Catholicos in locis, ac tẽporib. quibus dæmones molesti esse solent

apud

apud agonizantes; quando tempestates ingruunt, & alijs huiusmodi.

De exorcismorum efficacitate.

11. Exorcismus in propria & pressa significatione imperium supra dæmones importat. Quod vero huic imperio adiungantur alia media, quæ conducunt, aut efficaciam habent pellendi dæmones, per accidens est.

Loquendo igitur de exorcismis in hac stricta significatione dico, certum esse secundum fidem, exorcismos habere vim ac efficaciam fugãdi dæmones, ne hominibus noceãt. *Probatur.* Fides est, in Ecclesia fuisse, & esse potestatem imperandi dæmonibus eiectionem, ac fugam: vt patet ex multis locis sacræ Scripturæ, quæ attulimus in prima disputatione. Lucæ & Matth. 20. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, &c.* Et Marci vltimo. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eiicient, &c.* Et ex vsu & traditione Ecclesiæ habetur, deriuatam esse hanc potestatem ad posteros, vt patet ex Cœlestino *Papa Epist. 1. ad Episcopos Galliæ*, & ex Concilio Carthaginensi. 4. *cap.* 7. & ex Patrib. relatis in *prima disput.* siue hæc potestas ordinaria sit, qualis reperitur in exorcistis; siue extraordinaria, pertinens præcisè ad gratiam miracula faciendi. At hæc potestas exercitio mandatur per imperium; sicut & quæcunque alia humana potestas erga subditos: ergo exorcismi efficaciam habent ad fuganda dæmonia, seu illa eijcienda, si proferantur ab habente potestatem exorcizandi. Probatur, quia exorcismus in imperando dęmonibus consistit essentialiter: quod imperium ridiculum esset nisi efficax esset.

Luca & Mat. 20. Marc. vlt.

Cœlestin. Cõ. Cart.

Hæc *ratio probat*, nostrum asser-ũ esse de fide, loquendo de efficacitate abstrahendo à physica & morali: id est, ab eo, quod est exorcismos attingere expulsionem dęmonum coagendo Deo: siue ad eorum præsentiam Deum pellere. Quamobrem miror Franciscum Suarez virum doctum, & pium *in 3. tom. suorum operum supra quæst. 65. 3. part. D. Thom. disput. 15.* efficacitatem exorcismorum non reducere ad potestatem collatam Ecclesiæ, nisi tantum probabiliter, & quasi dubitantem de hoc fundamento: cum tamen ab ea promanare certo certius sit vt patet ex ratione à me allata. 12

Fateor conducere meritum adiurantis, & summopere inuocatio nominis Christi, ac impetratio Ecclesiæ. Sed hæc accidentalia sunt exorcismo; qui essentialiter in imperio erga dæmones consistit: cuius efficacitas à Christo promissa est locis citatis, & vsu ac Ecclesiæ traditione asserta. Cõfirmatur ex Iustino Martyre q. 4. ad gentes, dicente, esse vim quandam, quæ sub sensum non cadit, quæ timorem incutit dæmonib. cum ab Ecclesia imperantur: & D. August. *lib.* 83. *quæst. q.* 79. Exorcismos *Iust. Mar.*

D. Aug.

quos

quos vocat signa publicæ iustitiæ, expresse asserit habere efficaciam propter honorem excellentissimi imperatoris, id est propter potestatem à Christo collatam: quam vocat ibidem imperialem legem, alludens ad illud: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi, &c.* Præterea Diuus Gregorius *lib. Dial. cap.* 3. ait, sanctos homines, etiam in carne viuentes, non solum orando, & impetrando, sed etiam potestatiuè, ac per hoc cooperando, miracula faciunt. Inter quæ iam cōputauimus eiectionem dæmonum: at hæc cooperatio non potest consistere, nisi ponamus aliquam efficaciam in exorcismis, quibus imperantur exire: ergo &c.

D. Greg.

13 *Dices.* Non negamus exorcismis efficaciam: sed præcipue eam reducimus ad impetrationem adiurantis vel Ecclesiæ orantis, vt Deus eam virtutem conferat exorcismis: *Contra.* Demus aliquem exorcizare dæmonem nulla præuia oratione, sed solo simplici imperio: sicut aliquando Apostoli creduntur fecisse, & multos etiam sanctos viros diximus supra fecisse: tunc eiectio facta per talem exorcismum non potest tribui impetrationi: quia nulla oratio præcessit, neque necesse fuit præcedere orationem Ecclesiæ.

Rursus. Verba imperatiua qua ratione signa sunt, non sunt obiectum quod horret dæmon, nisi fortè qua ratione efficacitatem habent pellēdi eum: ergo necessaria fatendum est potissimam efficacitatem exorcismis prouenire ex potestate à Christo concessa: cætera vero se habent accidentaliter ad efficacitatem; sicut accidentaliter coniuncta sunt: verbi gratia, adiunguntur exorcismo reliquiæ Sanctorum, aut effigies Crucis: non dubium quin per modum obiecti, quod horrent dæmones, possint eos fugare: præcipue nominis Iesu inuocatio: quod sicut hominibus pijs amabile, ita dæmonibus tremendum ac formidabile. *Sola præsentia Saluatoris* (ait Hieron. Matt. 8.) *tormenta erant dæmonis, & tamen tunc non agnoscebatur à dæmonibus esse verum Deum.* D. Thom. 3 *part. qu.* 44. *artic.* 4. quanto magis horrescent, ac torquebuntur audito nomine eius, quem sciunt esse verum Deum, Patri æqualem; qui eos iudicaturus est, ac in infernum æternis flammis torturus? Horrore certè implebuntur, & audito sanctissimo nomine Iesu, pauidi fugient: & ob id sagis, & his qui se diabolo deuouerunt (vt ab ipsis narratum est) præcipit diabolus, vt quando ad nocturnos conuentus accedunt, prorsus à nomine Iesu abstineant. Insuper ab eisdem narratum esse dicitur, si quando alicui adstantium nomen Iesu ab oratione, etiam præter intentionem excidisset, subito & diabolos, & præsentem turbam disparuisse.

Hieron.

D. Thom.

DISPVTATIO XV.

An efficacia, quam diximus ad ss. exorcismis, & alijs medijs, quibus Ecclesia vtitur ad pellendos dæmones: sit efficacia physica instrumentalis, an vero duntaxat moralis?

1 ET videtur non esse physicã, quia illa vis seu efficacia, quæ supernaturalis esse supponitur, vel est corporalis, vel spiritualis: corporalis esse nequit: quia ad pellendos spiritus, nullius esset momenti: cum corpus non agat in spiritum, Neque etiam spiritualis esse potest: tum, quia in corpore residere non potest; præfata autem media corporalia sunt: tum, quia Doctor Angelicus, 2. 2. *quæst.* 178. *artic.* 1. *ad* 1. reputat impossibile principium operandi miracula (inter quæ eiectio dæmoniorum computatur) esse aliquam qualitatem habitualiter permanentem in anima: & potiori iure idem negaret de qualitate spirituali permanente in præfatis medijs.

D. Thom.

Secundo, quia in efficacia horũ mediorũ sæpe nullus intercedit effect⁹ q̃ per physicã efficientiam fiat: ergo non concurrunt vt instrumenta physica. *Antecedens probatur*; eo quod vel hic effectus fit in homine: quis autem sit non apparet: vel in dæmone: & hic potest esse motus localis, puta quia cogitur dæmon loco cedere, aut exire: nil enim aliud positiuum fingi potest, quod in dæmone fiat: hic autem effectus non semper fit. Aliquando enim solum impeditur dæmon ne noceat, vel ne tentet etiam si loco recedere non cogatur, & tunc intelligi non potest quis effectus physicus fiat in dæmone, aut quomodo impediatur per actionem physicam; sed solum per virtutem diuinam cogentem illum, vel subtrahentem concursum. *Confirmatur*, quando dæmones coguntur mutare locum aut recedere: morali modo præcipiuntur, & obedire coguntur: dæmones enim probè percipiunt verba, & signa humana, & vim eis à Christo promissam, & præstitam: ergo effectus iste non fit physice, sed moraliter.

Tertio. Tota efficacitas horum mediorum ad fugandos dæmones maximè quæ est in rebus consecratis, fundatur in institutione & impetratione Ecclesiæ, quæ instituit exorcismos, ac res quasdam sacrauit, ac petijt à Deo eis virtutem conferri ad dæmones fugandos, vt patet ex formulis, quibus Ecclesia vtitur in rerum quarundam sacratione, aut benedictione: ergo non potest esse virtus hæc instrumentalis physica.

Probatur consequentia: quia si Ecclesia posset instituere, vt quibusdam rebus conferretur virtus instrumentalis alicuius effectus supernaturalis, & spiritualis, qualis est propulsatio dæmonum: non est cur non posset instituere, vt eisdem rebus conferretur virtus instru-

men-

mentalis efficiendi gratiam, quod esset eas in sacramenta erigere. Hoc autem concedere plus quam falsum est: ergo, &c.

Quarto. Tota efficacia earum rerum nititur impetrationi Ecclesiæ, aut ministrorum eius; impetratio autem, maxime quando postulantur ea, quæ non sunt necessaria ad salutem, aut preces pro alijs funduntur: non est infallibilis, sed quandoque postulata conceduntur, quandoque negantur, vt vidimus alias quæst. 83. articul. 15. ergo licet Ecclesia quando quasdam res sacrauit ad impugnandos dæmones, petierit à Deo illis conferri virtutem pellendi dæmones: non ob id continuo impetrauit, sed potius quandoque denegata fuit præfata virtus.

2. *Suarez.* Franciscus Suarez, vbi supra non vult admittere in exorcismis neque in alijs sacramentalibus efficaciam physicam, sed moralem; mouetur argumentis positis.

Pro decisione *præmitto*, non esse mihi in animo fuse disputare subtiles quæstiones; per quid constituantur instrumenta physica ad effectus supernaturales agendos? Quid sit virtus physica instrumentalis ad eos perficiendos? Sitne qualitas? an diuina motio? & multa alia; quæ copiose disputant Doctores Scholastici agentes de Christi miraculis, & Sanctorum, ac de causalitate Sacramentorum nouæ legis; sed dumtaxat attingã ea, quæ præsenti instituto deseruiunt; sequens doctrinam communiter receptam à Diui Thomæ discipulis.

Secundo *præmitto*, vim seu efficaciam physicam in hoc differre à morali tantum; quod physica re vera attingit effectum, qui ab eius causalitate pendet in suo esse: moralis non item; verbi gratia, efficit aliquis miraculum mediante oratione, in oratione non ponimus vim physicam, quia oratio non attingit opus miraculosum, neque ab eius causalitate pendet; sed impetrat oratio à Deo, vt illud miraculum efficiat; sicut preces meæ possunt mouere Paulũ vt Petrum occidat; non tamen eam occisionem realiter producunt, aut attingunt, at vero ensis, quo Petrus occiditur instrumentum physicum est occisionis, quia re vera eam causat attingendo. His suppositis.

Dico primo. Exorcismi per efficaciã physicam instrumentalẽ pellũt dæmonia, ne hominibus noceant. *Probatur.* Quando quis per exorcismos dæmonia fugat, ex potestate & imperio operatur, ergo physicè concurrit ad eam perficiendam fugam. Antecedens notum est ex præcedẽtibus. Et probatur consequẽtia; quia agere miracula ex potestate, est agere cooperando, vt egregie docet Diuus Thom. *quæstio. 6. de potentia artic. 4.* & probat ex Diuo Gregorio *in libro secundo dialogorum.* Quod si homo per exorcismos cooperatur Deo expellente principaliter dæmones; absque dubio phy- 3. *D. Thom.* *D. Greg.*

ſicè operatur, ſicut & ipſe Deus phyſicè vt cauſa principalis expellit.

Vnde etiam deſumitur ſecundum argumentum. Nam cauſæ inſtrumentales proportionantur principalibus, maxime ſi eis cooperentur: ſed Deus in fugandis dæmonibus cauſa principalis phyſica eſt: ergo exorciſmi, per quos adiuratores Deo coagunt, erunt cauſæ inſtrumentales phyſicæ, id eſt effectum attingentes.

Tertio. Verba quibus Chriſtus contulit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem fugandi dæmones, vix explicari poſſunt propriè & in rigore, niſi poſita efficacia phyſica. *Ecce* (inquit Dominus) *dedi vobis poteſtatem ſuper ſpiritus immundos*: id eſt communico vobis eam poteſtatem, quam ego habeo: vt vos eijciatis ſicut & ego. Et illud: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes*, id eſt inſtar eorum, qui calcant corporaliter res ſibi ſubiectas: & Patres citati ſupra diſputatione prima, dæmones torquemus flagris, cædimus, pellimus, reuincimus, & ſimilia, quæ omnia propriè, & in rigore, niſi ponamus homines coagere ſimul cum Deo, ac Chriſto eiectionem dæmonum, vix interpretari poſſunt. Ad ſecundum Diui Auguſti. celebrem regulam: verba ſacra ſemper interpretanda ſunt in propria & rigoroſa ſignificatione, niſi inde aliquod abſurdum ſequatur. Et huic regulæ innixi Doctores Scholaſtici ſapientiores cauſalitatem phyſicam

D. Aug.

Sacramentorum adſtruunt: & nos eos imitantes cauſalitatem phyſicam in exorciſmis conſtituimus. Confirmatur. Si aſſeramus in exorcizantibus hanc cauſalitatem phyſicam, valde extollimus hominum dignitatem: dum ponimus eos coagere Deo ad profligandos terribiles ac potentiſſimos hoſtes: nec inde ſequitur aliquod abſurdum, cum omnes fateantur hanc cauſalitatem eſſe poſſibilem: ergo hæc cauſalitas aſſerenda eſt.

Quartò. Quando Sancti, aut quiuis alij miracula faciunt poteſtatiuè nulla præuia oratione; eos concurrere neceſſe eſt vt inſtrumenta phyſica: ergo idem dicendum eſt, quando poteſtatiuè pellunt dæmones. *Antecedens probatur* ſuppoſita ſententia eorum, quos impugnamus aſſerentium cum Diuo Gregorio loco citato eos re vera inſtrumentaliter concurrere, & eſt expreſſa ſententia D. Thom. qu. 6. *de potentia artic.* 4.

Quinto. Chriſtus Dominus edebat eiectionem dæmonum, & quamplura alia miracula, vt cauſa inſtrumentalis phyſica. Ita aſſeritur à præfato Franciſco Suarez. 3. *part. quæſt.* 13. *artic.* 2. ergo & homines per exorciſmos pellẽtes dæmones, cauſæ inſtrumentales phyſicæ erunt. *Probatur conſequentia*: quia diſcrimen inter Chriſtum, & nos ſumptum ex maiore dignitate Chriſti, eſt operari miracula quaſi ex habitu, nos vero

mini-

minimè: parum refert ad institutum præsens, quin in ô potestas collata hominibus ad pellẽdos dęmones ad exemplar potestatis Christi data est.

Sextò. Si in exorcismis nõ ponitur efficacia physica, sed tantùm moralis, non attingens effectum: ergo exorcismi non habent maiorem efficaciam ad fugandos dæmones, quàm incantationes Magorum, quibus diximus supra fugari aliquando dæmones. *Probatur consequentia,* sicut mediantibus exorcismis, & ad eorum præsentiam Deus fugat dæmonia: ita dæmones pellunt alios dæmones medijs incantationibus Magorum, vt ergo tribuamus maiorem efficaciam exorcismis, ponendum est eos habere efficaciam physicam attingentem effectus.

5 *Dico secundò.* Crucem Christi, reliquias Sanctorum, & nominis Iesu inuocationem fugare dæmones vt instrumenta Dei physica; probabile iudico: sed non ita certus sicut de causalitate physica exorcismorum. *Prima pars probatur;* quia prædicta fugant dæmones citra meritum ijs vtentium; & in dignitatem Christi & sanctorum cedit, quod Deo coagant in præfata dæmonum expulsione, quod est esse instrumenta physica: ergo non est cur illis denegetur. *Secundò.* Probabile est tria prænominata multa alia mirabilia operari, vt Dei instrumenta physica: ergo idem dicendum est de expulsione dæmoniorum: non est enim maior ratio de vno, quàm de alio. Antecedens manifestatum est supra, cùm multa mirãda facta fuisse retulimus per Christi Crucem, reliquias Sanctorum, ac Christi nominis inuocationem, vt mortuorum suscitatio, morborum curatio &c. Vix autem potest intelligi quomodo id egerint, nisi coagẽdo Deo ad ea mirabilia patranda. *Secunda pars asserti probatur,* quia non inuenio argumenta; quæ ita firmiter procedant ad stabiliendã hanc physicam causalitatem in tribus præfatis, sicut inuenio in exorcismis. Confirmatur. Non extat de hac re Dei aut Christi promissio, neque determinatio Ecclesiæ, neque vlla ratio ad id cogens.

Dico tertiò. Probabile censeo res sacratas, aut benedictas, & ab Ecclesia institutas ad pellendos dæmones, id operari vt instrumenta Dei physica. 6 *Probatur,* quia in precationibus, quibus sacrantur; à Deo petit Ecclesia, vt cõferat hisce rebus virtutem pellendi dæmones: virtus autem hæc efficientiam physicam denotat: Deũ autem exaudire Ecclesiam sponsam suam in his, quæ ex Christi placito Ecclesia instituit, iam iam paramus dicere in solutione ad quartum. *Secundo,* D. Thom. 3. *par. q.* 83. *art.* 3 *ad* 3. ait in templo consecrato ratione suę consecrationis adesse quandam vim seu virtutem ad excitãdum motum deuotionis in orantibus in templo consecrato. Et Caietanus *ibidem* virtutem instrumẽtalem physicam interpretatur, & sequitur Dominicus *Soto in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. ergo in rebus

D. Thom.

Caietan.

Soto.

bus consecratis ad effectum pellendi dæmones, probabile est ponere virtutem physicam instrumentalem ad id efficiendum, quæ nil aliud est, quàm diuina motio, quando Deus pellit dæmones, interueniente earũ rerum sacrarum vsu.

Denique omnia argumenta, quæ attulimus, in præcedenti disputatione pro stabilienda causalitate rerum sacratarum ad fugandos dæmones, causalitatem physicam videntur stabilire, & ideò huc reuocanda sunt.

7 Primum argumentum militat in multis alijs: verbi gratia, in Sacramentorum causalitate, in miraculorum patratione, & huiusmodi: quare modò breuiter respondetur, eam virtutem, seu efficaciam non esse qualitatem, vt sentit Paludanus, neque esse potentiam actiuam obedientialem, vt ait præfatus Suarez: sed est motio quædam diuina, qua constituitur instrumentum in actu primo ad eijciendos dæmones, & est corporalis entitatiue: spiritualis virtualiter, quia ad effectum spiritualem datur: sed de hoc aliàs *locis citatis*.

Paludan.

Suarez.

Ad *secundum respondetur*. Quando per exorcismos detinetur dæmon, ne molestus sit, sicut Deus cogit illum, ne molestus sit causalitate physica: sic & adiurantes medijs exorcismis, quia causa principalis, & instrumentalis debent proportionari. Itaque quando causa principalis physicè operatur, & instrumentalis similiter. *Secundo respondetur*. Quando nos ponimus in exorcismis causalitatem physicam ad pellendos dæmones, debet intelligi quando modus pellendi est attingibilis per veram actionem physicam, vt quando coguntur cedere loco, & obsessum deserere, vel quid simile. At verò quando modus prohibendi ne noceat non est attingibilis per veram actionem physicam: putà quia consistit in sola priuatione, aut negatione, vt in casu argumenti: tunc sola efficacitate morali contenti sumus: & fortassis idem de causa principali, qui Deus est, dicendum: nam annihilationem fortasse non attingit physicè: quia inattingibilis est per actionem physicam. *Ad confirmat. respond.* Operari liberè & per imperium ponit causalitatem moralem: sed non tollit physicam, vt videre licet in Deo, qui liberè, & per imperium multa operatur, physicè, & moraliter. Sic dicimus de exorcizantibus, qui imperando dęmonibus causant fugam eorum moraliter, & physicè. Etenim efficacia physica in attingendo effectum simul cum causa principali consistit, siue id fiat per imperium, siue quocunque alio modo.

Ad *tertium respondet*. sicut supra, non esse mihi vsque adeò certum, cætera media, quæ enarraui pellere dæmonia, habere efficaciam physicam: sicut est mihi certum de exorcismis. At cum non improbabiliter idem de alijs asseruerim: respõdetur ad argumentum, negando conse-

quen-

quentiam: & ad probationem dicimus, instituere signa sensibilia cansatiua gratiæ pertinuit ad fundatorem Ecclesiæ Christum, non ad dispensatores. De quo 3. *part. quæst* 94. At instituere signa sensibilia, quæ mediante oratione Ecclesiæ possent abigere dæmones, pertinere potuit ad dispensatores, gubernatores, & iudices Ecclesię, quos decuit ex eiusdem Christi placito instituere media, vt oues suæ liberarentur à lupis ferocissimis, dæmonibus.

Ad *quartum respondetur*, impetrationem orationum, quæ funduntur communiter esse iudicandam secundum eas communes conditiones, quas diximus, agentes de orationis efficacia, esse necessarias ad infallibilem impetrationem. At impetratio orationum fusarum ab Ecclesia pro instituendis ritibus, & Sacramentalibus quibusdam consecrandis, in ordine ad diuersos fines necessarios pro bona gubernatione Ecclesiæ: non alligatur præfatis conditionibus, quas diximus esse requisitas ad impetrationem infallibilem orationum. *Ratio est*, quia præfati ritus, & Sacramentalia licet in particulari non fuerint immediatè instituta à Christo Domino (vt egregiè docet Suarez vbi supra) tamen Christus Dominus reliquit potestatem Ecclesiæ suæ ea instituendi, ac consecrandi, & adinueniendi modos, quibus consecrarentur: ac proinde virtualiter promisit se Ecclesiam orantem vt ad fines suæ institutionis essent proficuæ exauditurum; ne esset inanis eorum Sacramentalium institutio, ac sacratio ad eos fines consequendos. Ad quid enim potestas ea sacrandi ad hos vel illos fines: si nullam aliam efficaciam haberent ad eos consequendos, nisi eam, quam donaret oratio æquè efficax, aut infirma, sicut aliæ orationes: cùm sine illis possent fundi, aut quandoque impetrare, quandoque non.

Suarez.

Igitur ex Christi voluntate interprætatiua impetratio infallibilis est. Hanc autem potestatem Christum reliquisse colligimus: tum ab antiquitate, quia ab Apostolorum tempore constat huiusmodi Sacramentalia esse instituta: tum quia decuit ad bonam gubernationem Ecclesię, hanc fuisse Ecclesiæ Christi relictam potestatem. Quare verosimile putamus in consecratione earum rerum, quæ ad abigendos dæmones ordinantur, orantem Ecclesiam pro efficacitate earum Deum infallibiliter exaudire, vt quando oportuerit efficaces sint ad prædictum effectum. Et cum efficacia physica sit possibilis impetrari, & vergat in dignitatem Ecclesiæ eam impetrare: verosimile existimo eam impetrasse.

DIS.

DISPVTATIO XVI.

An prædicta media, quæ diximus habere efficaciam ad pellendos dæmones, eam habeant in omni euentu, & infallibiliter?

1 ET videtur vera pars affirmatiua. *Primo*, Sacramenta, quæ sunt Dei instrumenta ad causandam gratiam, eam causam infallibiliter in subiecto disposito: quamuis minister eorum sit iniquus: ergo & præfata media semper expellūt dæmones, quāuis ministri mali ijs vtantur. *Confirmatur*. Efficacia Sacramentorum infallibilis nascitur ex promissione Christi Domini: verbi gratia Ioann. 20. promisit Christus: *Quorum remiseritis peccata remittūtur eis*: Sed etiā promisit Deus fidelibus potestatē ejiciēdi dæmonia, Matt. & Luc 10. *Ecce dedi vobis potestatem spirituum immundorum. Et ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes &c.* & Marci vltimo. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient*: ergo in omni euentu, si adsit debita materia, id est homo à dęmone liberandus, si exorcista vtatur exorcismis, optatum consequetur effectum. *Dicet quis*, hæc tantùm causare speratos effectus, quando Deus disposuerit, aut voluerit vti his medijs vt instrumentis ad pellendos dæmones.

Ioan. 20.

Matth. & Luc 10

Marc. vlt.

Contrà arguitur secundò, quando Deus disposuerit, aut voluerit, poterit vti vt instrumentis, quibusuis alijs rebus ad fugādos dæmones, putà herbis, gemmis, & similibus: ergò non est maior ratio, quare præfata media dicantur habere efficaciam, quàm quæcunque aliæ res.

Tertio. Sacramenta infallibiliter causant suum effectum si materia sit disposita: sed ordo exorcistarum secundùm sententiam D. Thom. *in 4. dist 26. quæst. 1 art. 2. & 3.* est Sacramentum, sicut & cæteri minores ordines: ergo infallibiliter causabunt suum effectum, si exorcismos proferat exorcista; qui sunt veluti forma, & adsint energumeni, qui sunt quasi materia. *Confirmatur*. In omnibus actibus Sacramentalibus est virtus spiritualis instrumentalis, vt patet inductiuè in omnibus Sacramētis: ergo in exorcismis initiatorum ordine exorcistæ erit ea virtus. Quod si est; infallibiliter inducet speratum effectum, nempè dæmonum expulsionem.

D. Thom.

Quartò. Exorcismi ante Baptismū habent infallibilem effectum, videlicet abijcere dæmones, ne impediāt susceptionem Baptismi: ergo etiam extra Baptismum infallibilem habebunt efficaciam fugandi dæmones, cùm videatur eodem modo iudicādum esse in Baptismo, & extra Baptismum. *Antecedens patet*; quia semper Ecclesia ante Baptismum præmittit exorcismos, & nunquam suo effectu frustrantur.

In oppositum pro parte negatiua est primum argumentum. Apostoli (*Matth 17*) vtētes solitis exorcismis, quibus multa dæmonia profligarāt: nequiuerunt puerum quendam dæmoniacum liberare: ergo exorcismi 2

Matt 17.

etiam

etiam Apostolorum nō semper efficaces fuēre. *Secundum argumentum.* Origenes *Hom.* 244. in Iosue asserit, & exemplo confirmat non semper exorcismos valere dæmones fugare, & ob id comparat eos Amorrhæis; quod quemadmodum hi inter filios Israel permansissent: ita sæpè in obsessis permaneant maligni spiritus. *Adhibeantur* (inquit) *multa orationes, multa ieiunia, multa exorcismorum inuocationes, ad hæc omnia surdus in obsesso corpore dæmon permanet: tolerabilius ferens exorcistarum pœnas, & adhibita sibi ex Dei nomine inuocatione tormenta: quàm discedere ab homine, quem impudenter & nequiter obsidet.* Eandem partem affirmat August. lib. 83. q. 79.

Origenes.

Augustin.

Tertiò. Tota efficacia exorcismorum à virtute instrumentaria pellendi dæmones dimanat. At hæc virtus non semper communicatur exorcismis: quia gratia gratis data est, quàm Spiritus sanctus interdum concedit, interdum denegat, quibusdam largitur, quibusdam non: ergo exorcismi non habēt in omni euentu infallibilem effectum.

Quartò experientia idem videmus fieri. Contingit enim non semel, exorcistas in exorcizandis dæmoniacis quibusdam, summopere laborare, & nil proficere; imò & sanctis viris id accidisse historiæ narrāt. Hincmarus in vita sancti Remigij ait, sanctum Benedictum adhibitis exorcismis non valuisse dæmonem eijceà Tolosana puella, eamque ad sanctum Remigium destinauit, à quo sanata est.

Hincmarus.

Caietanus Marci vltimo, agens de fide ad miracula patranda ait eam semper esse efficacem ad ea perficienda: quod si quandoque non efficiat, in defectum fidelis non rectè vtentis fide, defectum efficacitatis signorum reducit. Verba Caietani sunt. *Intelliguntur promissa signa consequentia fidem, quantum est ex parte virtutis fidei, sequentia quando, & vbi opus fuerit: cum cuius veritatis promissione stat: quod ex parte habentis fidem defectus accidat, seu impedimentum præstetur. Ita quod fides ipsa non deest signis, sed homo deest fidei ad efficaciam signorum.* Eodem modo vt credo loqueretur Caietanus de exorcismorum efficacia. Castro aduersus Hereses verbo *exorcismus*, Caietano assentitur, versans eum locum Marci. *Quod autem* (inquit) *hoc non semper fiat vt inuocato nomine Iesu dæmon egrediatur: minima fides ipsius inuocantis est in causa. Nam si perfectè credidisset, hæc & maiora fecisset.* Ecce asserit exorcismos de se habere infallibilem efficaciam: quod si de facto ea carent, defectus egregiæ fidei in causa est. Magister Franciscus à Victoria in *relect. de magia, quæst.* 6. & Dominicus Soto *libr.* 8. *de iustitia, & iure, quæst.* 3. *artic.* 2. *& in* 4. *distinct.* 6. *quæst.* 2. *art.* 3. negant virtutem exorcismorum esse infallibilem; sed tantum dicunt habere effectum quando expedit Religioni, & propagationi fidei.

5 Caietan.

Castro.

Victoria

Sotus.

Hæc sententia posteriori negatiua mihi vera videtur propter argumenta facta in eius fauorem, & quidem isthæc media etiam exorcismos,

mos, speratos interdum non assequi effectus, nullus inficiatur, experientia doctrice. Quod in dubium vertitur est: An hæc inefficacia referenda sit in culpam, seu defectum ministrorum, aut ipsorum dæmoniacorum: an verò sine vlla culpa propter solam Dei voluntatem id accidat?

4 De qua re *dico primò*. Citra vllam culpam vel exorcizantis, vel vtentis præfatis medijs, aut verò miserorum obsessorum, potest fieri, vt præfata media non inducant optatos effectus. Hæc est expressa assertio D. Augustin. vbi supra dicentis. *Cum autem non cedunt his signis huiusmodi potestates dæmones Deus ipse prohibet occultis modis: cum id iustum atque vtile iudicat, vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi: vel ad monendos bonos, vt proficiant in fide: atque ista non iudicantur, sed vtiliter posiint; vel ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ.* Augustin.

Sed pro explicatione horum verborum Diui Augustin. & veritate explananda aduertendum, causam à priori, quare hæc signa non sunt efficacia de facto, esse voluntatem Dei nollentis illis signis suam virtutem, & efficaciam communicare propter occultas rationes, vt ait Augustinus citatus, & id rationi conforme est. Nam cum efficacia horum signorum à gratia gratis data promanet, quæ citra culpam & citra meritum à Deo confertur, & negatur: quid mirum, si signa hæc interdum efficacia sint, interdum efficacitatis expertia? Et ex eadem radice manat, vt dæmones, qui ab vno multis adhibitis medijs sacris pelli non possunt: ab alio leuiter exorcizati recedant: quia Deus impartitur donum hoc singulis prout vult.

Nihilominus ex parte hominum quasdam possumus perscrutari congruentias diuinæ voluntatis, quare hæc signa inefficacia aliquando sint. *Prima* sumitur ex parte exorcizantium. Quandoque enim propter eorum peccata non vult Deus hoc admirabile opus per eorum exorcismos perficere. De quodam dæmone domum infestante refert Cardanus *lib.19. de subtilitate* exorcismos irridere, eo quod exorcistæ furti & sacrilegij criminibus essent infames. Cardanus Quandoque quia non præcessit oratio & ieiunium: vt de Apostolis dicitur *Matth.17.* Quandoque propter impedimentum, etiam sine culpa positum, vt dicitur ibidem. Matt.17. Quandoque sine vlla culpa exorcizantium, sed in sui profectum; vt scilicet non superbiant de mirabili hac dæmoniorum profligatione, vel propter quid simile. Fortasse ob id sanctus Antonius non valuit quandam dæmoniacam sanare, vt refert Palladius in vita sancti Pauli simplicis; & beatus Benedictus non potuit alium liberare: & hic remisit illum ad sanctum Remigium, à quo sanatus est, ille verò ad sanctum Paulū simplicē, à quo liberatus est. Palladius.

Secun-

5 *Secunda congruentia* sumitur ex parte hominum à dæmonum infestatione liberandorum: putà quia eorum peccata merentur, vt non statim ab infestantibus dæmonibus liberentur; quantumuis exorcizantes sanctitate polleant, exorcismos pronuntient, & signa alia sacra adhibeant. Exemplum mirabile refert Metaphrastes *septima Februarij* de sancto Parthenio, coram quo adductus iuuenis quidam noluit eum Sanctus liberare dicens: *Sinite torqueatur, parricida est*. Aliud simile narrat exemplum de sancto Eligio Nouiomensi Episcopo Audoenus *cap. 20. lib. 2.* vitæ Eligij: cum enim rogaretur, vt subueniret quinquaginta viris à dæmone vexatis: respondit; *Sinite, experiantur cui seruire peccato suo elegerunt*. Agnouerunt hi Sancti his dæmoniacis non profuturos exorcismos propter eorum peccata, & ideò quamuis alios sæpe liberassent: his noluerunt, etiam rogati, opitulari. Aliquando nullis præcedentibus peccatis neque ex parte exorcizantium, neque ex parte exorcizaturum, Deus non vult exorcismis & alijs signis efficaciam pellendi dęmones tribuere. His quidem occasionem præbens patientiæ, & meritorum augendorum in medio tam terribilis calamitatis illis verò ablationis arrogantiæ, & extollentiæ oculorum.

Metaphrastes.

Audoenus

Ad *primum pro* parte affirmatiua negatur consequentia, quia Sacramenta, cum sint media instituta à Christo ad iustificationem animarum, & gratiam obtinendam, decuit, vt in materia disposita infallibilem haberent effectum: ne in re tam necessaria ad consequendam gloriam, ad quàm homines destinantur, adeò fœlix euentus deesset sine culpa Sacramenta recipientis: at dæmonem fugatio, & repulsa, ne nobis noceant, non est necessarium medium ad gratiam, & iustificationem: ac proinde neque signa, & media eorum pellendorum, necesse fuit semper habere optatos effectus, maximè quia vt nuper dicebamus aliquando miseria hæc magna cedit in bonum vexatorum. Ad *confirmat. respondet.* effectum Sacramentorum absolutè esse promissum nō ponentibus obicem, quia effectus est gratia, & charitas, sine qua nemo saluabitur: at effectus exorcismorum, aut aliorum signorum iam relatorum: non est ita absolutè promissus, quin impediri possit, vel propter priuatam, vel propter publicam causam. Nam cum hic effectus non pertineat ad donum gratiæ gratum facientis, sed ad liberationem quandam à malo pœnæ: non solùm ex proprio demerito, seu obice impediri potest, sed etiam propter vtilitatem animæ, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum. Et hoc non tollit quin promissio his vallata conditionibus magni pendēda

sit: vtpotè quæ de effectu mirabili est: ad quem nec semel vires hominũ per se sumptæ pertingere possent.

7 Ad *secundum negatur consequentia*, quia ad operandum rem mirabilem eiectionem dæmoniorũ elegit Deus hæc media: non quia semper efficacitatem haberent ad eum effectum: sed quia quando id vellet efficere, his mediantibus effecturus esset, vel propter dignitatem hominum manifestandam in profligatione dę. monum, vt in exorcismis: vel propter significationem mysteriorum insignium, vt in Cruce Christi, & inuocatione eius nominis: vel propter sacrationem Ecclesiæ, vt in rebus consecratis: vel propter aliquod diuinũ, quod his rebus significari, aut contineri scit Deus: occultum est autem hominibus, sicut occultum est, quare mediante pallio Heliæ, baculo Helisæi, ac virga Moysis voluit tot patrare mirabilia, & non alijs mediantibus rebus.

Ad *tertium*, admisso exorcistarum ordinem esse Sacramentum, respõdetur, per eũ non ministrari aliquod Sacramentum, sicut per Sacerdotij ordinem: ac proinde nec exorcismos habere vim formæ, neque dæmoniacos rationem materiæ: ministratur autem quoddã Sacramentale, cuius effectum non esse infallibilem diximus: actus itaq; ordinis exorcistici, putà exorcizare, infallibilis est, sed expulsio dæmoniorum nequaquã. Ad *confirmat. respondet*. ex doctrina D. Thom, *in 4. distinct. 24. q. 2. art. 2. ad vltimum*, actus procedentes ab ordine exorcisto, quatenus actus illius sunt: nulla pollere supernaturali virtute, sicut neque actus aliorum ordinum minorum. Sed hi possunt fieri ab alijs, qui non sunt exorcistæ, qui in sua ordinatione solum accipiũt potestatem, vt exorcizẽt ex officio, alij verò possunt quidem id licitè, facere: sed non ex officio.

D Thom.

Quod verò actus exorcistarũ virtutem habeant pellendi dæmones, id nõ habent ex vi suę ordinationis, sed propter gratiam gratis datã quæ nil aliud est, quàm vis diuina illis actibus communicata. Itaque quãdo exorcista fugat exorcismis dęmonia, pulsio dæmoniorum non est ab exorcismis, vt sunt actus ordinis exorcistici, sed vt eleuantur per gratiam gratis datam eiectiuam dæmoniorũ, quæ cum interdum detur, interdum negetur pro voluntate Spiritus sancti, exorcismi ipsi non semper sortiuntur speratos effectus.

Ad *quartum respond*. cum Magistro Soto *in 4 dist. 6 quæst. 2 articul. 3*. exorcismos Baptismales, & si qui alij prę. mittuntur in collatione aliorum Sacramentorum, semper consequi suos effectus, nisi apponatur obex à suscipientibus Sacramentum: effectus autẽ, ad quos ordinantur, & præmittuntur, est abigere dęmones, ne impediant Sacramenti susceptionem, aut eius fructũ. Cum ergo iste effectus sit adeò necessarius sicut & ipsa Sacramenta, sicut Sacramentorum efficaciam esse infallibilem 8

Soto.

necessa-

necessarium est: ita & exorcismorum qui ad præfatum effectum ordinantur. Secus est in ordine ad alios effectus exorcismorum: qualis est expulsio ab obsessis, qui pertinet ad liberationem à malo pœnæ, sine qua homines iustificari possunt: & ideo si ille, qui baptizatur energumenus est, per exorcismos liberatur ab impedimento, quod posset dæmon præstare circa susceptionem Baptismi, & eius fructum consequendum, non tamen semper necesse est liberari ab inhabitante dæmone.

DISPVTATIO XVII.

An aliquibus rebus sensibilibus, & naturalibus insit aliqua virtus naturalis, potens ad fugandos dæmones, ne hominibus molesti sint?

1 ET videtur vera pars affirmatiua: sunt enim quidam lapides pretiosi, qui dicuntur sua naturali virtute fugare dæmonia. Iaspis scilicet Calcedonius, Chrysolitus, Adamantus, Corallium, ita Franciscus Rucus medicus insulanus in suo opusculo de gemmis. Iosephus *etiam lib. 8. de antiquit. c.* 20. ait in exercitu Titi Imperatoris fuisse quendam, qui pretioso lapide incluso in annulo fugabat dæmones à corporibus obsessorum.

Franciscus Rucus.

Plinius.

Secundo Plinius *lib. 28 nat. hist. c. 16.* refert quosdam asserentes vrinam equi mixtam aqua ferrata, quæ solet extrahi ab officina fabrorum ferrariorum, sanare dæmoniacos: & *l. 30. c. 2. ait* Apionem Grammaticum asserere herbam quandam vocatam Cynocephaleam, & in Ægypto Ositritem, habere vim quandam fermè diuinam aduersus dæmones: sed qui illam euellit statim moritur. Et quidam aiunt, quasdam herbas dæmonibus esse intollerabiles: ex his sunt Artimessia Rubea, Barba Iouis Solsequium, Leuisticus, Saluia, Polegium, folia sambuci, &c. Et Ioseph *lib.* 8. vbi supra, ait se vidisse exorcistam Iudæum quadam herbæ radice dæmones abigentem. Verba Iosephi sunt. c. 20. *Vidi quendam Eleazarū de gente nostra, præsente Vespasiano, & eius filiis, & Tribunis, alioque simul exercitu, curantem eos, qui à dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiusmodi. Intulit naribus eius, qui à dæmonio vexabatur, annulum habentem sub signaculo radicem à Salomone monstratam: deinde per nares odorantis dæmonium abstraxit, & repente cecidit homo. Postea id adiurauit ne amplius rediret; Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans: volens autem satisfacere ac probare præsentibus Eleazarus hanc se habere vim, ponebat ante eos aut calicem, aut peluim aqua plenum, & dæmoni imperabat vt ab homine egressus, ea euerteret, & videntibus præberet indicium, quod hominem reliquisset.* Hæc Iosephus: & Druthmarus ex eodem videtur idem sumpsisse. Et quod magis mirandum est D. Hierony. & refertur 26. q. 7. in fine, ait: *Dæmonium sustinentibus licet habere herbas, & petras sine incantatione*, nimirum indicans herbas & petras cōtra dæmones naturalē habere vim.

Iosephus.

Druthm.

Hieron.

Tertio. Quidam aiunt suffimentis quibusdam fugari dæmones: hos refert tacito nomine Abulensis super *cap*.16.1.*Regum.q*.43. hi nituntur duobus fundamentis. *Primum* & potissimum est, dæmonem pulsatum esse à Tobia iuniore fumo iecoris cuiusdam piscis: de quo statim. *Secundũ*, quod contrariis suffumigationibus ijdem dæmones alliciatur, & vt certis locis assistant inuitentur. Et ne isti autores omnino celentur, scito Hermetem dixisse suffumigatione ex ligno Aloes, vel Ceti spermete, dæmones congregari: at suffumigatione ex sulphure fugari, vt Porphyrius & Proclus, qui similia multa dicunt. Quinimo multi ex Catholicis exorcistis suffitibus cornu caprini & cuiusuis stercoris, præcipue humani, & ruta & hypericone (quem ob id fugam dæmonum appellant) dæmones conantur fugare. Hieron. Mengus *in lib. qui dæmonum flagellum dicitur*; *exorcismo* 3. præcipit, vt ignis ac sulphur accipiatur, & super dæmoniacum suffitus tamdiu adhibeatur: quousque respondeat interrogatis: & exorcismo 4. vt benedicta ruta energumeni naribus admoueatur: & *exorcismo 6* vt accipiatur sulphur galbanus, assa fœtida aristolochia, hypericon & ruta, omniaque propria benedictione benedicantur, & in ignem proijciantur.

Abulensis.

Hermes.

Porphyri.
Proclus.

Mengus.

Quarto Sonitu, ac clamoribus, & conuitijs dæmones à locis fugari docet Philostratus in vita Apollonij Thianæi, *lib*.2.*cap*.2. fragore item ac strepitu armorum docet Hortensius super lib. 6. Æneidos Virgilij his verbis: *Multi asserunt dæmones ferri aciem reformidare, & re ipsa compertum est. Et noui quibus hoc ipsum nocturnis horis accidit, sed cum magna aduersa valetudinis conflictatione*. Ita Hortensius. Sed & campanarum sonitu dæmones terreri nostri dicunt: qui contra tempestates à dæmonibus vt creditur immissas, sonitu campanarum se muniunt, ac eas conantur fugare. Et Paulus Grillandus in tractatu de sortilegijs prodidit dæmones mulieres quasdam ducentes, audito campanæ sono ante diluculum eas dereliquisse, fugamque arripuisse. Missa facimus quæ ex Ouidio, Aphrodiseo, & alijs profanis autoribus afferri possent de æris tinnitu, quo manes domo alijsque ex locis abigi posse profani quidam crediderunt.

Philostra.

Hortens.

Grilland.

Ouidius.
Aphrodis.

Quinto. Vt dæmones vexent homines necessaria est in corpore vexandorum quædam corporalis, ac naturalis dispositio, per quam fiant hominum corpora apta ad recipiendam actionem afflictiuam dæmoniorum: ergo res sensibiles, quæ auferunt eam dispositionem ab obsessis, expellent dæmones, qui nequeunt in eis corporibus consistere nisi adsit talis dispositio. *Anteced probat*. quia ob id lunaticos & melancholicos, ac epilepticos, & furiosos arripiunt dæmones, vt colligitur ex historia Euangelica. *Luc*. 8. depingitur quidam dæmoniacus sæuus talibus sig-

5

Luc. 8.

signis, vt dicant medici eum laborasse quadam maniæ speciem: quam Damascenus iram permanentē vocat; Medici lycanthropiam seu lucanthropiam seu lupinam insaniam: & *Marc.* 9. *de alio* fit mentio dæmoniaco, qui elidebatur in terra, & volutabatur spumans, quæ sunt euidētia signa epilepsiæ, id est morbi comitialis. Omitto modò alios arreptitios, lunaticos, melancholicos; à dæmone possessos: nimirum mediantibus his morbosis dispositionibus commemoratis, & alijs similibus.

Damasc. *Marti 9.*

Sexto: Verba, quibus vtuntur necromantici, potentia sunt ad cogendos dæmones, non solum ad alios pellendos, verum ad quæcunque imperata faciendū. Sic Maga Thessalica apud Lucanum in 6 iactat se posse quoscunq; velit in actus inuitos præbere Deos, id est dæmones: ergo non est inconueniens idem asserere de alijs rebus naturalibus & sensibilibus. Hæc positio efficacioribus rationibus suadenda est, sumptis ex sacris literis, quibus refragari nullus Catholicus præsumet.

Lucanus.

4 *Septimum* argumentum ex verbis Raphaelis Angeli dicentis Tobiæ 6. *Cordis eius* (piscis callyonimi, vt quidam dicunt) *particulam, si super carbones ponas fumus eius extricat omne genus dæmoniorum*: quod & postea cap. 8. factum legimus.

Tobiæ 6. *1. Reg. 16.*

Octauum. Legitur 1 Reg.16 Dauide psallente cum cytharam suam dæmonium à Saule fugasse. Et Simeon Abbas, qui dictus est Salus, vt refert Leontius Episcopus Neopoleos insulæ Cypri in eius vita ex vico quodam, qui molestabatur à diabolo; cantu tibiæ pepulit eum: & Guido in sua musica ait, vi musici concentus pelli dæmonia Et Boëtius, quem refert Glossa ordinaria, ait, quendam Philosophum tactu cytharæ dæmonium ab obsesso pepulisse.

Leontius. *Guido.* *Boetius.*

5 Propter hæc & similia argumenta quidam tenent hāc partem, Paulus Burgensis in additione contra Nicolaum de Lyra super *decimum sextum cap.* 1. *Regum* mouetur *argumētos.* 7. & 8. Raymundus Lullius 2. *lib.* 5. essentiæ ait, Deum in vindictam criminum dæmoniorum, ea quamuis natura superiora rebus sensibilibus subiecisse. Et Ioannes Rubescisa *li. de consid.* 5. *essentia*, & Grillandus *q.* 3. *nu.* 23.

Burgensis. *Lullius.* *Rubescis.* *Grilland.*

Disputatio hæc plus habebit in recessu, quam in fronte, ne sit necessarium disputationes multiplicare. Et ideo *præmittendum* est, quadrupliciter posse intelligi dæmones virtute rerum sensibilium ab hominibus molestandis fugari, aut vero ad alias quasuis mirabiles operationes efficiendas cogi. *Vno modo*, quia in rebus ipsis inest virtus coactiua dæmoniorum, siue illa virtus sit ex primis vel secundis qualitatibus, sicut igni inest calor ad calefaciendum, vel comburendum, aut vero ad expellēdum frigus à subiecto, cui applicatur siue illa virtus sit qualitas specifica dima-

dimanans à forma rei, & influxibus cœlestibus, qualem inesse videmus magneti trahendi ad se ferrum, & cuidam gemmæ, quæ vocatur Theamedes contrariam virtutem omne à se ferrum respuendi, ac profligandi, teste Francisco Ruco medico insulano. *Secundo modo* possunt intelligi quodammodo cogi dæmones per allectionem vel respuitioné aliquarum rerum sensibilium, eo quod sint quædam res illis gratæ, & ideo ad præsentiam earum adueniût congregantur, operanturq; res mirabiles, iuxta voluntatem his rebus vtentium. Aliæ vero res adeo illis ingratæ & exosæ sunt, vt ad earum præsentiam fugiant, & sua domicilia deserant: ad eum modum, quo animalia viso pabulo sibi grato ad id accurrunt; è contrario si ingratum aut nociuum fugiunt.

Tertio modo possunt intelligi cogi ad faciendum aliquid per res sensibiles, eo quod hæ res valde conducunt ad faciendos effectus, ad quos inuocantur: quia eos faciunt applicando actiua passiuis: aut vero ad recedendû: quia huiusmodi res conducunt ad dissipandum dispositiones (si quæ sunt) necessariæ aut aptæ ad permanendum in molestia hominum, de quo statim.

Quarto modo possunt cogi per verba quædam aut pacta, quibus pepigit dæmon superior cum Mago, aut eo, qui se ei deuouit, hæc & illa facturus: & isto modo dæmones superiores ad verba Magorum expellût ab hominibus dæmones interiores, & inferiores superiores per collusionem, sicut supra diximus. His suppositis.

Prima assertio, sit contra istos nuper relatos, & quosdam medicos à me citatos *in disputat*. 3 Nulla res corporalis, siue sit substantia, siue accidens siue actio vel passio, per suam naturalem virtutem habet potestatem directe & per se cogendi dæmones, vt appareant, accedant, fugiant, aliquid faciant, vel facere desinant. *Probatur*. Dæmones secundum fidem sunt substantiæ spirituales omnis corporis expertes: ergo nullo modo possunt pati, aut cogi naturaliter à rebus corporalibus: eo quod corporalia nullam efficaciam, aut robur possunt habere erga res spirituales, quæ omnibus modis corporales superant, vt perspicuum est, & animaduertit D. Thom. *super c.* 41. *Iob*. Dixi *naturaliter*: quia supernaturaliter bene possunt cogi, nempe à Deo, Sanctis, Angelis, & hominibus virtute Dei, nam ad ordinem potestatum pertinere dicitur, dæmones arcere, vt declarat Gregor. *hom*. 34. Sancti autem homines, & interdum non sancti, sicut dono virtutum participant in quantum miracula faciunt, ita dono potestatum, in quantum eijciunt dæmones. D.Thom. Gregor.

Hæc argumentatio supposita fide antecedentis, demonstratiuè procedit: cuius vis non eneruatur, si obijcias animas rationales esse substantias spirituales, quæ dum

in

in corporibus sunt pati possunt à rebus sensibilibus, possunt etiam vi à corporibus separari, nam animæ vniuntur corporibus vt formæ:& ideo certas in corporibus expostulant dispositiones, quibus læsis animæ tristantur,& quibus ablatis cogitur anima recedere: quia vnio eius ab eis dispositionibus pendet; secus est de dæmonib. qui corporibus adsunt tantum vt motores localiter: & ideo siue in corporibus obsessorum adsint, vel absint dispositiones quælibet, ipsi non coguntur recedere sicut neque accedere.

7 *Secunda assertio.* Dæmones non alliciuntur rebus sensibilibus propter se ipsas, sed propter aliquid aliud, non tamen ob id coguntur à rebus sensibilib. vel per eas, vt aliquid dicant aut faciant. Assertio hæc tres partes habet. *Prima probatur:* quia cũ dæmones nõ habeant sensus, neque sensuũ organa: quia spiritualis naturæ sunt, nullã capere possunt voluptatem à rebus sensibilibus propter se ipsas. non delectãtur suffitib, quia non habent olfatum: non coloribus pulchris, quia carent visu; non musices concentibus, quia nõ est illis auditus; non coitu, quia non habent organa ad id deputata. *Secunda pars* asseritur à D.Th. *q.6. de potent. art vlt.* vbi ait, tripliciter dæmones allici rebus sensibilibus propter aliquid aliud vel in eis inclusũ, vel ab eis deriuatum. *Vno modo*, quia res quædam corporales sunt aptæ ad perficiẽdos quosdam effectus mirabiles, quos dæmones faciunt applicando actiua passiuis, siue eos faciant ad inuocationem Magorum, siue sine vlla inuocatione: v.g. si vtantur hippomane ad conciliandum amorem, vel cantharidibus ad excitandum ardorem Venereum, vel quid simile. *Secundo modo* alliciuntur his rebus corporalibus, in quantum homines per eas in peccatum adducũtur, v.g. cõuiuijs lautis, choreis promiscuis virorum, ac mulierum, & similibus. *Tertio modo*, & vniuersaliori ac præcipuo alliciũtur corporalibus, in quãtum hæc corporalia sunt signa aliquorum spiritualium: quibus dæmones delectantur. Vnde Aug. l.21. *de ciuit. c.6.* ait, dæmones allici his rebus, non sicut animalia cibis, sed quasi spiritus signis: & ista allectio spirituum immundorum frequentissima est apud Magos, ac necromanticos, qui per signa quædam dæmones inuocant, & adsunt vocati, vt morem gerant Magis, & his signis valde dæmones delectantur: quia eis honor quasi diuinus exhibetur, cuius ipsi summopere appetẽtes sunt. Quibus autem signis delectentur, ipsi miseros Magos docuerunt: diuersos pro diuersitate delectationis dæmoniorum: *Neque enim* (ait August.) *potuit nisi primum ipsis docentibus disci quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur. Vnde Magicæ artes, earumque artifices extiterunt*, Infinita ferme sunt ea signa, vt ipsi dæmones innumeri, & diuersis contrarijsque sæpe nu-

D. Thom. August.

numero ingenijs, ita vt ferme nil corporale sit, quo non abutantur ad magicas artes: sicut Michael Psellus homo vanus, & plus quam suspectus de magia dæmoniaca scripsit in lib. de dæmonibus. *Psellus.*

Tertia pars Assertionis; nullá re sensibili sic allici dæmones, vt ob id cogantur dicere, aut facere aliquid, est contra impium Porphyrium, & alios, qui, vt refert August. 10. *de ciuitate Dei, c.* 11. mirabatur, quod non solum dij (dæmones) alliciantur victimis, sed etiam compellantur, atque cogantur facere, quod homines volunt. *Sed probatur assertio nostra.* Nam dæmones quamuis semper ad malum propensi sint, tamen libera voluntate potiuntur, libereque operantur: at qui libere operatur, nulla re ita delectatur, vt ex ea cogatur aliquid dicere, aut facere. Simulant versipelles se cogi, vt decipiant miseros Magos, & sæpe quando illis placet, nec illis parent, nec sinunt viuere: vt sic ad infernum secum pertrahant: de quo fortasse aliàs. *August.*

8 *Tertia assertio.* Nulla res sensibilis propter se ipsam est dæmonibus ingrata, aut nociua, ac proinde non illam respuit propter se ipsam, multas vero respuit, & odio habet propter aliud: non tamen ob id dicetur cogi ab aliqua re sensibili, vt recedat, aut fugiat. *Prima pars* patet ex dictis in prima & secunda assertione.

Secunda pars clara est in rebus diuinis, Cruce, reliquijs, & huiusmodi. Sed his dimissis: quia de rebus naturalibus loquitur intra sphæram suæ naturalitatis; probatur, quia ea, quæ inducunt ad bonum, vt imagines, virtutum moralium opera, colloquia sancta, & ieiunia, & huiusmodi eis valde displicent ac exosa sunt. Rursus res sensibiles, quæ quodammodo alleuiant molestias dæmonum infestantium, vel aliquo modo contrariæ sunt dispositionibus, quas ipsi amant in hominibus, putà melancholicam affectionem, ea omnia dæmones oderunt, & respuunt.

Tertia pars probatur: quia horror, quem ex hisce rebus capiunt, non est tantus, vt cogantur ob id recedere: plus displicet cessare ab hominum molestijs, & ideo hisce rebus non coguntur recedere. Egregiè Origenes citatus ex homilia 24. in Iosue: *Adhibeantur multæ orationes, multa ieiunia, multi exorcismi, ad hæc omnia in obsesso corpore dæmon permanet: tolerabilius ferens exorcistarum pœnas, & adhibita sibi ex Dei nominis inuocatione tormenta, quam discedere ab homine, quem nequiter obsidet: quod si his diuinis machinis inimicus resistit, ne ab homine pellatur, mere naturalia, quantumuis odiosa, deridebit.* *Origenes.*

Quarta assertio. Dæmonum accessus aut recessus non pendet ex dispositionibus 9

positione corporali aliquarum rerum ac proinde nulla dispositione corporali posita coguntur accedere, aut ablata recedere. Hoc est dicere, dæmones neq; directè, neq; indirectè posse fugari mediantibus aliquib. rebus naturalib. & sensibilib. Hæc assertio statuta est contra Paulū Burgensem vbi supra, & Martinum del Rio, *libro secundo disquisitionum Magicarum quæst.* 30. *sect.* 3. Ille ait ingressum & vexationem dæmonum erga corpora obsessorum pendere ex dispositione quadam naturali, qua sublata per medicamenta, aut res sensibiles, indirectè cogitur dæmon recedere. Hic autem has dispositiones esse causas indirectas expulsionis: & sine quibus non (vt aiunt Philosophi) quod est incidere in opinionem Burgensis, & expressius *tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 2. *sectio.* 2. ait quibusdam rebus naturalem esse virtutem fugandi dæmones. Et ante ipsum idem asseruerat Nicolaus Serarius *super* 6. *caput* Tobiæ. Aduersus hos, & alios asserimus, dęmones non pendere à corporali aliqua dispositione vexandorum neque in ingressu, neque in mansione in corporibus eorum, ac proinde, neque indirectè posse pelli ab eis per ablationem earum corporalium dispositionum. *Probatur.* Ad hoc vt dæmon inhabitet corpus hominis, & vt id vexet, tantum necesse est ei vniri vt motorem motu locali: sed ad hanc vnionem non est necessarium præcedere in corpore humano aliquam corporalem dispositionem, sed tantum requiritur motorem habere robur ac vim mouendi illud, vt patet in omni vnione motoris ad mobile: ergo inhabitatio dæmonis in obsessis, & vexatio eorum, non pendet ab aliqua, vel aliquibus dispositionibus corporalibus: sed potest fieri per solum localem motum: ac proinde neque indirectè potest cogi dæmon, vt recedat ablata dispositione quacunque per medicamenta, aut res sensibiles: quia ab ea dispositione non pendet eius inhabitatio, aut vexatio. *Maior huius syllogismi probatur:* quia materia corporalis obedit spirituali ad nutum quoad localem motum, vt autor est Diui *Thom.* 1. *p. quæst.* 100. *art.* 3. D. Thom.

Explicatur vis huius rationis. Quando dæmon inhabitat hominem, duplici genere motus potest ibi adesse, & operari. *Primo*, motu alterationis, verbi gratia, causando morbos afflictiuos, vt epilepsiam, lycantropiam, aut succum melancholicum, vel quid simile, quo crucietur dæmoniacus: quod si hoc solo genere motus inhabitaret aut vexaret, citra dubium pelleretur, & à cruciatibus cogeretur cessare mediantibus medicaminibus, & rebus corporalibus: quibus applicitis tolleretur dispositio qualificatiua,

à qua penderet dæmonum præsen-
tia. Tolleretur insuper dispositio af-
flictiua, quam dæmon per motum
alterationis ingessit, & consequen-
ter à corpore obsessi fugaretur, ces-
saretque à corporis cruciatibus: ni si
quis dicat (quod & contingere pos-
set) facile esse dęmonibus virtutem
eorum medicaminum hebetare, &
eneruare: quo posito magis confir-
maretur nostra assertio, & confuta-
rentur præfati autores. *Secundum* ge-
10 nus motus quo potissime vtitur dæ-
mon in habitatione obsessorum &
cruciatibus, est localis motus, qui
non pendet ab aliqua dispositione
corporali, sed potest inhabitare, &
cruciare hominem sine vlla afflicti-
ua dispositione, per coarctationem
nimiã, aut dilatationem plus nimio
cordis, viscerum, hepatis, aut per
euocationem immoderatam humo-
rum melancholicorum ad cere-
brum, vel quid simile: quæ omnia
sine alteratione fieri possunt per so-
lum localem motum. Hi autem lo-
cales motus dæmonum, qui à dis-
positione non pendent, nequeunt
impediri, aut auferri per vllius rei
sensibilis, & naturalis virtutem: &
ideo neque indirectè cogi dæmo-
nes, vt recedant, aut ne crucient ob.
sessos. Fateor, res quasdam cor-
porales multum conducere ad al-
leuiandum dæmoniacos, ne tam
acriter vexentur: vel diuertendo at-
tentionem à cruciatibus dæmonum
vel auferendo dispositionem me-
lancholicam, aut alias morbosam:
qua mediante dæmon vexabat ob-
sessum, qua ablata licet non coga-
tur dæmon recedere, aut non cru-
ciare vel voluntarius recedet prop-
ter ingratam mansionem, vel alle-
uiabitur aliquo modo à diris crucia-
tibus: de quo latius in solutione ad
octauum.

Quinta assertio. Nulla verba Ma- 11
gorum cogere possunt dæmones,
vt accedant, sed ipsi simulant se
accedere aut recedere coacti per
Magorum verba. *Hæc iam probata est
ex dictis*, nam ea verba nullam effi-
cacitatem habent, nec vnde illis
aduenerit efficacia ignoratur, sed
pactum cum dæmonibus hos ac-
cessus, & recessus introducit, quod
seruant, quando eis placet, & quan-
do non placet frangunt, & irritum
reddunt.

Superest ad argumenta initio fa-
cta respondeamus. *Ad primum*, sine
vllo fundamento asseritur lapides
pretiosos, aut non pretiosos dæmo-
nes in fugam conuertere; quod si
aliquando eos lapides fugiant,
impostura Magorum est, & fictio
dæmonum fingentium se fugere,
vt Magos in cæcitate sua detineant.

Ad secundum respondetur, illud 12
de aqua ferrata nil conducere ad
cogendos dæmones, fortasse reme-
diũ medicinale est ad curãdos mor-
bos quosdam, quos amãt dæmones
aut inferunt dęmoniacis, de quo sta-
tim. Illas vero herbas cõmemoratas
expel-

expellere dæmones, fallacia Magorum est, ipsis dęmonibus hac via eos seducentibus, fortasse atra bilem extirpant, quàm dæmones induxerũt, vt vexarent miseros obsessos, & illa extirpata volũtariè recedit dæmon, vt animas hominum in superstitionem inducãt. Illud verò quod dixit Apion Grãmaticus de Cynophalea herba: ad inuocationem, & pactum cum dæmone spectat: nec parũ suffragatur nostræ suspicioni id, quod ibidem refertur dixisse Apionem, virtute scilicet illius herbæ interrogatum dæmonem de patria, & parẽtibus Homeri respondisse, quæ non auderet dicere. Interrogatio ridicula mediante herba, & digna Grammatico. Illud verò quod obijcitur de radice inclusa in annulo Eleazari, credo ad superstitionẽ pertinere: nec est cur liberemus à superstitione magica Iudæum Eleazarum.

13. Ad *tertium respond.* non esse curandum de Hermete famoso necromãtico, nec de impio Porphyrio. Ad illud verò quod *obijcitur* ex vsu nostrorum exorcistarum, respondent quidam: dæmones, quia superbissimi sunt, nequaquam posse sustinere, vt vilipendantur, dum in suis obsessis vel flagellantur, vel fumo graue olẽtium (quod genus quoddam vilipẽdij est) afficiuntur, & sic recedunt. Existimo autem, eos hæc & similia parui facere: quare melius respondetur, illa herbarum gestatio, illi suffitus ex cornu caprino, & similia, fortasse prosunt: quia rutæ & hypericonis folia flatus absumunt, vt ait Hippocrates *li. de flatibus*, & ad sedandos humores, qui à flatibus proueniunt valdè conducunt; sicut & stercus, & cornu caprinum in ignem coniecta fumo suo idem efficiunt. Vnde & prosunt humoribus melancholicis curandis: quibus extirpatis, aut debilitatis, vexatorum à dæmonibus cruciatus alleuiantur, ac mitescunt; & fortasse aliquando recedit dæmon. *Hippocr.*

Vvimpin. Hoc benè notant Conrad. Vvimpina *li. 2. de superstit. c.* 10. 11. & 12. & Franciscus Vallesius Medicus Cõplutensis *in lib. sacra Phil. c.* 15. & 28. Inquiunt isti frequentius dæmones inuadere eos, qui abundant atra bili, quia humor iste valde idoneus est, vt homines in furorem ac insaniam vertantur, quod dæmones summopere cupiunt: quare melãcholia imbutis maximè insidiantur, & morbos, vt plurimum, inferunt melancholicos. Vnde consequitur quod cum corporalem materiam nõ possint transmutare, nisi applicando actiua passiuis, ægrè ferunt, si corporeis ac medicinalibus illis rebus adhibitis, dispositiones eorum malitiæ ac dolis aptæ expellantur, ac prorsus contrariæ inducantur. *Vallesius.*

Igitur hæ tres, quæ in corpus patientis inducunt dispositionem cõtrariam ei, quam exoptat dæmon ad commodius inferendos cruciatus, humores corporeos purgãt directè, & corpoream ægritudinem pellunt

naturaliter; indirectè verò sunt obstaculum dæmonibus, ne tam grata possideant domicilia, ac ne patiens tam diros sustineat cruciatus: & aliquando consequitur, vt dæmones discedãt, non verò coacti ab illis rebus, & talibus dispositionibus: quia neque directè, neque indirectè eorũ cõmoratio aut discessus ab illis pendet, vt diximus cõtra Burgensem, & propter alleuiationem præfatã licet obsessis à dæmone petras & herbas naturaliter efficaces aduersus melãcholiam, absque vlla tamen incantatione habere, & gestare, vt dicit D. Hieronymus in argumento relatus: estque communis sententia, ita Albertus Magnus, Luc. 9. *Sprenger. p. 2. c. 5 remediorum*, Nider. li. 5. *formicarij cap. vlt* Valerius Polydorus in practica exorcistarum.

Hierony. Albertus Magnus. Sprenger. Niderus. Polydorus

14 Ad quartum ex dictis facilis est solutio. Nulla namque res corporalis naturali vi aliquid potest in rem spiritualem, & ob id credo dæmones irridere eas blasphemas voces, ac minaces: quod si phantasma fugit Apollonium blasphemãtem, voluit detinere famosum Magum in sua cæcitate. Idem dico de armorum apparatu.

Ad id verò, quod obijcit de nostrarũ campanarum sonitu, sunt qui nullum effectum supernaturalem illis adscribunt, sed dumtaxat naturalem. Ita Petrus Mexia *lib. variæ lectionis*. effectus naturalis, is tempore alicuius ingruẽtis tempestatis, aëris vehementis, nubium valdè densarum, tonitruorum ac fulgurũ, aerem rarefacere, nubes dissoluere, fulguribus obstari mediante earum crebro sonitu, quod naturale est. Siquidem nobis tradidere experti, aliquando contigisse, ad ingẽtes clamores magni exercitus aerem sic rarefieri, vt aues desuper volantes non valentes in tanta aeris subtilitate alis cõsistere, in terram ceciderint. Non abnuo dictis: cęterum ad sonitum vnius campanulę, aut duarum, ingentes tempestates vastarum nubiũ naturaliter dissipari, sicut de facto sæpè videmus fieri, vix credibile est.

Mexia.

Existimo autem effectum istũ supernaturalẽ esse propter campanarũ consecrationem, in qua Deo supplicatur, vt campanarum sonitu dæmones fugentur, ac tempestates dissoluantur, vt videre licet in Concilio Coloniensi *cap.* 14. Vbi facta mẽtione baptizationis, seu cõsecrationis campanarũ, dicitur, Catholicos credere campanatũ sonitu & aerem caliginosum discuti, tempestatesque arceri, & nequissimas potestates aereas pelli, atque exturbari: & pro his effectibus supplicatur in earum consecratione, vt videre licet in Pontificali Romano, vbi campanarum benedicendarum formula descripta est.

Cõcil. Coloniense.

Ad *argum.* 5. *resp. negando antec. & ad probat.* dico, me non negare dæmones insidiari melancholicis, epilepticis, furiosis, maniacis, & huiusmodi. Insuper non nego dæmones sæpè cruciare miseros obsessos mediantibus 15

diantibus

diĩtibus morboſis illis apparatibus, vel naturaliter exiſtentibus in arreptitijs, vel à dæmonibus immiſſis: neq; tamen ab eis diſpoſitionibus pẽdere manſiones dæmonum in dæmoniacis, vel quia non ſunt in loco per operationem vel diſpoſitionem corporalem; vel ſi ſunt per operationem (vt aiunt diſcipuli D. Tho.) non neceſſariò per operationem, quæ ſit alteratio, ſed ſat eſt motus localis. Vnde ablata diſpoſitione alteratiua, poſſunt firmiter hærere per motum localem. Quod dico de manſione in arreptitijs, dico de illatione cruciatuum.

Sed dubitas: ſi per ſolum motum localem poſſunt inhabitare arreptitios, & eos immaniſſimè torquere, vt quid gaudent morboſis apparatibus, & eos immittunt, multa cura inquirẽdo res, ex quarũ applicatione illi morbi generentur? Obſcurum eſt eorum prauas mẽtes ac fines perſcrutari. Fortaſſe, quia cupiũt occultari, occultantur autem dum malam affectionem dæmoniacorum, moleſtię morborum homines attribuunt, nil cogitantes de dæmonum inhabitatione, qua agnita adhuc deſiderant domicilia morbis affecta, vt ipſis recedentibus ad tempus, vel in perpetuũ relinquant morbos, quaſi ſubſtitutos tortores hominum, quos odio, pluſquã vatiniano proſequũtur: aut verò quia tã diros cruciatus non poſſunt inferre per ſolum motũ localem coarctationis, aut dilatationis, ſuperſtitibus ſubiectis, ſicut per morboſas qualitates, maximè quæ ad maniæ ſpecies pertinent. An verò illi dæmoniaci, de quibus in probatione antecedentis, fuerint vexati morbis à dæmonibus immiſſis: an verò tantum cruciati motu locali, incertum eſt; quibuſdam negãtibus, quibuſdam affirmantibus.

16 Ad *ſextum argum. negatur antecedens.* Verba enim quæcunq; à Mago prolata, aer verberatus ſunt, & naturaliter ſupra ſpiritus nullam efficacitatẽ habent: fingunt dæmones ſe à Magis cogi, quibus obtemperant, vt plures capiant, & captos in errore detineant. Tota vis Magorũ erga dæmones ex fœdere cum eis inito pendet, ac proinde ſi Magus pactum habeat cum dæmone ſuperiori, non poteſt vim facere (quæcunque verba proferat) huic dæmoni ſibi deuoto, poteſt tamen per ipſum dæmonem ſuperiorem, ſibi ex pacto adiuuantẽ, inferiorem cogere ad aliquid faciẽdum, vel omittendum, vt narrat Auguſt. 10. *de ciuitate Dei, cap.* 9. *Auguſt.* Sed hoc nõ eſt dæmonem aliquem cogi verbis Magorum, ſed ab alio dæmone fortiori. Quare Maga illa Theſſalica vanè ſe iactabat de imperio ſupra dæmones, quin imò minabatur Lunæ, & Dijs inferis, tanquam famulis, apud Lucanum lib. 6. *Lucanus.*

Miratur Erichtho
Has fatis licuiſſe moras, irataq; morti
Verberat in motum viuo ſerpente cadauer,
Perq; cauas terræ, quas egit carmine rimas,
Manibus illatrat, regnique ſilentia rumpit.
Tiſiphone, vociſque meæ ſecura Megæra,

Non agitis sæuis Erebi per inane flagellis,
Infœlicem animam? iam vos ego nomine vero
Eliciam, stygiasq; canes in luce superna
Destituam: per busta sequar: per funera custos
Expellam tumulis, abigam vos omnibus vrnis,
Teq; Deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate pallenti tabida forma
Ostendam, faciemq; Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te
Contineant Ennæa dapes, quo fœdere mæstũ
Regem noctis ames: quæ te contagia passam
Noluerit reuocare: Ceres tibi pessime mundi
Arbiter immittam, ruptis Titana cauernis,
Et subitò feriere die.

Iamblicus 17 Et Iamblicus in mysterijs scribit, narrare Porphyriũ, Sacerdotes, id est Magos, consueuisse violentis quibusdam minis aduersus superos (dęmones intelligit) vti: veluti: *Nisi vos ita feceritis, vel contra si feceritis aliquid: cœlos confringam vel occulta Isidis, id est Proserpinæ patefaciam, vel arcanum in abysso conditum diuulgabo, aut sistam barim*, id est nauim quandam apud Ægyptios sacram: *Aut membra Osiridis Typhoni dispergam*. Videte quousque processerit insana iactantia Magorum, & dæmonum ingens fallacia, vt se simulent his verbis cogi, his minis terreri, quas homunciones vix audire ferrent, & tamen superbissimi spiritus libenter auscultant, & fingunt se pauidos obedire, vt miseros homines in errore detineant. Sed his relictis ad grauiora & veriora nos septimum & octauum argumẽtum inuitant.

Septimum argumentum, quibusdam nullum negotium facessit: quia existimarunt librum Tobiæ non esse de canone sacrarum Scripturarum: sed iam post Tridentinam Synodum, quæ definiuit, & annumerauit eum librum cæteris irrefragabilis autoritatis codicibus sacris, responsio hæc non est admittenda. 18

Alij aiunt summum cordis piscis, non fugasse dæmonem, sed Raphaelem Angelum, vt dicitur cap. 8. *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti*. Sed ideò dixisse fumum extricare, id est fugare dæmonia, (cùm tamen ipse erat fugaturus) vt sic hoc dicto, & subsequenti facto, occultaretur esse Angelum. Sed isti vix excusant Angelum ab edocta superstitione & à mendacio: quia non saluatur veritas asserti Angelici, videlicet fumus cordis, aut iecoris extricat omne genus dæmoniorum. Tobia. 8.

Nec satisfacit Abulensis super *caput 16. 1. Regum*, dicens sensum esse, dæmones esse fugandos, quando fumus excitatus esset, fugãdos quidẽ, non à fumo, sed ab Angelo. Nimis violenta expositio videtur: quia expresse ait Angelus, fumum ipsum fugare dæmonia omnia, id est habere virtutem ad id efficiendum. Si autẽ tempus notaretur, de vno tantùm dæmonio loqueretur Angelus: item fel non tantum fuit signum temporis, quo visus Tobiæ restitueretur: ergo neque cor, & hepar temporis, quo erat recessurus dæmon. Abulens.

Alij

18 *Alij dicunt*, fumo illius piscis fugari dæmonia non vt instrumento, sed sicut signo, ad eũ modum quo Crux fugat dæmones vt signum Christi: piscem autem illum figuram esse Christi multi Sanctorum affirmant. August. August. serm. 4. de sanctis Petro, & Paulo. *Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus: cuius iecore per passionem assato fugatus est diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est* Optatus. *cæcus, & illuminatus est mundus.* Et Optatus lib. 3. aduersus Parmen. idem Prosper. ferè ait, & D. Prosper de prædict. p. 2. cap. 39. vbi post multa ait: *Satiat ex se ipso in littore Christus discipulos, & toti offerens se mundo: nam verbum Græcum Latinè piscem sacris litteris maiores nostri hoc interpetati sunt, ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est Iesus Christus filius Dei saluator, piscis in sua passione decoctus, cuius ex interioribus remediis, quotidie illuminamur, & pascimur.* Non displicet expositio, quæ est etiam Lyrani Tobiæ 6. dicentis fumum iecoris illius piscis non fugasse dæmonẽ, nisi figuraliter. Lyranus.

Existimo autem illum fumum re vera fugasse dæmonium (aliàs quomodo stabit dictum Angeli) non per aliquam vim naturalem, quæ inesset fumo illi: sed quia Angelus Raphael, qui vt causa principalis fugauit, eo fumo vsus est vt instrumento illius fugæ faciendæ, eleuans illum, vt posset in effectum; in quem non poterat nisi eleuaretur. Nec mirum: nam faber lignarius eleuat serram, vt ea faciat cathedram, quam serra non posset efficere, nisi eleuaretur: & multo magis habet locum hæc eleuatio, quando substantiæ separatæ assumunt vt instrumenta admirabiles effectus producendos, res naturales: vt egregiè D. Thom. 3. *contra gentes cap.* 103. *& alibi sæpe.* D. Thom.

Quare autẽ fumo illius piscis vsus est Raphael, vt instrumento? Quia figura erat Christi Domini in passione quasi exenterati, ac decocti, vt præfati Sancti docuerunt. Hæc sententia non est aliena à mente multorum doctissimorum, inter quos Guillielmus Parisiẽsis lib. de vniuerso, Dionysius Carthusianus hoc testimonio Tobiæ, Hieronymus Mengus *in flagello dæm. docum.* 3. An verò iecur illud habuerit aliquam virtutem naturalem inducendi quasdam dispositiones ingratas dæmonibus: dicendum erit, sicut de concentu Dauidicæ cytharæ, de quo statim.

In octauo argumẽto celebris se offert, & à viris doctis agitata *dubitatio*, de efficacia cõcentus Dauidicæ cytharę in propulsando dæmonio à Saule, quem à dęmone arreptum fuisse docent viri graues. Iosephus *lib. 6. antiquit. cap.* 10, Athanas. homil. *de semente.* Chrysost. Eucherius, Tertulianus, *lib. de fuga in persequut. cap.* 5. Theodoretus, q. 38. 39. 54. Gregorius, Abulẽsis, Lyranus *in libros Regum*, & Franciscus Vallesius *cap.* 30. *de sacra Philosophia.* Alij occupatu morbo melancholico, non à dæmone obsessum aiunt, inter quos Caietanus. Caietan. 19

Sed esto à dæmone fuerit arreptus, an melodia musices fuerit à dæmonio liberatus dubitatur: nam esse liberatum ait sacer textus, *Recedebat* (inquit) *Spiritus malus ab eo.*

20 Extremas in hac dubitatione reperio sentētias è regione oppositas, & vnam mediam. *Prima extrema est.* Solam harmoniā, Dauide pulsante cytharam, vim habere naturalem ad pellenda dæmonia, & de facto pepulit à Saule spiritum malignum. Hæc sententia duplici pergit via: nā quidam aiunt eā vim inesse musicis concētibus, quibus quidam dæmones delectantur, alij verò fugantur. Iste dicendi modus idolatrarum est, multa iactantes vana de propensione dæmonum in harmoniam. Vndè natæ sunt Magorum nugæ, Saturno lugubrem cantum, cæteris planteis hilarem ac lætum offerendum. Hæc positio facile refutatur ex dictis in secunda assertione. Alij alia pergunt via minus improbabili: dæmonem indirectè fugatū esse à Saule per Dauidis concētum musicum: eo quòd ingressus, mansio, ac vexatio actiua dæmonis, pendebat à dispositione passiua existente in Rege arreptitio: & hac sublata per harmoniam Dauidicam subinde cogebatur dæmon, vt fugam caperet. Hac via procedit Paulus Burgensis, & alij citati: sed horum sententia iam refutata est his, quæ diximus circa assertionem quartam, & solutionem ad quintum argumentum. *Burgens.*

25 *Altera sententia* extrema asserit, Dauide pulsante cytharam, duos effectus subsequi: vnus, quod leuius ferret dæmonis obsidētis vexationem: alter quod fugabatur dæmon. Et nullus horum fiebat, neque poterat, virtute naturali harmoniæ musicæ: sed ambo effectus tribuendi sunt sanctitati Dauidis, qui cytharā pulsando, canebat laudes Dei, & Psalmos compositos pro salute Saulis. Hæc sententia multum conformis est dictis Sanctorum. Athanas. homilia de semente, sic ait: *Cùm torqueretur Saul ab immundo spiritu, non defuit, qui indicaret ei Dauidis solertiam. Accersitus, quoties inuadebat Regē spiritus immundus, Dauid cytharam pulsabat, hymnos Domino cantans: suffocantem dæmonem propulsabat. O magnam Psalmorum virtutem spiritus immundus suffocans alium, ipse inuisibiliter suffocatur, & respirabat Saul.* Chrysostom. *Pulcher Psalmi concentus est, acutissimum telum aduersus dæmones: nec enim cerui ita tela fugiunt, vt Psalmos Dauid dæmones. Sumpsit Dauid cytharam, & pulsauit, & à Saule recessit malus spiritus, & recedens dæmon cecidit, vt ceruus sagitta percussus, & in icore sauciatus. Pulchra est Dauid cythara; est enim animæ consolatio: pulchra est lyra pastoris; mentis enim nostræ neruos confirmat ad virtutem, &c.* *Athanas.* *Chrysost.*

Tertia sentētia media asserit duo. *Primum* est virtute naturali melodiæ potuisse fieri, vt, aliquis leuius cruciatum ferat, aut dolor totaliter absorbeatur. Et ita de facto accidisse Sauli: nam Dauide pulsante cytharam, ac canēte, Rege musicæ sua- 22·2

uissimæ concentibus recreato, ac delinito: leuius ferebat dæmoniacos cruciatus, aut forte dolor totaliter auferebatur. *Secundum* est virtute melodiæ naturali nequaquam poterat dæmon cogi, vt à Saule discederet: discessit autē virtute supernaturali.

Hanc sententiam censeo veriorē; eam tenet Lyranus, & Abulens. *super locum* 1 *Reg*. Estq; ferè cōmunis Theologis nostri temporis. *Secundū* dictū iam probatum est assertione secūda, & quarta. *Primum* verò probatur, posse fieri dupliciter. *Vno modo* quia vt creditur Saul vexabatur à dæmone mediāte affectione, & dispositione humorum atra bili infectorū: hos autem sedari, ac valdè alleuiari per melodiam, ac musicos concentus, medici periti asserunt. *Secundo modo*: quia concentus suaues, imò & perceptio cuiuscunq; valdè delectabilis, distrahēdo attentionem, facit res mœstas vel non percipi, aut parum: & sine perceptione rei nociuæ non sentitur dolor, aut cruciatus, & cum perceptione parua, parum sentitur. Ac proinde non mirum si Rex concentu, & harmonia Dauidis musicæ delinitus, & occupatus, non sentiret cruciatos dæmoniacos, vel leuius.

Lyran. *Abulens.*

Secus dicendum est de dæmonis discessu; quem nō fieri virtute naturali harmoniæ musicæ, aut cuiusuis rei corporalis, iā probauimus. Nullā tamen video dissonātiam veritati, si quis dicat Rege cōcentu musicæ delinito nō exiguè sedabantur humores, quibus agitabatur, & propterea vexationi dæmones minus apti reddebantur. Et ideò spiritus ille nequam tum temporis recedebat, non quòd musica cogeretur, aut offenderetur, sed quòd ægrè ferret hanc sui domicilij sibi quasi turbari possessionem per huiusmodi temperiē meliorem. Sed certius cēseo virtute supernaturali coactum recessisse: vel propter Dauidis canentis Psalmos sanctitatem: vt videntur dicere Sancti citati: vel pulsu cytharæ, virtute, ac meritò Crucis Christi, cuius figura fuit illa cythara: ac proinde eius sonum exhorrescens dæmō recessit: sicut supra diximus de effigie Christi Crucis. Sic opinatur Felis *in* 2. *distinct.* 8. & multo ante illum Prosper Aquinaticus 2. *part. promiss. & prædict. cap.* 25. Rabbanus, Eucherius his verbis. *super istum locum ex* 1. *Regum*: *Dauid in cythara sua malignum spiritum cōpescuit: non quod tanta vis esset in cythara; sed in figura Crucis Christi, quæ de ligno, & cordarum extensione gerebatur: quæ iam tunc dæmones effugabat.* Vel tertiò, quia Deus illa cythara vtebatur, vt instrumento ad dęmonem illum fugādum: eò quod erat figura Christi in Cruce extensi.

Felis. *Prosper.* *Rabban.* *Eucher.*

23 Ex his patet, quid sit dicendum *ad octauum argumentum.* Illud verò, quod adducitur de cantu tibiæ Simeonis Abbatis, nescio quam sit authenticum: fortasse ob sanctitatē viri; vel quia id ad similitudinem Dauidis cytharizantis factū est, dęmon pulsat' est. Ad id verò quod Boetius adducit de Philosopho expellente

dæmonem per harmoniam cytharę: fortè dæmon ingratum habuit hospitium eius obsessi; cuius humores sedati sunt per concẽtum musicum: & ideò spontè recessit.

ADNOTATIO.

1 Absolutis his, quæ spectant ad potestatẽ mirificam quā Christus Ecclesiæ suæ dereliquit ad dæmones abigendos: superest, vt in secundo membro tradamus praxim seruādam ab exorcistis in vsu huius potestatis. Nec tamen obliuiscemur methodi scholasticæ admiscentes aliquot quæstiones: vt sciant exorcistæ rationem reddere eorum, quę ab ipsis geruntur.

Ea malorum colluuies, quàm superius *disputat.* 10. *&* 11. diximus hominibus posse inferri, continentur, ac ferè epiloguntur in quatuor generibus malorum: circa quæ præcipuè propulsanda exorcistarum labor, ac cura insumitur. Primum & omnium teterrimū est obsessio, quæ fit à dæmonibus inhabitantibus humana corpora; & multis, ac varijs malis afficientibus miseros arreptitios. Secundum, persequutio illata, non à dæmone obsidente, sed forinsecus existente, & homines affligẽte. Tertium, infestatio domorum, ac aliorū locorum terroribus, apparitionibus terribilibus, & similibus: quæ efficiunt aliquam habitationem, siue loca inhabitabilia, ac tremenda. Quartum. Clades, aut damna illata à dæmonibus in fortunæ bonis, non per se ipsos immediatè, sed per res aliquas sensibiles: putà per animalia fera, per turbines, grandines, ventos vehementes, depopulantes segetes; aut arbusta, diruẽtes domos, &c. Erga hæc malorum genera propulsanda per adiurationem præcipuè insudant exorcistæ. Quare de his speciatim dicendum est, & primò de obsessis sit

DISPVTATIO XVIII.

Qui sint homines isti, qui à dæmonibus obsessi dicuntur; siue dæmoniaci, aut energumeni, id est intus vexati?

Et videtur, non reperiri tales homines, in quorū corpora dæmon intrauerit. Primò ex Glossà circa illud Habacuc secundo: *Dominus in templo sancto suo*, dicente dæmones simulacris exterius præsidere possunt: nō autem interius adesse: ergo multo minus poterunt intrare corpora humana. 2 *Habacuc.*

Secundò. Anima rationalis est tota in toto corpore, & in qualibet corporis parte: ergo in nulla potest inhabitare dæmonium: tum, quia duo spiritus creati nequeunt esse in eodẽ loco, sicut neque duo corpora: tum etiam, quia esset confusio operationum à diuersis illis emanātium, quæ nullatenus est admittenda.

Tertiò. Non ob aliud dæmones dicuntur esse intra corpora hominum, nisi quia ibidem operantur: v.g. cruciando, torquendo, &c. sed ex hoc non infertur esse intra hominum corpo-

corpora:ergo re vera non sunt. *Maior* videtur nota ex doctrina Thomistarum 1.*p.q.*52.dicentiũ, Angelos in eo loco esse vbi operantur:& vbi non operantur,non esse. *Minor autem prob.* alias propter eandem rationem Angeli Custodes essent intra eos, quos custodiunt, & dæmones intra eos, in quorum visceribus morbos generant: ac denique inhabitarent omnes, circa quos quoquo modo operantur:imo etiã intra eos, quos tentant:quia circa omnes istos operantur; & ibi sunt vbi operantur.

Quarto. Dæmones non sunt intra animam,neque esse possunt: quamuis intra animam operentur: suadendo scilicet,& indirectè mouendo eius potentias; ergo neque possunt esse, neque sunt intra corpora: quamuis intra ea operentur. *Confirmatur.* Dæmones non possunt illabi animabus hominum:hoc enim proprium Dei est: ergo neque eorum corporibus.

Vltimo. Animæ defunctorum separatæ nequeunt corpora viuentiũ intrare,aut vexare: nusquam enim legimus sic accidisse:ergo neque dæmones possunt corpora viuentium intrare,aut vexare. *Probat.conseq.* ex rationis paritate: etenim tam animæ,quam dæmones, spiritus sunt, & pari modo operandi,& essendi in loco gaudent.

5 In oppositum faciunt sacræ Scripturæ testimonia asseuerantia dæmones malè torquere homines, eorum corpora subintrare, & iam ingressos à Christo Domino, & eius Apostolis eiectos fuisse: & ipsis clamantibus,& testificantibus,vim sibi inferri:eo quod à proprijs habitaculis pellerentur, Matt. 17. *Hoc genus* (inquit) *dæmoniorum non eijcitur, nisi oratione,& ieiunio.* Matth. & Luc. 8. ac Mar. 5.narratur illa insignis eiectio legionis dæmoniorum, quæ vnum hominem possederat,& Matth. 12. Marc. 1. Lucæ 4. & alias in Euangelio sæpe narrantur mirabilia à Iesu facta circa eiectionem dæmonum ab hominum corporibus. Potestas itidem collata Apostolis ad eos eijciendos,& eiectio subsequuta *Marci vltimo, Luc.* 10. *Actorum* 16. idipsum ostendit:accedente experientia, qua mediante,sæpe videmus homines à dæmonibus vexari, atque eosdem virtute Christi ab exorcistis liberari, ac eijci. Quæ omnia attestantur malignos spiritus sæpe homines vexare,ac eorum ingredi corpora: quod negare non potest quis,nisi suis proprijs sensibus non adhibeat fidem; & historiam præteritorum temporum id narrantem neget; ac sacra testimonia citata in dubium reuocet.

Matt. 17. *Matt. & Lucæ* 8. *Marc.* 5. *Matt.* 12. *Marc.* 1. *Lucæ* 4. *Marc. vlt. Luc.* 10. *Actor.* 16.

4 Pro decisione *dico primo.* Hæresis aperta est negare homines sæpe vexatos esse à dæmonibus, ac in suis corporibus quamplurimos subijsse à malignis istis spiritibus cruciatus. Hoc assertum est contra quosdam, qui energumenos putauerunt non à dæmonibus vexari, sed ab influenti virtute astrorum. Hos autores insinuat Diuus Hieron. *super caput* *Hieron.*

adeo diuerſa, vt vix iſti motus comparabiles ſint, aut proportionales, ac proinde æquiuoce dici de vtriſq; ergo non eſt diſſonum rationi ingreſſum dæmoniorum in corpora, aut egreſſum ab eis ſignificari per acceptionem, aut ablationem vexandi corpora.

Certe vix excuſari queunt iſti ab hæreſi; cum aperte dicat ſacra Scriptura dæmones corpora intraſſe, & exijſſe, ac eiectos eſſe: quæ non poſſunt, nec debent explicari, niſi aſſerendo re vera intus extitiſſe, & inde fuiſſe pulſos. Si enim dæmones non intrarent corpora, quorſum illæ voces Chriſti Domini, Marci 5. *Exi ſpiritus immunde ab homine iſto?* Quorſum petitio dæmonum dicentium: *Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus?* Et illud: *Exeuntes ſpiritus immundi intrauerunt in porcos.* Accedit interpretatio Sanctorum circa hæc loca vnanimi conſenſu aſſerentium, vere extitiſſe dæmonia intra hominum corpora.

Marc. 5.

Deinde noſtra *aſſertio probatur ratione* in hunc modum. Dæmones obſidentes homines ſæpe per os eorum loquuntur mira, vt ſuperius probabam. At loquutio hæc (quidquid ſit de alijs operationibus) non poteſt à dæmone fieri, niſi exiſtat intra corpus dæmoniaci: ergo neceſſe eſt fateri malignos ſpiritus ſæpe corpora hominum intrare, & intrinſecus exiſtere. *Minor Probatur.* Potiſſimum inſtrumentum, ſeu organum ad voces formandas, pulmo eſt, exiſtens in medio thorace pectoris: ergo vt illum dæmon moueat immediate, & per ſe ipſum: in illo debet exiſtere, ac proinde dæmon loquens per energumenum intra corpus debet conſiſtere, vt formet voces per os eius. Vim huius rationis inferius oſtendam.

6. *Dico tertio.* Vt aliquis dicatur arreptitius, ſeu dæmoniacus non ſat eſt dæmonem eſſe in eo tanquam in loco, ſed vlterius neceſſe eſt eum immediate vexare per ſe ipſum, cum quodam modo ſubactionis manendo in ipſo quaſi in proprio habitaculo. Hæc *aſſertio* communis eſſe debet tam in opinione Thomiſtarum aſſerentium, Angelos eſſe in loco per ſuam operationem, & non eſſe vbi non operantur: quam in ſchola Scotiſtarum aſſerente eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam, & ſæpe eſſe in locis vbi nil operantur. *Aſſertum noſtrum dum explicatur, probatur.* Et prima pars inde patet: quia dæmones quando ſagas, aut maleficos per aera portant, quando ipſis commiſcentur, ſunt in eis, vt in loco: & tamen ſagæ ſiue lamiæ non dicuntur arreptitiæ, aut dæmoniacæ.

Similiter iuxta mentem Scoti ſæpe dæmones latitant in hominibus, nil operantes: qui non ob id dæmoniaci dicuntur. Igitur neceſſe eſt dæmonem eſſe in homine, vt dicatur dæmoniacus; ſed hoc non ſat eſt, requiritur ergo *Secunda conditio*, dæmonem ſcilicet vexare hominem immediate per ſe ipſum, nã ſi vexet

mediatè:

mediatè: vexatio hæc non facit arreptitium v. g. quando dæmon apparet homini in corpore assumpto aëreo, aut per spectrum loquitur, vel morbos generat mediantibus cibis venenosis, non ob id, sic vexatus dicitur arreptitius, aut dæmoniacus: alias omnes maleficiati, imo & multi Sancti dicerentur arreptitij: quia à dæmonibus tales molestias perpessi sunt.

Sed neque hæ duæ conditiones sufficiunt: vt aliquis dæmoniacus dicatur: nam dæmon multa mala intulit Sancto Iob, non solum in bonis externis, verum & in proprio corpore: multas plagas pertulit sanctus Antonius; multas & alij Sancti: quos fuisse dæmoniacos non est dicendum: quia vlterius requiritur in sic vexatos, accepisse potestatem vexandi, & manendi quasi in proprio domicilio: & sic manentes miseris hominibus quamplurima, & ingentia mala inferunt: quandoque eos enecant, vel vt sibi mortem consciscant, aut inferre sibi intentent, impellunt. Huc spectat quod D. Marcus narrat *cap.* 9. de quodam à dæmone in ignem, & aquam sæpe præcipitato, terræ alliso, fœde spumante, dentibus stridente, & arescente: quandoque sensibus priuant, vt videre licet in dæmoniaco *Luc.* 11. quē dæmon effecerat mutum, & surdū, quandoque formam ipsam humanam destruunt, vt fecerunt mulieri *Luca* 13. quæ decem & octo annis ita inclinata incessit; vt sursum respicere prorsus non valeret; quandoque vero imaginationem hominum corrumpunt: & sic miseros quasi in rabiem ferinam vertunt.

Marc. 9.

Luc. 11.

Luc. 13.

Huiusmodi erant illi dæmoniaci, quos referunt Euangelistæ moratos fuisse in sepulchris, & in furorem versos, modo se ipsos dilaniasse, modo in prætereuntes insilijsse. Hæc sunt, & multa alia mala, quæ dæmones corporibus, obsessorum inferunt, aut procurant. Sed plura & maiora sunt, quæ patiuntur obsessi à dæmonibus intus existentibus. Dires nempe corporis morbos, ac corporis cruciatus vehementissimos: fortassis per viscerum, aut aliorum internorum membrorum contractionem plus nimio, aut distractionem plus solito; maximè in cor hæc exercent. Vnde dolores, ac anxietates ingentes miseris dæmoniacis promanare experientia teste cognouimus. Hanc autem contractionem membrorū, aut dilatationem maximos adferre cruciatus, vel fœminæ solæ parturientes probant.

Ad Argumenta pro parte negatiua respondetur. *Ad primum*, illa verba Glossæ intelligenda esse contra idolatras quosdam, fortasse discipulos Hermetis Trimegisti, existimantes ex dæmone, & simulachro fieri vnū sicut corpus ex materia, & forma. Et hoc pacto non dicuntur dæmones intus esse in simulachris. Non autē Glossa negaret posse dæmonem ingredi simulachra intus operando, sicut & in humana corpora. *Ad secundum*

tandum respondetur. Si anima rationalis, & dæmones essent in corpore vno tanquam in loco: argumentum haberet plusculum difficultatis, de qua statim. Sed non ita res se habet: nam anima non est in corpore, sicut in loco; sed sicut forma in materia. Dæmon autem est in corpore sicut in loco: & ideo operationes vtriusque diuersæ rationis sunt. Quapropter sine confusione operationum vterque potest esse in eadem corporis parte: anima vt forma, dæmon vt locatum in loco. Anima poterit vegetare partes, ac nutrire, dæmon eas simul mouere localiter: at vero si dæmon moueat manum sursum; anima non potest mouere deorsum: quia vtraque motio localis est, & exercebitur à fortiori motore.

Ad tertium respond. Dæmones esse in corpore, & esse intra corpus, non se habere conuertibiliter: nam plus requiritur ad esse intra corpus, quam ad esse in corpore. Ad hoc enim sat est operari circa corpus: sicut est inijcere arreptitios in ignem, aquam, & huiusmodi. At vero vt dæmones dicantur esse intra corpora: necesse est quod sint, id est, operentur intra terminos quantitatis corporum, hoc est, intra superficies intrinsecè circundantes corpora: quare ad argumentum negatur maior. Ex hac solutione colliges arreptitios à duplici dæmonum genere molestias pati: ab intus existentibus, & ab alijs extra assistentibus.

8 Ad *quartum, & eius confirm. respondetur*, dæmonem vere posse esse intra corpus: non vero intra animam: quia esse intra aliquid est esse intra terminos eius: corpus autem habet duplices terminos, scilicet terminos essentiæ, & terminos quantitatis. Termini essentiæ corporis, sunt ea, quæ claudunt essentiam corporis: quapropter quidquid non est materia, aut forma, aut virtus dans esse corpori, dicitur esse extra terminos essentiales corporis. Vnde dæmon non est, neque dicitur esse intra essentiam corporis: quia neque est materia, neque forma corporis, neque virtus dans ei esse. Terminus quantitatis corporis est ipsa superficies intrinsece claudens corpus: & intra terminos illius verè, ac realiter potest esse dæmon: quia ibi reperiuntur multæ concauitates: quinimo etiam si nulla esset, posset ibi inhabitare dæmon: quia nullam habet quantitatem, quæ posset illi esse impedimentum. Anima autem, & quæcunque substantia spiritualis non habet, nisi terminos essentiæ: quia expers est omnis quantitatis.

Vnde colligitur dæmonem non posse esse intra illam: quia nec est pars eius, nec virtus dans illi esse. Solus autem Deus dicitur esse intra animam: quia effector est intrinsecè operationis essentiæ. Etenim ipse dedit esse, quod receptum est in essentia rei, ac ipse illud conseruat, & non potuit hoc esse dari, aut conseruari, nisi à solo Deo: ergo nulla

creatura poterit esse intra terminos essentiæ cuiusuis rei spiritualis, sed solus Deus. Possunt autem substantiæ spirituales habere aliquas operationes circa alios spiritus: purgando, illuminando, & huiusmodi. An vero ob eam operationem dicatur vnum spiritum esse in alio, circa quem operatur, modo non disputo: satis nobis sit probasse dæmones non posse esse intra animam, neque intra alias substantias spirituales, quamuis circa illas operentur: quare negatur dæmones intra animam operari, & consequenter non esse intra animam. *Ad confirm. respond.* illabi intra aliquid est, esse intra terminos eius. Cum ergo dæmones non possint esse intra terminos animæ, possint autē esse intra terminos corporis: possunt corporibus illabi non animabus.

In vltimo argumento tangitur quædam dubitatiuncula digna scitu:

9 *An animæ defunctorum intrēt corpora viuentiū, vt eos vexent?*

an aliquando animæ defunctorum intrent corpora viuentium, vt eos vexent? Et aduertendum, nos nequaquam in præsentiarum disputare, an animæ defunctorum intrent aliorum corpora, vt ea informent? pro certo enim habemus partem negatiuam: sed dumtaxat dubitatur, an sicut dæmones intrant corpora hominum, quibus vniuntur, non vt formæ, sed vt motores: ita animæ separatæ efficiant?

Et videtur vera pars affirmatiua. *Primo*, quia ad id habent potestatem mediante virtute motiua, qua se mouent de loco in locum, & quæ corpora mouent: ergo aliquando id efficiunt: frustra enim est potentia, quæ non reducitur ad actum. *Secundo*: Quia sæpe videmus arreptitios dicere se esse animas horum, vel illorum hominum, & facere operationes, quas defuncti solebant agere, & non alij: v.g. canere, aut psallere, eadem dexteritate, & vocum modulatione, qua defuncti, quorum animas se esse dicunt, vti solebant. *Tertio*, Ijdē arreptitij reuelant multa secreta, quæ soli homines, quorum animas se esse profitentur, poterant nosse: v.g. opera, quæ in abscondito egere. Signum ergo est veras esse animas illorum defunctorum, quorum animas se esse dicunt. *Quarto*. Multa vtilia, & sancta monent esse facienda, suffragia petunt, vt ab his vel illis pœnis liberentur: restitutionem ablatorum suadent. Hæc autem non sunt à dæmonibus, qui suggestores malorum sunt, & nostram perniciem moliuntur, & dissuadere virtutum officia procurant; ergo animabus defunctorum, quæ intra corpora arreptitiorum commorantur adscribenda sunt huiuscemodi monita.

Pro decisione *dico primo*. De facto isti spiritus, qui commorantur in arreptitijs, & se esse animas defunctorum affirmant, dæmones sunt, non animæ defunctorum hominum. 10.
Probatur. Quia dicunt: & faciunt: isti spiritus ea, quæ animæ separatæ non valent dicere, aut efficere. Dicunt

quiз

quidem multa occulta, quæ nullus hominum nouit: differunt de rebus altissimis, quæ ignorauit persona defuncti, cuius se mentiuntur esse animam; ergo neque ipsæ animæ norunt, maxime, quia istæ animæ dicuntur esse de his, quæ inferno deputatæ sunt, aut Purgatorio: quæ nil aliud sciunt, nisi quæ in vita mortali didicerant. Faciunt etiam quæ anima separata non valet efficere: nam arreptitij isti sunt fortiores aliis, catenas rumpunt, compedes frangunt. At hæc non posset anima humana facere eo quod, vt dicetur infra, anima minoris vigoris est à corpore separata, quam vnita eidem: ergo hæc miranda opera non sunt attribuenda animabus, sed dæmonibus, & vere ita est.

Secundo Isti spiritus mouent localiter corpora, quæ intrant, etiam inuitis animabus, quæ viuificant illa: etenim formant verba, quæ volunt, etiam nollentibus arreptitiis, & mouent quo volunt: ergo dæmones sunt, non animæ. *Probat conseq.* quia animæ æqualis potestatis sunt, sicut æquales secundum speciem: sed æquale non agit in æquale: maxime, quia anima in corpore manens est in suo esse naturali; illa vero, quæ vnitur corpori, vt motor est extra suum naturale esse: ergo quamuis ambæ essent æquales secundum speciem, potentior esset illa, quæ corpori vnita est; ac proinde à separata non posset cogi: imo quamuis anima ingrediens esset secundum se fortior, imbecillior tamen vnita, præualebit propter vigorem acceptũ à modo essendi naturali.

Tertio. Esto posset præualere anima intrans corpus alterius: neutiquam credendum est, eam hominem viuentem vexare; maxime si esset pater, aut mater arreptitiorum: quos se esse frequentius mentiuntur. Patet, quia naturalem commiserationem erga parentes, & cognatos non perdunt etiam animæ damnatæ: vt patet *Luca 16.* de diuite epulone, qui cupiebat suos fratres liberari à tormentorum locis; ergo non est credendum eas, corpora suorum propinquorum intrare, vt vexent. Item, quia ægre ferunt ab illis corporibus expelli: sunt ergo dæmones, non animæ defunctorum, vtpotè, quæ potius cuperent cito exire à corporibus sibi charissimorum, vt cessarent torqueri; ac vexari earum assistentia intra corpora. *Luc. 16.*

1 Circa *primum in oppositum* non est modo disputandum, an animæ separatæ se moueant, & an moueant alia corpora localiter: de quo inferius. Sed illo admisso, resp. non inde probari intrare corpora viuentia inuita anima, qua corpus viuens informatur, vt declaraui in secunda probatione nostri asserti. Item non probatur intrare, vt vexet, sicut declaratur in tertia probatione eiusdem asserti. *Ad secundum facilis est solutio.* Etenim dæmones nouerunt

bene, imitari operationes hominum quascunque & sic conantur persuadere se esse animas defunctorum, qui eas operationes exercebant. *Ad tertium similiter respondetur*, dæmonia sua peruicacitate, ac discursibus hominum actibus interesse eis ignorantibus, ac nihil tale cogitantibus: vnde non mirum secreta defunctorum pandere possint. Ad *quartum respond.* dæmones nõ suadere ea quæ ad virtutem spectant, vt nos studiosi efficiamur: oderunt enim vitæ puritatem, & studium virtutis: sed quãdoque, vt nos decipiant multa vtilia proponunt: vt credamus non esse spiritus dæmoniacos, qui talia fantur: postea vero auditoribus persuasis, multa falsa docent, multa mala suadent. Et hac arte legimus dæmonia varios errores disseminasse: & quamplures in flagitiosa opera adegisse.

Percontabitur quispiam, quorsum se esse animas mortuorum mentiuntur? nam præfata possent efficere, etiam si dæmonia esse crederentur? *Respond.* quia homines naturaliter colloquia dæmonum reformidant, & de falsitate suspectos arbitrantur: quia mendaces sunt, & mendacii patres. Secus circa animas hominum se habent; quibus magis fidunt, & libentius conuersantur: maximè si viuis sint sanguine iunctæ, quas ab ærumnis cupiunt releuari: & monita ad hunc finem ordinata grato animo exequutioni tradunt: quare dæmones hoc agnoscentes, intrantes viuorum corpora, se esse animas defunctorum mentiuntur.

DISPVTATIO XIX.

Versabitur in explicando, quas operationes dæmones exerceant obsidentes corpora arreptitiorum: & quæ tribuenda sunt dæmonibus, quæ vero arreptitiis ipsis.

De hac re aliquid tetigimus superius in multis locis agentes de malis, quę hominibus per dæmones infliguntur. Modo vero alia via libet procedere; distinguentes actiones dæmonum in obsessis, in actiones transeuntes, & actiones immanentes: actiones transeuntes sunt vulneratio, virium debilitatio, corruptio organorum sensibilium, & huiusmodi; & hæ operationes citra dubium dæmonib. adscribũtur: arreptitij verò passiue duntaxat se habent. At sunt etiam aliæ operationes transeuntes, quas, cui adscribas, dæmonibus, an arreptitijs, fortasse dubitabis; v.g. velox cursus, catenarum fortium disruptio, onerum quibus humanæ vires non sufficiũt portatio, &c. quas cum obsessi proprijs membris, ac instrumentis naturalibus efficiunt, videntur hominibus esse attribuendæ; sed quia hæ operationes humanas vires superant, dæmonibus censeô adscribendas: membra vero viuorum passiuè ad eas concurrere. Aliæ verò actiones sunt immanẽtes, vt intelligere, 1

& velle, loqui, videre, & similes. Quòd si sermo sit de intellectione, & volitione: certum est dæmones & arreptitios, suas quosque habere operationes: neutri enim ad inuicem possunt esse sibi impedimento in operationibus his exercendis: dæmones habent suas intellectiones, & volitiones, in quibus non cõmunicant obsessi; & è contra obsessi intelligũt, & volũt, in quibus non cõmunicant dæmones. Aliæ verò operationes sensuum, vt videre, imaginari, &c. arreptitijs sunt attribuendæ: quia istæ necessariò sunt ab organo vitali corporeo, quo carent dæmonia: de qua relatè tractant Doctores *in 2. sent. d.* 8.

2 Difficilius decisu est, loquutiones, vlulatus, rugitus, & huiusmodi, à quo sint: à dæmone inhabitante, an ab homine arrepto? Et videtur nequaquã huiuscemodi actiones posse esse à dæmone; quia voces necessariò debent fieri ab animali, & à principio vitali, & medijs instrumentis vitalibus, putà larynge, ac pulmone, & huiusmodi, vt planè colligitur ex Arist. 2. de anim. c. 8. dicente: ***Vocem esse sonum ab ore animalis prolatum cum imaginatione aliquid significandi.*** Sed nil istorum habent dæmonia, vtporè quæ spiritus sũnt, omnis corporis, & instrumentorum corporeorum expertia: ergo nullas possunt edere voces.

In oppositũ videtur facere textus Euangelicus affirmans, dæmonia loqui, ac voces proferre. Matth. 8. dæmones rogauerunt Christum, vt eos mitteret in gregem porcorum. Idem habetur Marc. 5. & Luc. 8. & 4. dicitur exire dæmonia ab obsessis clamantia: ergo multas voces dæmones per ora obsessorum formant, ac emittunt.

Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. & 4.

3 Pro declaratione huius animaduerte, dæmonibus materiam corporalem obedire ad localem motum: loquutiones itidẽ esse motus quosdam locales: quare si hoc tantum attendas, facilè erit dæmonibus loqui, ac voces emittere: at verò; quia loquutiones perficiuntur quibusdam instrumentis animatis, putà ore, dentibus, lingua larynge, ac pulmone, quibus dæmones carent, non ita facilè est illis verba efformare, nisi aliundè à corporibus huiusmodi instrumenta mendicent.

Abul.

Quare vt doctè animaduertit Abul. sup. *c. 8. Mat. q.* 114. tripliciter dæmones vtuntur corporibus ad loquendum. *Primo modo* assumendo corpora: quæ omninò carẽt organis loquutionis. v. g. si assumãt corpora aërea, aut ignea, in quibus efformant vultus, nares, os, linguam, vt per hæc corpora voces sonent: & tunc quidẽ cum illa organa sic efformata non sint apta ad loquendum, non formantur voces propriè loquendo, sed quidam sonitus similes humanis vocibus, nõ planè articulati; & declinãtes in stridorẽ, vt adnotarunt qui eas effictas voces se asserũt audiuisse. *Secundo modo* dæmones loquuntur, vtẽdo instrumentis animatis brutorum, quæ habent plurima loquutionis, &

vocum formandarum organa: sed non ita apta ad de articulādas voces sicut necesse est ad loquutiones, & verba formāda. His vsus est dæmon, quādo vt persuaderet Euæ alloquutus est eam per serpētem: & similiter fecit bonus Angelus, quando per asinam loquutus est Pseudoprophetæ Balaam, *Num.* 22. Quas loquutiones existimo attenta sola vi dęmonis aut Angeli: non esse ita perfectè formatas, ac si ab homine proferrentur: quia instrumenta loquutionis in animalibus irrationalibus non sunt apta ad loquutiones, & voces perfectè formādas, licèt in eisdem sit maior, aut minor aptitudo. Bruta etenim cum habeāt os magnum & linguam longam, aer è pulmone attractus, hac illac ex ore diffluit nō percussus: & sic nō potest perfectè formari vox. At verò aues quędam sunt vt picæ, & psittaci, quæ habent organa aptiora ad loquendum, putà os non magnum, linguam planam similem humanæ: & ideò aptius imitantur sermones humanos. *Tertiò modo* dæmones possunt loqui, & habent animata instrumēta ad loquēdum apta. Huiusmodi corpora sunt homines, qui habent os, linguam, ac reliqua instrumenta loquutionis aptissima: quæ aptitudo consistit non solum in figura & situ organorum, ex cuius defectu homines edentuli non formant perfectè voces, sicut neque habentes linguam grossiorē, aut subtiliorem, quam par est: verum etiam potissimè consistit in quadam temperie, ac teneritudine natiua cōplexioni hominum: quo fit vt dæmones, quamuis perfectas voces, ac benè articulatas emittant per ora obsessorum: tamen obseruatum est, per corpora humana iam pridem emortua non posse loqui: quia anima absente, tota illa organorum temperies dissipata est, & per corpora humana recenter examinata loquuntur quidem: sed lingua, ac pulmone sanguine humectatis, & quibusdam lotionibus; nimirum vt aliqualiter ad debitam temperiem præfata organa reducantur: qua carere verosimile est rusticum illum dæmoniacū, per quem Latinè loquebatur dæmon, sed rudi pronūtiatione. Vnde & subdidit; *Non possom domarre linguam hoios rostici* Ita sanctus Vincentius in quodam sermone.

4 His præmissis *dico* ad dubitationem. Multa, quæ loquuntur dæmoniaci ab ipsis dæmoniacis sunt, dæmonibus nil operantibus: quā plurima verò, quæ dæmones, per obsessorum ora loquuntur. *Prima pars* satis constat, sæpè enim obsessi à dæmonibus sinuntur suas operationes exercere, vt experientia demonstrat. *Secunda pars itidem* manifesta est, quādo loquuntur, & verba faciunt; ad quæ vires humanæ nequeunt pertingere. Quare rectè Abulen *sup. c.* 8. *Mat. q.* 114. quinque potissimum signa enumerat ad dignoscendum, vtrum loquutiones, & verba à dęmoniacis prolata, sint dæmonis. *Primū*, si loquantur dæmoniaci, quæ aliàs nescie-

neſcierunt,aut non didicerunt: v.g. ſi loquantur lingua Hebraica dęmoniaci ruſtici. *Secundum eſt*, ſi voce con-ſue[illegible]loquantur; ſed de rebus altiſſimis,quæ captum dæmoniacorum certum eſt excedere. *Tertium eſt*, ſi poſtquàm ceſſant vexari, & ſibi reſtituuntur, neſciant reſpõdere de his,de quibus loquuti ſunt. *Quartũ*, ſi de rebus ſecretis, quæ mortalibus abſcondita ſunt,loquantur. *Quintũ*, ſi in ipſorum poteſtate non eſt,vt taceant, vel loquantur etiam flagellis vexati. Similiter dæmoniacorũ ſunt rugitus,vllulatus,mugitus,atque inconditi,& ingentes clamores; quos dæmoniaci emittere ſolent. Aliæ verò voces ſunt dæmoniorum, vbi nil mirabile eſt,quod vires dæmoniacorum exuperet. Quas ſcire, vtrum à dæmone ſint,an ab obſeſſis, difficile,aut impoſſibile eſt hominibus adſtantibus. Ex his reſpondetur ad argumentum quo conabamur probare dæmones nequaquam loqui poſſe per arreptitios. In quo tãgitur dubitatio non contemnenda: An illa efformatio vocum,vera loquutio, & voces formatæ veræ voces dicendæ ſint? de qua re operoſius dicendũ reor inferius: diſputans,an dęmones per corpora poſſint exercere vitales operationes. Modò verò ſat eſt nobis in præſentia dicere, dæmones poſſe loqui per arreptitios, ſiue voces, aut locutiones ſint opera talia, ſiue non. Fere pendens ex præcedenti eſt:.

DISPVTATIO XX.

An omnes operationes obſeſſorum quæ alias ex obiecto peccata eſſent, imputentur obſeſſis ad culpam: v.g. blaſphemiæ,conuitia, detractiones,calumniæ, ſecretorum reuelatio,occiſiones, mutilationes,& ſimilia?

Videtur vera pars affirmatiua; quia iſtos actus obſeſſi peragũt, & interdum ſcientes, & videntes ſe malum facere: ergo ipſis imputantur ad culpam. 1

In oppoſitum eſt. Nã vt diximus in diſputatione præcedẽti,operationes huiuſcemodi ſæpè dæmonibus ſunt adſcribendæ, non dæmoniacis: ergo dæmonibus non dæmoniacis ad culpam imputabuntur. Pro deciſione *præmittendum eſt*, operationes, quæ ab obſeſſis vidẽtur peragi,quędam ſolis dæmonibus tribuuntur: quædam ſolis dęmoniacis,vt docuimus præcedenti dubitatione: quædam vtriſque: vt quando turbatur à dæmone phantaſia, aut imaginatiua dæmoniacorum, & apprehendũt aliquod malum,vt verè bonum,ac opere illud proſequuntur: vt ſi opera dæmonis proponatur mulier aliena, vt propria,& vir ei cõmiſceatur: aut ſi proponat viro vxorem vt ſerpentem,& ita cedat,aut occidat. In hac operatione eſt aliquid,quod tribuatur dæmonio; videlicet peruerſitas iudicij ex læſione imaginatiuæ, aut phantaſiæ: & eſt aliquid quod tribuatur dæmoniaco, puta concubitus cum aliena, aut occiſio propriæ vxoris.

His

2 His ita positis *dico primò*. Dæmoniaci non peccant in operationibus primi generis: quantumuis malæ ex obiecto sint. *Prob.* Illæ operationes obsessis inuoluntariæ sunt: ergo in eis non peccant. Peccatum enim vsque adeò voluntarium est, vt si voluntarium non sit, neque peccatum erit. *Secundo* Nemo peccat, nisi per operationes sibi proprias: sed præfatæ operationes non sunt obsessorum, sed dæmonum, vt supponimus: ergo non imputantur obsessis ad culpam. Quo fit vt sæpè dæmoniaci blasphemias ore proferant, occulta aliorum crimina reuelent, manibus mutilationes, & vulnera lethalia inferant: sed quia hæ operationes dæmoniorum sunt, obsessis non imputantur ad culpam: eo quod miseri illi non agunt, sed aguntur, membris, ac organis non vtuntur, sed eis passiuè se habentibus, dæmones his vtuntur. Certè si homo à vēto valido impulsus illidatur alteri homini, & eum occidat; occisio nō imputabitur homini cedenti: & sicut si grassator ense occidat prætereuntes, homicidiū ensi non imputatur: sic neque arreptitijs imputabuntur operationes, quas per ipsos exercent dæmones: non tamen ipsi eas exercent.

3 *Dico secundo*. Obsessi non peccant in exercitio actionum tertij generis. *Prob.* Illæ operationes quamuis sint elicitæ immediatè ab obsessis, & sint malæ ex obiecto: tamen in ratione culpæ non tribuuntur obsessis: ergo non imputātur illis ad culpam. Maior clara est: quia ab ipsis agentibus & se mouentibus fiunt. *Minor vero prob.* quia delusa aut perturbata phātasia apprehendūt rem, aliter quàm est à parte rei, & sub ratione boni: cuius apprehensionis erroneæ cùm non sint causa, non est cur operationes illæ ad culpam imputentur obsessis? & huius generis operationes sunt communiter, mala illa, quæ obsessi perpetrant perturbata imaginatiua, aut phantasia, vel à ludificante dęmone, vel à grauitate cruciatuum: & ideò non recordantur postea, cessante dæmone, malorum quæ egerunt: nō tamen propterea negamus; aliquando, maximè in operationibus primi generis, se clarè videre eas operationes de se prauas exercere: & similiter se, velint, nolint, cōpelli eas peragere. Cōtingit sæpe, obsessos compelli ad fornicationem, motis à dæmone organis generationis, ac ipsis obsessis compulsis ad actū fornicationis: vt narratur de quadam moniali, quæ per multos annos à dæmone incubo nollēs patiebatur: & D. August. lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 24. ait dæmones incubos sæpe improba libidine mulieres vexasse.

Dico tertiò. Operationes secundi generis si peccata sint ex obiecto, obsessis ad culpam imputantur, nō minus quàm alijs non obsessis. Hoc est contra quosdam, qui opera omnia obsessorum adscribunt dęmonibus, ac proinde excusant à culpa obsessos: sed hic error manifestus est: alias, obsessi impeccabiles essent, quia 4

imò

imò addiderim suggestionibus, suasionibus, & allectamentis, regulariter dæmones plus posse obsessos ad peccatum inclinare, quam non obsessos; quia super illos maiorē habēt potestatem, nempè obstando ne in virtutum officijs occupētur, multos motus illicitos in potētijs sensitiuis excitando: quibus non ita facilè est resistere volūtatem; resistet tamen si vult: & quāuis difficilior victoria sit, triūphus tamē, & merces copiosior.

5 Cōtra *primum* & *secundum* dictum se offert argumētum. Sæpè homines obsidentur à dæmone propter peccata ab eis commissa, vt inferius videbimus: ergò omnes operationes obsessorum, quæ ex obiecto peccata sunt, ipsis imputabuntur ad culpam, siue eas efficiāt ministerio dæmonū, siue non, siue mentis compotes, siue turbata phantasia, siue non. *Probat. consequentia* pari ratione: quia ebrijs imputātur peccata, quæ in ebrietate committunt; quia in causa, putà in ebrietate volūtaria fuêre: ergò & peccata, quæ sequuntur ad arreptionem dæmoniacorum, imputabuntur eis; quia in peccato, propter quòd à dæmonibus arrepti sunt, ea peccata voluntaria fuerunt, & ad illud tanquā ad originem voluntariam reducenda sunt.

6 *Respondetur primo*, adnotantes cum D.Thom. *interpretibus* 1.2.*q*.76.*art*. 4. & 2.2.*q*.150. ebriosis non imputari omnia peccata, quæ in ebrietate cōmittūtur; sed ea dumtaxat, quæ præuiderunt subsequutura; aut regulariter ad ebrietatem hic & nunc huic ebrioso accidere solent; isthæc enim in peccato ebrietatis includuntur, & in eo voluntaria sunt: at nulla inuenio peccata, nullū peccatorū genus, ad quod per se, aut regulariter sequatur obsessio dæmonū. Videmus enim sępè homines iustos à dęmone obsideri, ac peccatores videmus alios scelestissimos immunes ab hac calamitate. Inde etiā colligere licet non iudicandū esse eodem modo de peccatis, quę reguraliter ad ebrietatē sequuntur, sicut de peccatis, quæ ad obsessionem cōsequuntur: illa enim volita sunt in ebrietate, quia ad illā regulariter, & quasi per se in materia morali sequuntur: hæc verò non sunt volita in peccato illo priori, propter quòd obsessus punitur dum à dæmone arripitur. *Secundo respondetur*; esto ad omne peccatum mortale semper aut regulariter sequeretur præfata obsessorum vexatio: tamen nō inde colligere licet, peccata, quæ in vexatione committuntur imputari ad culpam obsessis, quia alia est ratio ebrietatis, quam sequuntur homicidia, fornicationes, & similia: alia est ratio vexationis dæmoniacorum ad quā sequūtur eadē mala: ebrietas peccatum est: vexatio dæmonū pœna peccati: at peccata quæ sequuntur ad aliud peccatum, imputantur peccanti, illo primo peccato: secus contingit in peccatis, quæ sequuntur ad pœnam alicuius antecedentis peccati: v.g. furatur quis & propter furtum in carcerem truditur, & car-

cere detentus omittit multa quæ tenebatur facere lege diuina aut humana: nõ fit reus eius omissionis ad pœnam peccati subsequutæ. Item incidit quis in amentiam, cui dedit causam peccando: peccata, quæ in amẽtia committit, non imputantur ei ad culpã. Ita in præsentiarum dicendũ est de peccatis, quæ sequũtur ad vexationem dæmoniacorum propter peccatum antecedens, nimirum nõ imputabũtur, quia sequuntur ad pœnam peccati, non ipsum peccatũ. Ita
Abulensis. Abulensis *q.119. in 8. caput Matth.* Dicet quispiam quid refert peccata sequi ad peccatum, vel ad pœnam peccati? Certè multum: nam cum peccatum volũtarium sit, quidquid in illo continetur, vel ad illud sequitur, voluntarium potest esse, & imputari peccanti: at verò pœna peccati, hoc ipso quod pœna est, inuolũtaria est: & ea quæ ad ipsam consequuntur inuoluntaria erunt: ac ex consequẽti non imputari possunt ad culpam. Quod si quis cuperet obsideri à dæmone: iam vexatio illa non esset ei pœna: & mala, quæ præuidit futura, aut regulariter sequuntur, non video quomodo non imputentur ei: de quo copiosius infra.

DISPVTATIO XXI.

An dæmoniaci vexentur à dæmonibus propter peccata, quæ isti miseri commiserunt.

1 VIdetur vera pars affirmatiua ex D. August. lib. 4 de Ciuitate Dei
Augustin. c.34. *Dæmones* (inquit) *nisi quos fallendo deceperunt, possidere non possunt*, & lib. 10. cap. 22. *Potestas inimica vincit, aut subiugat neminem nisi societate peccati.* Idem habet fusius Serm. 197. de tempore, & Cassianus collatione. 7. cap. 24. & Cassianus Metaphr. Metaphrastes in Triphone prima Februarij narrat, dæmonem, qui Gordiani Imperatoris filiam torquebat, interrogatum à Triphone viro sancto, cur puellam intrasset, respondisse, dæmones in illos habere potestatem, qui opera eisdem grata exercent. *Qualia sunt* (inquit) *cultus simulacrorum, blasphemiæ, adulteria, veneficia &c.*

In oppositum est id, quod ait D. Hierony. Hieronymus in Epistol. ad Paulam de dormitatione Blesillæ, de bimulis, & trimulis, ac pueris vbera sugentibus à dæmone arreptis: & idem de multis pueris adstruit D. Augustin. *lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 18.* Augustin.

2 Non reuocamus in dubium, an omnes quotquot lethaliter peccant à dæmonibus arripiantur. Negatiua pars verissima est, aliàs cũ tot inundauerint peccata (proh dolor!) ferè totum hominum genus à dæmonibus arriperetur. Quod quærimus est, an quotiescunque aliquis à dæmone obsideтur, ea vexatio propter obsessi culpam acciderit, an non?

Pro decisione dico *primo*. Plerunq; & vt plurimum obsessi vexationem à dæmonibus patiuntur in pœnam, ac vindictam peccatorum, quæ obsessi commiserunt. Hoc assertum ex sacris Literis, ac historijs nõ sacris cõprobari potest, 1. ad Corint. 5. Paulus

1.Corin.5. 1.adTi.4. Corinthium quendam Sathanæ tradidit propter incestum commissum, & 1.ad Timo.4.Hymenæum, & Alexandrum ob blasphemias:& Textus Euangelicus affirmat Christum Dominum de Maria Magdalena septem dæmonia eiecisse: & quamuis non expresserit causam,insinuat tamen dum peccatricem appellat. Sic explicant Magist. Sentent.in 4. dist. 24. cap.2. Iansenius & Ambrosius lib.de Salomone cap.5.D.Hieronymus in Danielem, & Epiphanius in vita eius affirmant Nabuchodonosorem fuisse obsessum à dęmonibus: cuius rei non pauca dedit signa: ob scelera tamen sua, id ei contigisse ex Danielis historia ea commemoráte palam fit.Idem videre licet in Saule, quem fuisse dæmoniacū graues Patres asseuerant. Historias non sacras possem plures afferre: sufficiat D. Hieronymi testimonium,in vita Hilarionis narrantis de virgine Deo dicata à dæmone arrepta propter impudicam confabulationem, & aspectum cum iuuene impudico.

Magister Sentent. *Iansenius in Marc. cap.16.* *Ambrosius.* *Hierony.* *Epiphan.* *Hierony.*

3 Quod si quispiā sciscitetur, an sit aliquod peccatorū genus, ad quod sequatur hæc grauis vindicta, & deplorāda miseria?nullū inuenio, sunt tamen quędam genera peccatorum, quæ frequentius quā alia,experiētia compertum est puniri hoc pestilenti flagello.In priori loco recenseo infidelitatis peccatum:Ita docet ex Cypriano Stapletonus Dominica 3. Quadragesimæ:fauet in sermone de lapsis,& Tertulianus Apologe. cap. 37.ait fuisse Romæ magnam arreptitiorum multitudinem,quo tempore paganismus floruit:quin imò nostra ætate apud Indos, quando gentilitate detinebantur:& apud montana Asturicensia,ac loca omnia, vbi cognitio diuinorum deest,quam plures esse obsessos à viris Religiosis audiuimus. Multi obsessi sunt, quia ad sacram Eucharistiam sine pœnitētia ac cōfessione peccatorum accessere: ita Cyprianus vbi supra.Plures propter blasphemias in Deum, ac Sanctos à dæmonibus occupati sunt, huiusmodi fuêre Alexander & Hymenæus,1.ad Tim.4.& Cæsar Baronius To.7. circa annum Christi 630. sic ait ex Cedreno.*Eo tempore*(inquit) *Græci quidam in domo cuiusdam prandentes:eo prolapsi sunt vt in Virginem Deiparam conuitia & execrationes iacerent:horum reliqui illico à malis, spiritibus arrepti pœnas dederunt.* Digna certè blasphemis pœna,vt torqueantur ab spiritibus,qui in perpetuum blasphemias iactabūt;sicut de damnatis affirmat D.Thom.2.2.q.13.*art.*4.

Stapleto. *Tertulia.* *Cyprian.* *1.ad Tim. 4.* *Baronius.* *D.Thom.*

Aliud narrat Vvaldēsis de quodā blasphemo in sacram Eucharistiam *lib.de Sacramentalibus contra Vviclephistas.* Alij multi vexati sunt propter luxuriam extraordinariæ malitiæ primæ ad *Corinth.*5.& fortè ob eandem,circumuentionem à septem dæmonibus Magdalena passa est. Mitto modò superbiam, propter quam obsessum fuisse Nabuchodonosorem quidā putant.& propter liuorem in Dauidem,& persequutio-

Vvaldens. *1.Cor.5.*

nem, Saulem arreptum existimant.

4 *Metaphr.* Hoc adnotauerim, filios sæpè à dęmonibus arreptos propter impietatẽ in parentes. Metaphrastes *in vita S. Partenij* refert, ad Partenium cũ parentes quidam filium suum arreptitium adduxissent, & pro eiusdem sanitate deprecarentur; *finite* (dicebat Partenius) *torqueatur, parricida est: parentibus vobis sæpè molestus fuit: & quam eidem optastis iustam sustinet castigationẽ.* Et de Carolo iuniore Ludouici Germanorum Regis filio refert Sigibertus *circa annum Domini.* 873. quòd à dæmonio grauiter in præsentia Patris, & optimatum eius, sit vexatus, & in vexatione confessus, hoc sibi accidisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur. Sunt de hac re innumeri casus funesti. Videndi sunt Surius. 25 *Maij, tom.* 3. *in vita D. Zenobij Florentini*, & Alexander ab Alexandro *lib.* 4. *genialidierum c.* 19. Benè hoc innuit Sapiens *Prouerbiorum* 30. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Ad literam sensus est suspendantur in patibulis: per anagogem verò post obitũ, imò & in hac vita fiant partes & præda dæmonum.

Sigibertus

Surius.

Alexãder ab Alexã.

Prou. 30.

5 Longum esset recẽsere varia peccatorũ genera, propter quæ narrãtur à fide dignis obsessi multi, putà per contemptum religionis, per iniurias illatas Ecclesijs, per Sacramenti cõfirmationis contemptũ, & similia. Vnum tamen dicere non grauabor; sæpissimè homines à dæmonibus arreptos fuisse: quia se dęmonibus deuouerunt, & vt ab eis arriperentur, postularunt, & meritò arrepti sunt; qui timore Dei contempto suũ carnificem ac tortorem accersierũt. Videndus est Ioannes Nider *in libr.* 5. *formicarij*, vbi insignibus memoratis casibus rem comprobat.

Nider

Demum vnũ mirabile dictu animaduertẽdum est, dæmonia aliquãdo occasionem captasse homines arripiendi ob leues culpas veniales. Cassianus de Abbate Moyse viro iusto, *collatione.* 7. *cap.* 27. refert arreptum fuisse à dæmone propter impatientiam, & quoddam verbum durius prolatum, quod esse peccatũ dumtaxat veniale certum est. *Cum esset* (inquit Cassianus) *Moyses singularis & incomparabilis vir ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans, paulo durius protulit, quadam scilicet opinione prauentus, tam diro confestim est traditus spiritui, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret, quod flagellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque aucto remedio demonstrauit. Nam continuo Abbate Machario in oratione submisso, dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.* Hæc Cassianus. Et D. Gregorius *lib.* 1. *dialogorum cap.* 4. refert quãdam monialem ob leuẽ gulam à dæmone arreptã fuisse. Verba Gregorij sunt: *Quadam die vna Dei famula hortum ingressa, quæ lactucam aspiciens, cõcupiuit,*

Cassianus

Gregorius

piuit, eamque signo Crucis benedicere oblita, auide momordit. Sed correpta à diabolo protinus cecidit, cumque vexaretur, eidem patri Equitio sub celeritate nunciatum est, moxq; vt hortum idem pater ingressus est: cæpit ex eius ore, quasi satisfaciens ipse, qui hanc arripuerat, diabolus clamare dicens. Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam vltra contingere præualuit. Hæc Gregorius.

Admirabitur fortasse aliquis quomodo propter leues culpas veniales, tam ingentem pœnã infligat Deus? Sed cessabit admiratio, si perpendatur vnum vel leuiculum veniale peccatum, dignè puniri igne purgatorio: cuius afflictio longe superat omnes etiam obsessorum calamitates, ac cruciatus.

6. *Dico secundo.* Non est impossibile, imo aliquando accidit homines sine propria culpa, sed propter aliorum crimina à dæmonibus obsideri, maxime si obsessi coniuncti aliquomodo sint peccantibus: quorum peccata Deus vindicare vult in sibi coniunctis: puta, punit peccata parentum in filijs, dominorum in seruis, superiorum in subditis, maritorum in vxoribus. Cui non dissonat illud Exod. 20. *Deus noster Deus zelotes est, vindicans peccata parentum in tertiam, & quartam generationem.* Exod. 20.

Exempla pro nostro dicto confirmando multa sunt: aliquot adducemus de quibusdam pueris arreptis à dæmonibus, mala suorum parentum imprecatione. Cæsarius *lib.* 5. *cap.* 26. scribit, patrem iratum filiæ quinquenniæ, cum lac comederet imprecatum esse, vt simul cum lacte Diabolum voraret. Vix verbum impleuerat; à diabolo occupatur puella: *& cap.* 11. *&* 12. eiusdem libri alia duo refert, *vnum* de vxore, cui maritus, *alterum* de filio, cui pater dæmonium imprecatus fuerat. Et nostris temporibus huius rei multa narrantur exempla. Cæsarius.

7 *Dico tertio.* Sæpe dæmones arripuisse homines sine vllis suis culpis, aut aliorum narrant sancti Patres. Id exprimit D. Aug. *lib.* 21. *de Ciuitate Dei, cap.* 28. *Graue iugum* (inquit) *filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsq; in diem sepulturæ, matrem omnium vsque adeo impleri est necesse, vt ipsi paruuli per lauacrum regenerationis ab originali peccato, quo solum tenebantur vinculo, iam soluti: multa patientes: nonnulli, incursiones spirituum malignorum patiantur.* S. Hieronymus *in epislo. ad Paulam de dormitione Blesilæ. Quæ causa est* (inquit) *vt sæpe bimuli, trimuli ve, & vbera materna lactantes à dæmonio corripiantur?* & subdit: *Inuisibilia hæc inscrutabili altissimi iudicio sunt relinquenda.* Multos pueros, qui nondum rationis vsum attigerant, ac proinde nec peccare poterant, arreptos fuisse à dæmone, narrant autores fide digni. Vide Palladium *in vita Macharij* & Metaphrastem *in vita Partenii septima Februarij.* Augusti. Hieron. Palladius Metaph.

Nostris etiam temporibus audiuimus

uimus pueros lactantes obsessos fuisse: & id certum reddit Marcus Euangelista *cap.* 9. narrans puerum quendam grauissimam dæmonis vexationem ab infantia sustinuisse, quemadmodum Pater pueri Christo Domino interroganti confessus est.

Marc. 9.

Dices pueros hos propter peccata aliorum, putà parentum, eam vexationem pertulisse. Huic obstat D. Hieronymus citatus, cuius verbis docetur, non tantum aliquando accidere, vt absque vlla culpa sua homines à dæmonibus vexentur: verum etiam absque omni culpa: dum in reddenda ratione huius vexationis recurrit ad Dei iudicia inscrutabilia. Idem ait Chrysost. *in libris de Dei prouidentia* dicens, aliquando dæmones vexare sanctiores homines, quos, dum in peccatis volutarentur, nulla aduersitas molestabat.

Secundo id ipsũ persuadetur, quia vexatio hæc dæmonum, malum pœnæ est: at sæpe mala pœnæ Deus infert sine culpa patientis, aut alterius: ergo idem dicendum est de hac dæmonum ingenti molestia. Libet cõmemorare pro hac re Christi Domini doctrinam *Ioan.* 9. dicentis de cæco à natiuitate: *Neque hic peccauit, neque parentes eius*, aperte subindicans mala quæcunq; pœnæ sine vllo peccato à Deo infligi. *Confirmatur*, quia sine vlla culpa sanctus Iob quamplurima mala à dæmone pertulit: & certè si permitteretur eundem sine vlla culpa inhabitaret. Cur non? Sed & viros sanctos carnificinam hanc dæmonum pertulisse sæpe narratur.

Ioann. 9.

Dubitabit quispiam: quæ rationes causæve sint: vt Deus velit absq; vlla culpa homines alioqui probos tam graui tortura premi, ac amicos suos in manus truculenti hostis dæmonis tradere vexandos? *Respondeo* cum Hieronymo inscrutabili Dei iudicio hæc relinquenda esse. Nihil ominus aliquas diuinæ prouidentiæ rationes in hac parte adducere possumus. 8

Qua causa viri iusti aliquando à dæmone vexentur.

Prima ad instructionem hominũ circa fidem, quod dæmonia sint corporis expertia: quod Saducæi negabãt; immortalitatemque animarum non esse impossibilem: siquidem reperiuntur quidam spiritus immortales, & infatigabiles in suis operibus, quales sunt dæmones. Item ob oculos proponuntur cruciatus atque tormenta gehennæ: vt peccata fugiant homines, propter quæ consortium dęmonum in alia vita incurrent, nisi pœnituerint. Ac denique monentur homines odium ac rabiem dæmonum sæuientium erga humanum genus: vt inde discant, quantum debeant fugere eorum consortium, ac timere culpas, propter quas merebantur simul cum eis in infernum perpetuo detrudi.

Secunda ratio diuinæ prouidentiæ in hac molestiæ inflictione: vt homines iustos exerceat ac probet: & ita alijs sint exemplo patientiæ, humilitatis, ac aliarum virtutum. Ex dictis colligit Cassianus *collatione*

Cassianus.

28. non debere eos abominari, vel despici, quos istis spiritibus nequitiæ tradi videmus, quia hæc duo credere nos immobiliter oportet. *Primo* quod sine Dei permissu nullus ab his omnino tentetur. *Secundo*, quod omnia quæ à Deo nobis inferuntur, siue tristia ad præsens, siue læta videantur, velut à pijssimo patre, clementissimoque medico pro nostris vtilitatibus irrogentur; & idcircò eos veluti pœdagogis traditos humiliari: vt discedentes ex hoc mundo, purgatiores ad vitam aliam trãsferantur, vel pœna leuiori plectantur, qui secundum Apostolum traditi sunt in præsenti Sathanæ in interitum carnis, vt spiritu salui fiant. Ita Cassianus.

DISPVTATIO XXII.

An liceat petere à Deo vt nobis hanc tetram dæmoniorum vexationem immittat?

9. *An liceat petere in pœnam vexari à dæmone.* ET videtur vera pars affirmatiua. Nam omne malum pœnæ licet petere à Deo, vt exerceamur in patientia, & vt illo afflicti in hac vita, purgatiores euolemus ad aliam: sed hæc vexatio dæmonum pœna est, vt nuper docuimus: ergo eam licet à Deo petere. *Confirmatur* ex Sulpicio *Sulpicius.* *in vita Diui Martini* asserente, Eremitam quendam à Deo postulasse, & impetrasse vt per menses aliquot eius corpus ab inhabitante dæmonio affligeretur propter periculum peccati quod timebat superbiæ.

In oppositum est. Nam ad hanc pœnam regulariter consequuntur multa peccata, vt blasphemiæ, conuitia &c quæ diximus tribui dæmonibus, & partim obsessis: ergo qui vult & petit hanc pœnam, vult etiam omnia quæ ad eam consequuntur regulariter, maximè si præuideat futura. Et *confirmatur*, nam licet pœna, in quantum pœna sit inuoluntaria; tamen si postuletur, & desideretur, desinit habere rationem pœnæ, quia voluntaria est: sicut accidit in hoc casu: & consequenter omnia quæ ad eam consequuntur voluntaria erunt.

Mihi hæc scribenti occurrit historia Dauidi, cui cum daretur optio eligendi vnum ex tribus ingentibus malis, quæ meruerat propter numerationem populi. 2. *Reg.* 24. aut 2. *Reg.* 24 septennariam famem in terra, aut trium mensium persequutionem validam ab inimicis Dauid, aut triũ dierum pestilentiam grassantem in populum Israeliticum, ait, *Melius est vt incidam in manus Domini (multa enim misericordia eius sunt) quam in manus hominum.* Itaque omnino recusauit persequutionem inimicorum, alia vero mala quæ Deus comminatus fuerat amplexus est. Sic ego grandis peccator dicam ad Deum meum, Domine puni me per temetipsum, infirmitatibus & quibusque malis,

malis, ac denique hic vre, hic seca, vt in æternum parcas: sed obnixè obsecro ne me tradas in potestatem inimicorum meorum sæuissimorum, nempe dæmonum: quia si Dauid pertimescebat plus quam cætera mala incidere in manus inimicorum suorum, hominum scilicet: ego homunculus plus timere debeo incidere in manus dæmonum: melius namque mihi erit incidere in manus tuas: quia tu Deus meus, & Dominus meus es: cuius misericordiarum non est numerus.

10 Quæstioni igitur *respondeo*, non licere, seclusa reuelatione, à Deo petere dæmonis inhabitantis vexationem. *Probatur* argumento facto in oppositum. Erat dea quæ in initio disputationis proposui, *respondetur*; non licere à Deo petere illud pœnæ malum, quod secum affert regulariter actiones quæ ex obiecto peccata sunt: vt *probatur* argumento facto in oppositum, tale malum pœnæ est obsessio dæmonum.

Ad confirmationem *respondetur* illos viros iustos, qui postularunt sibi eam calamitatem, habuisse reuelationem, se nullas actiones, quæ ex obiecto peccata essent, passuros, alias non esset licita eorum postulatio. *Secundo* respondetur: fortassis eum eremitam; & si qui fuerint alij, talis cladis postulatores, habuisse zelum Dei, sed non secundum scientiam.

DISPVTATIO XXIII.

Quæ sunt motiua, ac causæ, ob quas dæmones ingrediantur humana corpora?

DÆmonia magnopere cupere ingredi corpora hominum nullus dubitabit audiens Euangelica elo. quia narrantia, voces ac clamores dæmoniorum ad Christum Dominum effusos, simul & precantium ne se expelleret ab obsessis, *Quid nobis & tibi Iesu? ante tempus venisti torquere nos.* Matth. 8. Lucæ 8. & Marc. 1. *Matth. 8.* Quæ autem motiua aut fines in hoc *Luc. 8.* ingressu habeant, indagandum est: *Marc. 1.* potissime autem mouentur ex odio, quo erga homines flagrant. Cur? quia Deum impense oderunt, ac proinde odio habent homines, quos Deus diligere certo sciunt.

Secundo, quia inuidia erga homines tabescunt: tum quia vident Dei filium neglecta natura angelica, naturam humanam in vnitate suppositi assumpsisse, ac nobilitasse, & super cœlos ac super omnes Angelos euexisse: tum quia vident homines Dei munificentia, præsentia Dei frui, ac in sedibus, à quibus deiecti ipsi sunt, collocari: quibus omnibus ipsi perpetuò carebunt. Ex hoc teterrimo odio erga hominum genus frementes circumeunt, quærentes quem deuorent, quem in peccatum pertrahant, atque in infernum detrudant, quem etiam vexent, maximè illa formidabili vexa-

tione, quæ ab eis infertur corporibus, quæ permittuntur intrare vt affligant. *Tertium motiuum* dæmones valde inclinans ad homines ingrediendos & torquendos vt in homines quasi quodam imperium exerceant: natura sua excellentiæ sunt appetentissimi & hominibus dominari: cuius dominatus crudelissimi effigiem in nullo alio sensibilius videre licet, quã in arreptitijs vexandis, volutandis, ac torquendis, ob idque ingressum in eorum corpora tantopere cupiunt. *Quartum motiuum* vt adorentur, & pro Dijs habeantur ab ipsis obsessis deprecantibus vt illos libertate & sanctitate donent. Hoc motiuum radicata fide apud Christianos, nullius momenti est, inualuit vero antiquitus apud Paganos. Qui vt refert Abulensis videntes se à dæmonibus affligi, sacrificia, & diuinos honores eis obtulerunt, vt his placati à lachrymabili clade cessarent. *Abulensis.*

12 *Ex dictis* colligitur dæmones non appetere ingressum in corpora Brutorum, quia erga ea nec odio neque inuidia flagrant: & experientia agnoscitur perpauca bruta à dæmonibus inhabitari. Quod si quandoque id contingat vt in serpente, qui decepit Euam, & in grege porcorum Matth. 8. talis ingressus à malis spiritibus non ordinatur ad vexanda bruta; sed ad nocẽdum hominibus, quatenus ad homines pertinent, vel vel ad decipiendos eosdem. Fortasse id intendebat dæmon ingressus psittacum, qui erat in delitijs cuidam summo Præsuli ob egregiam imitationem humanarum vocum: cui psittaco cum semel Pontifex diceret: Quid cogitas? respondit psittacus, cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Quibus auditis expauit Præsul, animaduertens eam responsionem non posse esse nisi à dæmone inhabitante: & statim iussit psittacum suffocari. *Matt. 8.*

DISPVTATIO XXIV.

An dæmones aliquam lætitiam, vel gaudium, aut aliquod pœnarum leuamen percipiant ex ingressu in hominum corpora?

Et videtur vera pars affirmatiua. 1.
Primo ex his, quæ nuper dicebamus, eos scilicet maximè cupere huiusmodi ingressum propter odium, liuorem, ac inuidiam erga hominum genus. Sed ad consequutionem rerum desideratarum, maximè in nocumentum inimicorum, necessario sequitur lætitia, ac delectatio: ergo valde lætantur ob ingressum in hominum corpora. *Confirmatur* ex Patribus, qui sæpe asserunt dæmones gaudere de malis nostris, specialiter August *in soliloquiis*, sic ait: *Quoties à bono deuiamus, diabolum lætificamus.* Et idem ait *libro de Genesi contra Manichaos cap.* 17. & Diui Thom. 1. *p. qu.* 64. *articul.* 3. *ad* 1. dicit. *Non esse inconueniens dæmones dolere de vno, scilicet de* *Augustin.* *D. Thom.*

amissione vitæ æternæ, *& gaudere de alio, scilicet de infœlice potestate contra homines.*

Secundo. Dæmones corpora hominum inhabitantes, non vtuntur igne infernali, pœna scilicet peccatis eorum debita: ergo ex ingressu in hominum corpora lætitiam ac leuamen suarum pœnarũ experiuntur. *Antecedens* patet *primo*, quia quomodo ab igne tam distanti & corporeo credibile est dæmonia vti? *Secundo*, quia illæ dæmoniorum voces, de quibus sæpe in Euangelio, hoc indicant, *venisti ante tempus*, inquiunt, *torquere nos*: nimirum, quia tunc non erant in inferno, vbi torquebantur post iudicij diem, sed in humanis corporibus: & Matthæ. octauo quando Christus Dominus eijciebat eos à quodam, deprecabantur ne eos mitteret in abyssum, indicantes se non torqueri in eo corpore; torquendos autem in inferno.

Matth. 8.

In oppositum est. Summus dolor non admittit secum gaudium, aliquod etiam de alio obiecto distincto: ita Aristotel. *septimo Ethicorum*, quod etiam experientia comprobatur: sed dæmones occupantur vehementissimo ac summo dolore: ergo non possunt vel tantillum lætari. *Confirmatur*, si aliquo gaudio aut lætitia perfunderentur, eorum magnus dolor mitigaretur aliquantulum. *Consequens* non debet admitti, tum quia non essent constituti in extrema miseria: tum quia in pœna eorum esset aliqua variatio contra communem sensum Doctorum. *Confirmatur secundo.* Beati, quia sunt in statu summæ fœlicitatis, de nulla re tristantur, aut dolent: ergo dæmones quia sunt in statu summæ infœlicitatis ac miseriæ de nulla re gaudere poterunt.

Aristotel.

Pro decisione dico primo. Dæmones ingressu in hominum aut brutorum corpora, nequaquam liberantur à pœnis debitis propter eorum peccata, nullumque ab eis leuamen suscipiunt: *Hoc assertum* est contra quosdam, falso existimantes, ob id dæmones tantopere optare ingredi obsidendorum corpora: vt à pœnis sibi debitis in inferno respirent: à quibus corporibus si eijciantur, statim in infernum detrudendi sunt. Autores isti mouentur *argumento secundo* in initio quæstionis.

Sed probatur nostrum assertum. Dæmones quocunque pergant, deferunt secum suum infernum: *ergo* ab hac infernali pœna non liberantur: neque in totum, neque in partem per ingressum in hominum corpora. *Antecedens* huius probationis acceptatur communiter à Doctoribus Scholasticis *in 4. dist. 44.* & docetur à D. Thom. *1. part. quæst. 64. articul. 4. ad 3.* Quod vt melius percipias aduerte, locum præparatum ad puniendos dæmones esse infernum, qui secundum veriorem sententiam est in centro terræ: vbi dæmo-

D. Thom.

mones & homines damnati puniuntur igne infernali post diem iudicij vniuersalis, vt habetur Matth. vigesimoquinto. At vero non omnes mali Angeli post lapsum, in carcerem infernalem detrusi sunt: nam quidam eorum in aere relicti sunt. *Ratio* autem, quare non statim post eorum lapsum in infernum detrusi sunt, sed dimissi in aere, est, quia Deus noluit, vt ipsis peccantibus, eorum creatio totaliter frustraretur: & ideò dedit eos hominibus in exercitium, quo bonis præpararent coronam, malis autem æternã mortem: & quia vsq; ad iudicij diem est tempus belli, & merendi: ideo vsque tunc in aere permanebunt; post die verò iudicii in infernum detrudentur torquendi ab igne infernali. Ita colligitur ex Iuda in sua Canonica dicente: *Angelos verò, quia non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium Dei magni vinculis æternis reseruabit sub caligine*; idest sub aere caliginoso: & ob id Apost. *ad Ephes 6.* vocat eos potestates tenebrarum harum, idest aeris caliginosi: *ad Ephe. 2. Principes potestatis aeris huius.*

Matt. 25. *Iuda Epis.* *Eph. 6. & & 2.*

4 Itaque dæmonibus duplex locus assignatur *vnus* ratione suæ culpæ: & hic est infernus: *alius* ratione exercitationis humanæ: & hic est aer caliginosus, vbi homines, quos exercent, habitant. Maximeque appetunt ingressum in eos, vt dictum est, & vbicunque dæmones sint siue in inferno, siue extra infernum, siue in terra, siue in aere, siue in hominibus, semper circumferunt suam pœnam secum.

Explicare autem quomodo hoc fiat, difficile est: si sermo sit de pœna sensus. Cuius rei explanatio pendet ex alia grauissima quæstione: Quomodo ignis corporeus cruciet dæmones, qui spiritus sunt? De qua re tot sunt sententiæ quot capita. Mihi autẽ sententia D. Thõ. plus arridet, asserentis in 4. *d.* 44. *quæst.* 3. *articul.* 2. ignem corporeum inferni torquere dæmones, ac animas damnatorum: eo quod assimitur vt instrumentum diuinæ virtutis ad detinendum dæmones, ne possint operari, vbi volunt, quomodo volunt, eo quod illi igni alligentur: ex qua alligatione adeò anguntur & affliguntur, vt vix dici possit quantum doloris concipiant. *D. Thom.*

Hæc sententia difficilis intellectui est; sed difficilis est scitu, quomodo quocunq; perrexerint, secum suum infernum portent: num in aere, aut in corporibus hominum existentes globum aliquem ignis corporalis, in quo inclusi alligẽtur, secum portant? *Respond.* D. Thom. 1. *part. quæstion.* 64. *art.* 4. *ad* 3. dæmones dum sunt in aere, aut verò in hominum corporibus, licet non actu alligentur igni gehennali: tamen hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Ponit

exemplum D. Thom. in captiuo extra carcerem existente, qui dum videt se diro carcere includendum, non minus affligitur quam si in carcere detrusus esset Ita in 4. *dist.* 44. *q.*3. *art.*3. *q. vltima ad* 8.

Contra hanc solutionem replicatur. *Primo.* Pœna sensus in dæmonibus, est actu pati ab igne inferni eos cruciante actualiter; siue cruciatio fiat per vstionem actualem, siue per actualem alligationem, & detẽtionem ab eodem igne: sed dæmones quando sunt in corporibus hominum, aut in aere caliginoso, non alligantur actu igni gehennali, vt ait D. Thom. ergo actu non patiuntur ab igne, nisi fortè per apprehensionem. *Secundo.* Apprehensio afflictiui non infert tantam molestiam, sicut actualis applicatio eiusdem afflictiui, vt colligere licet ex exemplo captiui adducto à D. Thom.

Certum est enim non tanta tristitia affici captiuum extra carcerem existentem, apprehendentem esse diro carceri mancipandum: atque si actualiter eidem carceri alligaretur, aut in eundem detruderetur: ergo neque dæmones quando extra infernum sunt, tanto dolore afficiuntur, quantumuis apprehendant illam pœnam esse sibi paratam, sicut afficientur quando actualiter eam subire cogantur. *Tertio.* Apprehensio futuri mali dolorem non causat sed timorem; ergo ex apprehensione torturæ infernalis dæmonibus deputatæ non infligitur dolor, sed incutitur timor: Pœna autem sensus debita dæmonibus, dolor est, non timor.

Certè istæ replicæ videntur probare, dæmones extra infernum positos siue sint in aere caliginoso, siue in hominum corporibus, non pati tantam pœnam, quantam in inferno paterentur: quod non videtur mihi improbabile propter replicas factas, quia tamen oppositum reputo probabilius, & magis conforme sensui Doctorum, maxime D. Th. asserentium, in nullo eorum pœnam diminui: *Respondetur* ad replicas factas.

Ad *primam* concedo, dæmones quando in obsessis sunt, aut in aere caliginoso, non patiuntur ab igne inferni per actualem vstionem, aut actualem alligationem, nihilominus patiuntur ab actuali apprehensione alligationis futuræ sibi paratæ in inferno. Quæ apprehensio tam vehemens est, & tantum dolorem incutit, ac si de facto actualiter ab igne detinerentur, ac alligarentur. Ad *secundam replicam respond.* in hominibus verum esse regulariter illud *antecedens:* quia dolor in hominibus passio est appetitus sensitiui: qui cum corporeus sit, per actualem molestiam magis patitur, quam per afflictionem apprehensam: secus contingit in dæmonibus, in quibus non reperitur dolor, qui est passio, cum careant appe-

appetitu sensitiuo: sed per actus simplices voluntatis: cuiusmodi est renisus quidam voluntatis ad aliquid quod cogitur subire. Ita D. Thom. *1.p q. 64. art. 3.* & ideò tantùm dolorem concipiunt ex apprehensione alligationis ad ignem infernalē certo futuræ, ac si actualiter illi alligarētur. Et simile illud de captiuo extra carcerem posito non est ad paritatē cogendum, sed tantum explicationis gratia vsurpandum. Ad *tertiam replicā respondetur.* Quādo apprehensio futuri mali vehemens est, & malum certo futurum, solet apprehendi ac si esset præsens, & tunc non solum timorem, verum & dolorem ac mæstitiam inducere. Ita contingit dæmonibus certo scientibus sibi paratum esse ignem gehennalem: ratione cuius talis ac tantus dolor illis incutitur, ac si actualiter ab eo paterētur. Maneat ergo certum dæmones in corporibus hominum commorātes eandem pati pœnam sensus ac si in inferno torquerentur, ideò rectè dici quocunque perrexerint, secum portare suum infernum.

D. Thom.

6 *Dico secundo.* Dæmones ex ingressu in hominum corpora peculiarem lętitiam ac gaudium percipiunt. *Probatur* argumentis factis in initio disputationis. Estque expressa sententia D. Th. *1. p. q. 64. art. 3. ad 1.*

D. Thom.

Dico tertio. Gaudium illud leue est ac momentaneum. *Probatur*: nam cū mens dæmonum ingenti tristitia occupetur propter amissionem æternę Beatitudinis, (quod pertinet ad pœnam damni, & infernalem pœnā sensus) quidquid lętitię superuenit, leue est. Insuper aduertentes dæmones, eam leuem & modicam lætitiam à malo prouenire, nempè à suo liuore ac inuidia, & in malum cessurum, videlicet in maiorem suam infœlicitatem: quia lætari in malis miseria est: non modica tristitia afficiuntur; sic adeò, vt de illis verum habeat illud Sapiētis: *Extrema gaudij luctus occupat.*

His prælibatis ad argumenta *resp.* ad *primum* initio disputationis positum, & confirmationem, probare, nostrum assertum secundum modificandum iuxta tertium.

Ad secundum respond. ex dictis pro explicatione primi asserti. Et negatur voces illas dæmoniorum (de quibus in Euangelio) probare aliquid contra illud: sed esse intelligendas iuxta tenorem secundi asserti nostri. Timebant namque dæmones ne iussu Christi Domini in abyssum irent, nō quia in corpore illius dæmoniaci non torquerentur pœna ignis, ad modum iam explicatum; aut quia in aliquo talis pœna minueretur; sed quia eis alligaretur facultas vexandi homines, ac tentandi; quod dæmones percupiunt. Item dicunt Christum venisse ante tempus torquere: non quia ante Christi aduentum nō torquerentur, sed quia citius quàm ipsi opinabātur venisset ad eos subiugandos, ad eum modum quo solet dici infortunium aliquod ante tempus aduenire, quia scilicet venit ante inopinatum tempus.

Pro solutione tamen argumentorũ, quæ facta sunt in initio *dubitationis* in oppositum tituli disputationis, præmittendum est ex doctrina D. Tho. 1.2. in materia de passionibus, & alibi sæpè, incomparabilitatem lætitiæ cũ dolore seu tristitia à duplici radice prouenire: vel à cõtrarietate, quæ in his reperitur: & vt verè se inuicẽ non compatiantur, debent cõsiderari in eadem potẽtia; nam in diuersis non sunt incompatibiles: verbi gratia, tristitia in appetitu sensitiuo, & lætitia in intellectiuo: & respectu eiusdem obiecti, nam nil vetat lætari de vno obiecto, & tristari de altero. Vel secundò potest expendi incompatibilitas ex redũdantia quadam actus vnius potentiæ in aliam: quatenus scilicet, quando tristitia fortior est non sinit eam potentiam, in qua est, lætari: vel è contra, lætitia non sinit hominem tristari, aut si sinat adeò aggrauat, & debilitat potentiam, vt si prorumpat in contrariam passionem, non tanto conatu & intensione, quanta afficeretur, si contraria passione non præoccuparetur.

D. Thom.

8 *Ad primum in oppositum nego maiorẽ.* Et Arist. intelligẽdus est quando dolor & lætitia sunt in supremo gradu. Vel *secundo respondetur*, dictum Arist. esse intelligendum de dolore, ac lætitia hominum, non de dolore, ac lętitia spirituum. *Ratio* discriminis est, quia cũ appetitus intellectiuus hominum, ac omnes animæ potẽtiæ vtantur in suis actibus ministerio potentiarum corporalium: sic aggrauãtur, & deprimũtur à corpore, aut potentijs corporeis, vt si homo afficiatur summo dolore: nequeat in contrariam passionem lætitiæ assurgere, iuxta illud: *Deprimit terrena inhabitatio sensum*, id est potentiam intellectiuã *multa cogitantem*: secus cõtingit in spiritibus, qui dolent & lætantur per simplices actus voluntatis: dolere nascitur ex hoc quod eorum voluntas renititur circa aliquod obiectũ: lætari, ex eo quod eadem voluntas amat aliquod obiectũ. Quare si istæ volitiones sunt de diuersis obiectis, non est cur se impediant, neque in odio aut amore, neque in tristitia & lætitia, inde consequentibus.

Tertiò respondetur. Estò vehemens tristitia in spiritibus impediat aut retardet actũ ex quo oritur lætitia etiã in spiritibus: tamen dolor seu tristitia, qua afficiuntur dæmones de sua damnatione, non est dolor summus, neque secũdum intensionem absolutam, quia non adæquat totam capacitatem potentiæ; neque secundũ extensionem, quia non est dolor de omnibus rebus. Appellatur autem summus dolor secundum intensionem proportionatam culpæ, & ita sine diminutione doloris & tristitiæ essentialis possunt lætari & gaudere accidentaliter de aliqua re. Fateor modicam posse esse lætitiam, quia vehementissima est tristia.

Ad *confirmationem respondetur*, dæmones esse vsq; adeò præoccupatos ingenti tristitia propter bona, quæ amiserũt, & propter cruciatum ignis, & alia

& alia contristantia: vt eorum modica lætitia propter vexationem hominum, aut alia mala: aut parũ, aut nil mitiget de eorum pœna essentia. D. Thom. li: maximè quia vt docet D. Thom. *in quodlib. 3. quæstion. 10. articul. 2.* in corpore, quamuis lætentur de malis hominum, ac pœnis: sed ipsamet lætitia cedit in eorum magnum mœrorem. Dolēt de impletione voluntatis Dei, quæ in eadem vexatione reperitur, & dolent de suo ipsorum gaudio, per vermem, id est remorsum conscientiæ: iuxta ea quæ dicebamus in tertio asserto Ex quo liquet, eos non eripi ab statu summæ miseriæ propter hæc parua gaudia, quæ in illis ponimus: nec etiam sequatur eorum pœnam essentialem variari, sed potius accidentaliter augeri.

Secundò respondetur, per eam lætitiam dæmonum, quantulacunque sit, non mitigari eorum dolorem. Patet: non à cõtrarietate; quia non extat, quia hæ affectiones sunt de diuersis obiectis: nõ propter retractionem à dolore ex retractione ab attẽtione: quia circa diuersa nõ retardatur attentio in spiritibus, neque propter redundãtiam, sicut in homine: quia lætitia & dolor in spiritibus cum fiat per actus simplices voluntatis, quando sunt de diuersis obiectis, sicut non contrariantur sic vnũ per alterum nõ mitigatur, aut diminuitur: sicut attentio intellectus in Angelis non remittitur circa diuersa obiecta, quãdo per diuersas species intelligibiles fit.

Ad secundam confirmationem negatur consequent. Ratio diuersitatis: tũ quia gaudium Beatorum implet totã capacitatem subiecti: & ideò non admittit secum neque tantillum tristitiæ: tristitia verò damnatorum est quidem ingens, sed non implet totam capacitatem subiecti: & ideò secum compatitur gaudiola quædam, sed in rabiem ac tristitiam conuertendam: tum, quia in Beatis non potest esse aliqua passio, nisi consequens iudicium rationis. Ita D. Thom. *in 4 distinct. 50. quæstion. 2. articul. 4. quæstiunc. 3.* ad 3 & ideò quoties se illis offert aliqua materia tristitiæ secundum se: quia illi omnia hæc referunt ad trutinam rationis, quę dictat esse illis gaudendũ de omni eo quod Deus vult: non tristãtur, sed potius lætantur, iuxta illud: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Secus contigit in dæmonibus & damnatis: qui feruntur vel lætitia vel tristitia, prout obiecta sibi oblata exigunt, & ideò dæmones existentes in statu summæ miseriæ, nil vetat lætari modicè de quibusdam: & Beati nequaquam tristari possunt, neque per instans. 9 D. Thom.

Ex dictis resolues quæstiunculam, quinam sint infœliciores; dæmones, qui habitantes in hoc aëre caliginoso homines vexãt, an qui in inferno torquentur ab igne infernali? *Respondetur*, qui in aere, aut corporibus hominum residēt: quia nõ euadunt ignis cruciatum: & prætere a illa modica lætitia, quam capiunt ex hominum

minum tortura, illis cædit in tormẽtum ac dolorem. Item quia lætitia capta ex malo miseria est.

Hinc etiam solues, an dæmones
10 eos quos obsident, semper vexẽt, & in eis semper maneant? *Respondet.* possent quidẽ si vellent: sed de facto sæpe cessant à cruciatibus, vt experientia docet in multis, quos placidè ac quiete sine vllo dolore per multos interpositos dies quiescere videmus: quod in Saule factum esse sacræ literæ docent 1. *Regum* 16. quia cessatio fit Deo misericorditer ordinante, qui irascitur, & propitius est, & etiã ipsis malignis spiritibus volentibus, ne scilicet continuata vexatione obsessos interimant, & domicilia sua relinquere cogantur, quod ægrè ferunt: & quamuis à cruciatibus sæpè cessent, rarò tamen energumenos deserunt, nisi coacti virtute diuina: deserunt verò aliquando, vel quia alijs in locis interesse volunt, ad quæ non se extendit sphera suæ actiuitatis, si in energumenis permaneant: aut alijs de causis nobis ignotis.

His quæ dicimus non parũ fauet Historia Saulis, de quo dicitur non tantũ leuius habuisse Dauide canẽte, verùm à dæmonio fuisse illo modico temporis spatio liberatum. Ait enim sacer textus: *Et recedebat ab eo spi-*
Bredemb. *ritus malus.* Et Bredembach. *collat. lib.* 7. *c.* 39. narrat quosdam dæmoniacos in oppido Brabantiæ à dæmonibus fuisse liberatos eo die, quo Martinus Lutherus obijt: & cum postera die iterum redijssent ad obsessorum corpora interrogati ab exorcistis, vbi pridie latuissent: responderunt, se mandato Principis sui ad noui Prophetæ, & fidelis cooperarij funera euocatos fuisse: eidemq; se interfuisse. Confirmauit hanc rem Lutheri famulus; qui eidẽ morienti adfuit, & cum per fenestram auræ capiendæ gratia aspiceret: nõ sine magno terrore vidit pluries, & plures teterrimos spiritus non longè à loco saltãtes, ac choreas agentes. Confirmarũt & corui, qui Lutheri corpus cum ex Islebio Vuitembergam deferretur, magno clamore commoti sunt.

DISPVTATIO XIV.

Quæ via, quaue hominis parte, dæmones corpora dæmoniacorum ingrediantur?

ET quidem si vulgarium iudiciũ 1
sequamur, per os obsessorum ingrediuntur. Quorum placitum adiuuare possumus: tum ex fidelium consuetudine, nempè oscitantes, os signo Crucis munire solent, quo signaculo sacro, ac dæmonibus terrifico munitũ os, illac introeũdi dęmonibus facultas auferatur. Tum quia sæpè legimus dæmones vna cum cibo ac potu in quo latuerant haustos esse: cuius rei Historia insignis extat apud D. Greg. *li.* 1. *Dialog. c.* 4. verba il- Greg.
lius superius retulimus.

Hæc nostra dubitatiuncula ijs, qui opinabantur dæmones corpora quædam tenuiora aëre possidere, fortasse difficultatem ingereret, dũ exquirere necesse esset, vias, per quas dæmo-

dæmones corpora dæmoniacorum ingrediuntur, eo quod duo corpora se penetrare nequeãt, sed possent dicere per os, per nares, vel per quoscunq; alios meatus, per tenuissimos poros posse, & de facto ingrediũtur. Si enim per hasce vias sudor emittitur, aer subintrat, multo faciliùs dæmones introire, & egredi poterũt, vtpotè qui habent corpora tenuiora quã aër. Sed hæc falsa sententia reiecta, nos qui certò certius opinamur, Angelos bonos ac malos carere omninò corporibus, ac proinde corpora obsessorum, illis, eo quod spiritus sunt, nequaquã sua quãtitate vllum præstare impedimentum: respondemus, per omnes corporis partes posse ingredi sine vlla difficultate, per os, aures, nares, per poros, imò per solidissimas partes, quas penetrare, sine apertione, aut ruptura, spiritibus facile est.

Ob id verò nõ negamus sæpè per os obsessorum intrare, ac exire: neq; improbamus, sed potius laudamus consuetudinem Cruce signandi os; asserimus tamen per quascunq; corporis partes posse dæmonia intrare corpora obsessorũ: quod intelligendum est si motu successiuo intrẽt, secus si motu discreto: tunc enim vnũ ferè paradoxũ fatendum est, dæmones scilicet intrare corpora obsessorum, & per nullam corporis partem intrare: quod patebit consideranti quæ D. Th. dicit de motu Angelorũ discreto 1. *p. q. 52. a. 2.* & probatur, quia per motũ discretum Angeli transeũt ab extremo in extremũ, non pertrãsito medio: ergo si dęmones ingrediantur corpora obsessorũ motu discreto: necessarium erit vt per nullam corporis partem ingrediantur, aliàs motus ille successionem haberet: dũ prius dæmones moueri deberent ad partem per quam ingrediuntur, quã ad intranea viscerum, ad quæ terminatur ingressus.

D. Thom.

2 *In qua hominis parte resident dæmones?*

Sed difficilius est postquã dæmones ingrediuntur quempiam, in qua hominis parte resident? Si sermo sit de potestate res clara est, possunt totum hominẽ, ac omnes collectim, ac diuisim eius partes occupare pro arbitratu suo, caput, brachia, ventrẽ, tibias, & cæteras partes seorsum, & omnes simul: & in hoc ab anima discriminãtur: nam cum anima omniũ partiũ sit forma, omnesq; viuificet, nõ potest quasdã viuificare, alijs sine vita relictis: dęmones verò cũ in corporibus, vt motores resideant, nõ vt formæ corporum: pro sua voluntate possunt omnes vel certas quasdam occupare. Huius rei habetur illustre exemplum in Georgio, in vita sancti Theodori, narrãte in brachio Euthichij cuiusdam ita resedisse dęmonem, vt in nulla alia corporis parte fuerit, quod agnoscẽs sanctus Theodorus, Cruce humerum signauit, & ingressum ad reliquum corpus prohibuit, illoq; pulso à brachio Euthichij homo ille liberatus est. Et sanctus Gregorius Turonensis *de gloria confessorum c. 9.* scribit, quendã dæmonem in sola vngula cuiusdã energu-

meni sedē habuisse, quinimò in minutissimis partibus, & frustulis: imò & in puncto ipsos posse residere nō ambiges, si legas D. Th. & eius discipulos 1. *p. q.* 52. *art.* 1. Sed tamen quas partes inhabitent de facto difficile est: præsertim apud eos, qui existimant dæmones posse latitare, & esse vbi nullo modo operantur. Ita Scotistæ, & multi moderni. Thomistæ verò qui censent Angelos nō esse in loco vbi aliquo modo non operantur: ex operationibus inuestigare aliquo modo poterūt in quibus corporis partibus commorentur: nam si inflationem, aut tuber in aliqua hominis parte excitēt, aut linguā ligēt, aut quoquo alicui mēbro molestiā ingerant: non leue signum est ibidē dæmones esse: sed neque hæc signa manifestè pandunt præsentiam dæmonū in his partibus afflictis, quia molestiæ hæ possunt esse à causis naturalibus morbum inducētibus, aut ab ipsis dęmonibus, qui inflictis illis plagis recesserunt.

D. Thom.

Item quia ex sentētia eorundem Thomistarum poterunt esse vbi actualiter non operātur: sunt tamen in procinctu ad operandum, quod homines nosse nequeunt: atq; adeò neque quas hominis partes inhabitent, ac occupent: item quia ab vna hominis parte ad alias migrare quis prohiberet? & ideò in exorcismo secundo, qui habetur in rituali Romano, apponitur formula præcipiendi dæmonibus in virtute Sanctissimæ Trinitatis, ne se occultēt in quatuor humoribus, in carne, ossibus, neruis, medullis, venis, scirrhis, tibijs, renibus, vētre, stomacho, intestinis, gutture, collo, &c. Aliqui putant vt plurimū eos in corde aut propè cor suū domicilium eligere: & coniectura nō leuis est, quia cū principium omniū actionum corporis humani cor sit: vt facilius exagitare ac vexare totū corpus possint (id enim motu locali efficiūt) non inaniter credūtur suas sedes eligere in corde, vel propè cor. Quapropter sanctus ille Theodorus, cuius nuper meminimus, curaturus quendā, de quo dubitabatur, an à dęmone possideretur: cor ipsius cœpit pulsare primum, & dæmoni imperare vt se proderet.

DISPVTATIO XXVI.

An in vno & eodem hominis corpore possint intrare, ac esse multa dæmonia?

1 ET existimo partem affirmatiuam esse de fide *Probatur Matth.* 8. vbi dicitur legionem dæmoniorum, vnum vexasse hominem: & etiā Luc. 8. Christum eiecisse à Magdalena septem dæmonia: & Luc. 11 *Cum immundus spiritus exit ab homine, &c. tunc vadens assumit secum alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Ecce apertè supponit Christus Dominus, multos dęmones vnum corpus possidere posse: quidquid dixerint quidam, suppresso nomine citati ab Abul *in* 8. *Matth cap quæst.* 136. qui tamen alieni à veritate, & sacris literis procedunt: non impediuntur in vno esse homine, quia non posset esse penetratio tantarum dimensionum,

Abul.

num, nam quantitate carent, & ideò vbi vnus ibi innumeri esse possunt. Non obstat odium crudele dæmonum inter se, propter quod alicui videri poterat eos nequaquam pati in eodem domicilio habitare: nam etsi inter se diffideant, tamen in nocendo hominibus, societatem inierunt, & vnanimes cōspirarunt. Hoc egregiè D. Thom. 1. *p. quæst.* 109 *art.* 2. ad secundum. Quod non obscurè insinuauit Seruator noster in testimonio citato Luc. 11. dū de vno dæmone ait: *Assumit secum septem spiritus nequiores se*: quasi gaudens: imò & quærens socios ad torquendum hominem.

D. Thom.

2 Sciscitabitur quispiam, an plures plus vexent, quam vnus? verosimile apparet ex illo dęmoniaco à legione dæmoniorum occupato, cui plures dæmones plura tormenta inferebāt, habebat enim habitationem in monumentis, non poterat eum quisquā catenis constringere, die & nocte in montibus vagabatur, lapidibus se concidebat, &c. hæc autem multiplicata tormēta à multiplicitate dæmonum inhabitātium, id est à 6666. prouenire satis verosimile iudico.

3 Quomodo autem ista multitudo dæmonum in vno eodemq; homine inhabitet, quomodove molestias inferat: non est facilè diffinire. *Dico* tamen: *tripliciter* imaginari possumus eos in vno domicilio inhabitare, totque molestias ingerere: *vno modo*, vt singuli in proprijs distinctis'q; partibus resideāt, in quibus quoties quisque operetur cruciando, torquēdo, vel quid simile operando. Et aduersum hūc dicendi modū non militat testimonium D. Th. 1. *p. q.* 52 *art.* 3. affirmantis duos Angelos non posse esse in eodem loco: etenim iuxta istum modum non sunt plures dæmones in eodē loco, sed in diuersis. *Secundo modo* possunt esse in eodē homine: omnes in eodem, & omnes in omnibus partibus hominis, sed quilibet diuersa operatur nocumenta: verbi gratia, quidam cor constringunt, alij percutiunt, alij multis alijs modis idē cor affligunt, & sic de alijs hominis partibus, & toto corpore. Et iuxta istum modum etiā videtur euacuari testimonij præfati difficultas, quia sicut operationes cuiusque etiam in eadem parte sunt diuersæ rationis: sic & loca, quæ occupant, licèt materialiter sint eadē: formaliter tamen distinguuntur: nec ex isto modo existendi sequitur inconueniens, quod affert D. Thom. loco citato, videlicet quod duæ causæ cōpletę sint immediatè vnius & eiusdem effectus, neque quod sint duo Angeli in eodē loco formali: quia cū operationes diuersæ sint: loca etiam formalia, diuersa sunt; vnus tamen materialiter; neque hoc negaret D. Thom. neque eius discipuli. *Tertio* imaginari possumus, multos dæmones in eodē homine inhabitare, sic vt omnes & singuli occupent totum hominem & singulas eius partes, & omnes ac singuli inferant omnia & singula mala, quæ obsessus patitur:

D. Thom.

titur:& iste modus est intellectu difficilis in sententia D. Th. putãtis Angelos esse in loco per operationem.

Nec euadũt difficultatem qui cẽsent Angelos esse in loco per suam substantiam: nam licèt benè explicẽt quomodo plures dæmones possint esse in eodem loco, quia non replẽt locum: tamen quomodo in eodem loco vnam & eãdem operationem plures efficiant non explicant: nec effugiunt inconueniens asserendi vnam, & eandem operationem esse à multis causis completis: quod alienũ videtur à documentis Philosophorum, & à mente D. Thom. in loco citato, propter hoc inconueniens effugiendum negantis duos Angelos non posse esse in eodem loco. Molestus essem, si adducerẽ omnes expositiones discipulorum D. Th. vt defendant sui magistri sententiam, cui innititur tota vis argumenti propositi.

Breuiter dico, D. Thom. non esse intelligendum de existentia in locis inadæquatis & partialibus, quia iuxta primum modum existendi dæmonum in obsesso ita contingit: neque de existentia in eodem loco materiali: quia iuxta secundum modum nullum est inconueniens ita accidere: intelligendus ergo est de existentia completè, & perfectè in eodem loco. Tunc autem erunt in eodem loco plures, si operabũtur in eodem loco formali, vt causæ totales eiusdem effectus numero: & quãdo plures dæmones existunt in eodem homine, ac cõcurrunt omnes ad vnum numero cruciatum, non concurrunt vt causæ totales, sed partiales.

Et si obijcias: quia quilibet potest illum effectum producere, & multo intensiorẽ, & quilibet apponi totum suum conatum: ergo causæ totales sunt, non partiales. *Confirmatur*, quia confusio esset operationum, vt plures concurrerent ad id efficiendum, quod vnus potest sine defatigatione, aut molestia: imò cũ maxima voluptate, vt in humanis patet. *Respõdetur* sumpta similitudine ex eisdẽ humanis, quæ experiri solemus: contingit enim quandoque, plures homines ad eandem trabem vehẽdam cõcurrere: quia vnus solus id nõ valet efficere: non sic contingit, quãdo plures dęmones eundẽ numero cruciatum vni homini inferunt: quia quilibet eorum potens est tam sęuos excitare cruciatus: vt si permitteretur, necem citissimè inducerẽt. Item quandoq; plures homines concurrunt ad idem onus portandum, non quia vnus non posset portare, sed vt quilibet cum minore labore, ac molestia portent: & neque ita accidit in dæmonibus, qui in inferendis quantumuis magnis cruciatibus, non defatigãtur, aut molestiam patiuntur: quin potius magnam capiũt voluptatem, ac gaudio his occupati perfunduntur.

Præterea cõtingere potest, vt plures homines concurrant ad eandem trabem vehendam, quam quilibet posset sine molestia portare, & singu-

singuli totum suum conatum apponunt: sed Deo impediente, non ob id trabes velocius, aut citius trahitur: sed eadem velocitate, ac prorsus motu eodem modo se habente, ac si ab vno solo portaretur: & in hoc casu quilibet causa partialis est vnius & eiusdem motus: licet attentis viribus portantium, & conatu, posset ab vno solo motus ille peragi.

Ita existimo accidere posse quando plures dæmones vnum & eundem numero cruciatum inferunt vni energumeno; quilibet dæmonum posset illum cruciatū causare, omnes operantur secundum totum suum conatum: sed cum Deus præfixerit metas, ad quas vsque torquere possunt: ne miser homo animam exhalet: omnes eundem numero effectum causant, vt partiales causæ. Nec mirum videri debet Deum hos imposuisse limites: quia vt supra diximus, sine eius permissu & licentia non possunt vexare homines: ergo etiam eius ordinatione limites imponuntur, ne in homines ferociantur quantum possunt. Vel dicito ipsosmet dæmones, qui norunt ad quos vsque limites sint nocere permissi: suum attemperant conatum, vt ab omnibus efficiatur, quod ab vno solo effici posset.

Et hinc patet ad *argumentum*, negando illam multitudine dæmonum fuisse in vno homine, & singulis eius partibus tanquam in loco vno formali vltimatè, & adæquatè completo ad modum iam explicatū,

DISPVTATIO XXVII.

Quorum ordinum sint dæmones, qui homines obsident?

IN hac disputatione supponimus vt certum apud omnes Doctores, inter malos spiritus seruari ordinem ac prælationem, non solum secundum naturam, quia quidam perfectioris naturæ, alij imperfectioris dicantur, verum etiam secundum electionem: quia si qui imperfectioris naturæ sunt, alijs superioribus subijciuntur in ordine ad procuranda hominum mala, siue tentando, siue obsidendo: de qua egregiè D. *Thom.* 1.*p.q.*109.*art.*1.*&* 2. & Abulensis fusam instituit disputationem super *c.* 12.*Matth.q.*60. Quod modo in dubium vertitur est, an soli dæmones gradus infimi, obsideant mortales, alijs, qui superioris ordinis sunt, in infernum detrusis? 1 *D.Thom.* *Abulen.*

Et videtur vera *pars affirmatiua.* Nam boni Angeli supremi ordinis, vt Cherubim, ac Seraphim, non se immiscent mundanis negotijs, sed contemplationi soli, & amori Dei vacant. Alij vero negotia humana dirigunt, ac procurant. Tertij vero, & infimi ordinis ea executioni mādant. Sed mali spiritus licet à gratia exciderint, seruant tamen eundem ordinem, quem ante cassum tenebant, quia in eis naturalia manserunt integra: ergo non quicunque & cuiuscunque ordinis mali nostra meditantur, putà ingressum in corpora, aut animarum tentationem:

sed hoc solis malis spiritibus inferioris ordinis reseruatur, cæteris nil de hoc cogitantibus, sed flammis perpetuis in inferno traditi sunt. *Confirm.* nam dato cuiuscunque ordinis malis spiritibus concessum esse, vt homines vexent ac tentent (quæ eos occupat inuidia ac odium erga homines) omnes essent in hoc aere caliginoso ad suam rabiem erga humanum genus explendam relicto inferno. *Consequens* non admittitur à Doctoribus asserentibus magnam numerum dæmonum esse in inferno reclusum: ergo.

2 Sit tamen *nostra assertio*. Ex omni ordine ac principatu dæmones humana corpora ingrediuntur: ac alias quamplures molestias hominibus inducunt. Proba. ex Apost. *ad Eph.6.* *Non est nobis* (inquit) *colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus Mundi rectores tenebrarum harum: contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Ecce principatus & potestates, qui sunt ex ordine superiori dæmonum, asseritur esse nobis infestos, cur non ingrediantur hominum corpora? Accedit id quod narrat Palladius *sectio. 15. Hist. patrum* D. Antonium, cum ad eum adductus esset energumenus, intellexisse spiritum principalem esse, qui miserum obsideret: quocirca neque per se, sed per sanctum Paulum simplicem cuius potestas, quam sua maior esset, posse eijci. De ipso vero Lucifero & dæmoniorũ Principe (qui etiã decepisse putatur) non improbabiliter dicitur, post Christi mortem in inferno detrusum: ne stragem solitam hominibus Christi iam sanguine redemptis inferat, soluetur autem, & ad mortales impugnandos redibit Antichristi tempore. Ita communiter expositores colligunt ex initio capitis vigesimi Apocalypsis. Cui expositioni videtur innuere D. Aug. 20. *de ciuitate Dei, c. 7.* & non abnuit D. Greg. *lib. 32. moralium c.12.*

Eph. 6. | Pallad. | D. Aug. Greg.

3 Quod vero dæmones ex infimo ordine molestent, ac ingrediantur mortalium corpora, nulla ratio dubitandi potest esse: cum infimus eorum gradus exposcat, vt in his curis se intromittant. Ex omni igitur gradu ac ordine dæmoniorum cupiunt ingressum in hominum corpora, & perficiunt, quando Deus hoc illis permittit. Ad *argumentum* in oppositum factum *resp.* naturalia mansisse integra in dæmonibus, & ideo qui superioris ordinis est, maiorib. pollet viribus: at verò quod superiores non se intromittant in negotijs mundanis, ad ordinem gratiæ spectat: à qua, quia propria malitia exciderunt dæmones, non attendunt quid pro naturæ dignitate conueniat agere: sed potius vt suæ inuidiæ ac odio erga homines faciant satis: ad minima etiam officia se libenter demittunt. Ad *confirmat. resp.* fatemur si dæmones permitterentur suæ libidini nocendi hominibus satisfacere: fortassis vacuo relicto inferno cateruatim egrederentur ad molestan-

lestandum homines, partim tentando, partim vexando: sed sicut non sinuntur à Deo omnia mala inferre, quæ desiderant, sic neque omnes egredi à carcere infernali, vt molesti sint hominibus: sed ijs tantum concessum est, quibus à Deo permittitur propter absconditas rationes suæ prouidentiæ. Mitto modo, quod dæmones, quorum suasu homines peccauerunt: deferunt post mortem animas damnatorum in infernum, vbi manent iugiter eas torquentes: vt adnotauit D Thom. 1. *part. quæst:* 64. *artic.* 4.

D. Thom.

DISPVTATIO XXVII.

Quibus signis agnosci possit dæmonum inhabitatio in obsessorum corporibus?

1 HVius *resolutio* non modicam vtilitatem affert, maxime exorcistis: quapropter accuratè tradenda est.

Signa, quæ possunt prodere inhabitantes dæmones multiplicia sunt, omnia tamen sumpta ex operationibus: Dæmones enim cum sint substantiæ spirituales, nequit eorum habitatio cognosci nisi ex operationibus, cum iuxta Theologorum sapientiorum sententiam, vbi operantur, ibi sunt, & vbi non operantur, non sunt: igitur signa inhabitantis dæmonis quædam aliqualem coniecturam generant, quædam vehementiorem, quædam certo produnt habitationem peruersi hospitis. Generant leuem suspicionem ferini & agrestes mores, sed huiusmodi non conuincunt dæmonem inhabitantem. Plures vidimus, & audiuimus inferarum naturam ac mores declinantes, qui non fuere obsessi à dæmonibus. Idem dico de his qui diuturno somno grauantur, aut morbis incurabilibus: & de his qui se dæmonibus consecrarunt, vt sagæ, & malefici, qui non semper arreptitij sunt: neque etiam qui sibi manus inijciunt, & mortem intentant: neque illi qui inuocant dæmones vt se arripiant, neque illi qui à furia agitantur. Omnes hi & similes, aliquando obsessi, aliquando nequaquam; sicut neque illi, qui in nullo loco sunt tuti, & quandoque se molestantes spiritus etiam in corpore sæuientes experiuntur; hoc signum potius est dæmonum assistentium, aut cupientium ingressum, quam inhabitantium.

2 *Signa*, quæ generant vehementem suspicionem ac coniecturam inhabitationis dæmoniorum, multa sunt *Primum* barbaræ & incõsuetæ voces, clamores, & vllulatus prorsus belluini. Audiuimus sæpe has incõsuetas voces & belluinos clamores à dæmoniacis excitari, cur eos emittentes esse obsessos non vehemẽter suspicabimur? *Secundũ* signũ esse potest horribilis, & truculentus vultus quia quales ipsi dæmones, tales formas suis inhabitaculis imprimũt: truces sũt, ac crudelissimi; truces ac crudeles

les vultus volunt referre miseri obsessi.

Tertium : stupor membrorum & omnium vitalium fere operationũ priuatio: talis erat ille obsessus Matt. 9. & Luc. 11 qui erat surdus, mutus, & cæcus. *Quartu*[illegible] ingens inquietudo, qualis eorum est qui vno in loco nequeunt consistere, & solitudines quærunt, ac desertis locis oblectantur: multos audiuimus sic à dæmonibus vexari: huiusmodi erant illi dæmoniaci Matt. 8. qui sæui erant, ac in monumentis & desertis viuentes, in prætereuntes grassabantur.

Matth. 9.
Luc. 11.
Matth. 8.

Quintum: in humano corpore vires, quæ excedere videntur facultatem hominum: tales sunt eorum qui facile vestes lacerant, catenas frangunt, onera ingentia portant. Hoc signum plus quam suspicionem generare videtur: & eo potuit deprehendi mulier vetula dæmoniaca, de qua in vita D. Bern. *c*. 4. *lib*. 2 dicitur adductam ad sanctum virum, scamnum in quo ipse sedebat, transiliuit, & dixit se quosque pernices equos cursu æquare posse, eorumque dorsa sine adiutore transilire. Similiter alter dæmoniacus deprehensus est, qui à Nicetio Triuirensi Episcopo iussus est è templo extrahi: tamen columnam ita valide apprehendit, vt à loco dimouere nequiuerit à decem viris.

Sextum signum sunt persequutiones, cruciatus, atque tormenta extraordinaria, quæ quidam patiuntur vt si, verbi gratia, in ignem deijciantur, quandoque in aquam, nunc ex alto se præcipitent, nunc se cultris lacerent, nunc laqueo, aut alijs vijs vitam sibi adimere intentent. Huius generis obsessum habemus Marc. 9. & hæc & his similia vehementem generare suspicionem dæmoniacæ habitationis, nulli dubium, quia inconsueta sunt hominibus, dæmonibus autem facilia: verum tamen nõ sunt signa certa, & indubitata, quia ab alijs causis, quam à dæmonibus prouenire possunt.

Marc. 9.

Primum quidem non esse indubitatum signum, ex eo patet, quia præfati clamores ingentes, aut belluini, possunt esse vel à naturali hominum vi, aut à phrenesi, vel ab [illegible] aut à dæmone assistente & v[illegible] hominem. Truculent[illegible] tus non semper inhabit[illegible] dæmonem indicat. Potest quis [illegible] infirmitate, aut naturaliter habere vultum horribilem: Insigne factum narrat Wierus *de incantationibus lib*. 1. *cap*. 12. *Quidam* (inquit) *Buscoducensis non dum deposita cacodæmonis persona, quam in fabula paulo ante adumbrauerat, vxorem suam cognouit: & illa grauida facta, talem postea partum edidit, qualem ipsa maritum personarum conspexerat.*

Tertium etiam *signum* non esse indubitatum certum est, cum interdũ à morbis caducis, aut similibus tales stupores, ac animi deliquia, somnolentiam, & huiusmodi prouenire soleant. Id *dico* de *quarto signo*, inquietudine scilicet, & appetitione solitudinis, crudelitate, quæ familiaria

sunt

sunt melancholicis, lunaticis, & huiusmodi. Medici asserunt has affectiones habere qui laborant morbo, quem appellant Lycanthropiam, id est lupinam insaniam. Ac denique neque *signum quintum* infallibiliter dæmonis ingressum prodit: audiuimus quosdam homines viribus pollere supra credulitatem audientium. Maximinus Imperator pugno equū percussum dentibus nudabat. Et nostris etiam temporibus multi ingentium virium reperti sunt; quos tamen non proinde obsessos esse dicimus.

Sextum etiam *signum* non euidenter prodit dæmonem inhabitantem: nam similes cruciatus patiuntur qui afficiantur Epilepsia, morbo Medicis noto. Hæc itaque signa, si non esse à causa naturali agnoscantur, non parum suspicionis ministrabunt à dæmone inhabitante esse. Sed de alijs signis certioribus dicamus.

4. *Abulen.* *Signa quinque* adduximus superius quæ Abulensi, *super octauum caput Matthæi, quæstion.* 14. visa sunt certissimè prodere inhabitantes dæmones in obsessis: quorum certitudinem accuratius lubet examinare. *Primum signum* est, linguarum scientia peregrinarum: quam si experiamur in homine aliquo, certum est à dæmone inhabitante possideri. Quod videtur aperte probari: nam ea expressio conceptuum idiomate peregrino necessario proficiscitur à natura intellectuali seu rationali, & non ab homine voces proferente: ergo ab aliquo spiritu, puta Angelo bono, vel malo: non est enim aliquod suppositum conceptus enuntians (præcipue lingua peregrina) nisi homo, aut Angelus. Minor vero, videlicet eam conceptuum enuntiationem lingua peregrina, non posse esse ab homine obsesso loquente: inde palam fit, quia omnia idiomata, & voces earum pro placito hominum sunt ad significandum, & exprimendos conceptus institutæ: ergo impossibile est homines ijs vocibus vti ad suos conceptus exprimendos, si ignorent placitum instituentium voces diuersas, pro diuersitate idiomatum: at supponimus linguæ peregrinæ voces, & eorum institutiones ignorare homines, qui illud idioma non didicerunt: ergo impossibile est homines suos proferre conceptus peregrina lingua: atque adeo fit consequens, ab spiritu aliquo inhabitante hominem necessario debere esse, siue ille spiritus bonus sit, siue malus: vterque enim omne genus linguarum probe sciunt propter subtilitatem ingenii, & propter rerum copiosam agnitionem.

Ex dictis confutatur delirium Leuini Lemnij, qui *libro secundo, capi. secundo de occultis natura* docet, melancholicos, & phreneticos, ex frequentissima humorum ebullitione, & vehementi spirituum agitatione, posse varijs linguis loqui, quamuis antea nullam earum nouerint. *Lemnius.*

Impossibile, & incredibile dogma: nam quomodo erit in ore, quod non fuit in mente? & quomodo in mente, quod non prius in sensu? at supponimus linguam esse peregrinam, quam non audiuit, non legit, non didicit homo. Item donum linguarum magno Dei munere Apostolis collatum est: ergo loqui alieno idiomate, quod quis non didicit, non potest esse à naturali morbo, aut alia naturali complexione.

Obijcies. Adhuc ex præfata argumentandi ratione non colligitur, eam expressionem conceptuum lingua peregrina esse à dæmone inhabitante, quia esse potest à Deo, vel ab Angelo bono: & esto sit à malo spiritu, non colligitur ex loquutione illa esse ab eo intus existente: satis est si assistat, & moueat linguam vexati per aerem concitatum, aut vero ab aliqua anima separata, quæ per os obsessi loquatur, & formet voces. *Respondetur:* ab anima separata nequit esse: tum, quia anima separata ignorat linguam, quam corpori vnita non didicit: tum, quia animæ separatæ non possunt ingredi aliorum hominum viuentium corpora, vt superius ostendi: neque illa loquutio potest formari à spiritu malo, nisi intus existat, eo quod loquutio necessario debet fieri motis organis interioribus, maximè pulmone, qui est præcipuum instrumentum formandarum vocum, eo quod ipse concitat aerem, & subtilizat: tum vt refrigeret cor: tum vt reddat aptum hominem ad formandas voces, quarum materia non est aer tam grossus sicut externus. Igitur vt dæmon loquatur per obsessum, necesse est mouere pulmonem: ac proinde esse intra corpus hominis, imo in ventre: & ob id obsessi per dæmonem loquentes dicuntur Pythonem, (id est spiritum malum) habere in ventre, 4. *Regum. vigesimo primo,* ergo erit ab aliquo spiritu siue bono, siue malo.

Et ideo libenter fateor, ex linguæ peregrinæ loquutione, non euidenter deprehendi inhabitantem malum spiritum, aut bonum; agnoscetur autem adiunctis alijs signis, de quibus diximus & dicemus: verbi gratia si adiungas loquutioni in lingua peregrina, loquentem obsessum pati vehementes cruciatus, si blasphemias, aut inhonesta loquatur, si ad tactus rerum sacrarum fugiat: certe à dæmonibus talis loquutio est, non à bono Angelo, aut Deo ipso. Item Apostoli, quando varijs linguis loquebantur, non inuiti, sed spontaneè id agebant: at à dæmonibus obsessi, velint nolint loqnuntur peregrina lingua. Item Apostoli quando varijs linguis proponebant Dei verbum, tam auditores, quam ipsi verba intelligebant. Obsessi vero nullo modo, quia nec idioma peregrinum norunt, neque quid significetur intelligunt. Est itaque signum quasi infallibile ad dignoscendum inhabitantem dæmo-

4. Reg. 21.

monem, loqui peregrinis linguis, si adiungas cætera quæ modo commemorauimus.

5 *Hieronym* Hoc signo iam pridem, & modo deprehenduntur dæmones obsidentes. Hieronymus *in vita Hilarionis* narrat candidatum quendam Constantij Imperatoris deprehensum esse à dæmone possideri; eo quod cum linguam Latinam & Francieam tantum nosset, tamen Beato Hilarioni Syro, quo ipsum rogabat sermone respondebat: & ita perfecto (teste Hieronymo) vt non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palestini deesset eloquio. Similiter dæmonium inhabitans mulierem Mediolanensem deprehensum est, quia mulier nunc Italica, nunc Ibera lingua loquebatur. Ita in vita sancti Bernardi, *libr. 2 capit. 4.* Et vnum mirabile narrat Sigibertus accidisse circa *Sigibertus* *annum Domini, 1122.* Nortberto namque Præmonstratensi exorcizante puellam dæmoniacam, dæmon irridens Cantica Canticorum à principio vsq; ad finē per os puellæ edidit & ad verbum in Romana, deinde in Teutonica lingua interpretatus est.

6 Quod dixi de loqutione in peregrina lingua, dicendum est de sciētia legendi, scribendi, aut arte cantādi, artificiose, etenim quando hæc non præcessere in obsessis, & postea ac si per multos annos in eis versati essent, in ijs faciles se præbent: signa sunt inhabitantis dæmonis, non minus, quam loqui lingua peregrina, & propter rationem iā factam. *Secundum signum* ad cognoscendum dæmonem inhabentem posuit Abulensis: si voce consueta loquantur: sed de rebus altissimis, quas non didicerunt, tunc enim ita diserte loqui nō potest esse nisi à spiritu inhabitante, propter rationem allatam in priori signo.

Hoc signum non probaretur Leuino Lemnio, & alijs Medicis, existimantibus hæc omnia posse homines in quibus melancholia abundat: quinimo eiusdem humoris viribus tribuunt diuinare, citra contactum mouere aliena corpora, excitare pluuias, & similia mirabilia. Alij Platonici alia via pergant, putantes animā omnia nouisse, sed immersam corpori, non omnia actu callere: at quādo aliquo casu quasi à materia diuagatur, aut à sensuum perturbationibus subtrahitur (cum à principio omnia nouerit) posse scire & fari quæ à nullo sensuū accepit. Sed de his delirijs Plat. non libet modo disputare quæ contra communem sensum sapientum procedunt. Quare de hoc secūdo signo iudicandū censeo sicut de priori allato ex Abulensi: & idem dico de quarto signo; quod est si de reb. secretis, quæ hominibus absconditæ sunt, loquantur. Pro quo sciendum est, occulta mortalib. esse in duplici differentia: *quædam* licet occulta sint his aut illis qui ea reuelant, sed tamen ex suo genere non sunt adeo ignota, vt ab illis sciri nō possint. *Alia* vero sunt, quæ impossibile est humano ingenio aut virib. sciri. *Priora* contineatur tribus temporum differentijs

rentijs: nam aut præterita sunt, vt res gestæ: aut præsentia; quæ tamen ob locorum distantiam homines non possunt scire: aut futura, quæ totum esse quod habent in suis causis habent. *Posteriora* sunt, quæ pendent ex hominum voluntate, & libero arbitrio. In his omnibus dæmones multa agnoscunt, quæ vel homines non cognoscunt, aut non possunt. Agnoscunt quæ modo in remotissimis Regionibus fiunt, quamuis illic non sint præsentes: norunt res olim gestas, & quæ post multa tempora euenient. Agnoscunt etiam quamplurima, quæ à libero arbitrio pendent; licet non tanta certitudine sicut priora, sed tamen vehementi coniectura, quæ fere ad certitudinem accedit: Nam cum illa sit nostræ voluntatis conditio, vt affectus sequatur corporis; moueatur etiam obiectis, & ad naturæ pondus se accommodet sæpe: dæmones, qui bene sciunt affectus nostros, & sciunt quæ mentis obiecta bona sint, & singulorum propensiones longa experientia obseruarunt: non mirum si multa norint futura vehementissima coniectura, etiam si pendeant à libero arbitrio.

7 Occulta igitur hæc si per homines reuelentur, hoc est, si referantur res gestæ, si propalentur futura; si quæ in remotissimis Regionibus fiunt, enuntientur; si hominum cogitationes, aut studia patefiant: necessarium est dicere id non posse fieri sine opera alicuius spiritus. Non tamen cogimur dicere hanc occultorum reuelationem esse à malis spiritibus, qui sunt intra obsessorum corpora: aut qui assistunt extrinsecus: nam possunt propalari à bonis spiritibus: imo neque cogimur dicere eam reuelationem fieri ab Angelis bonis, vel malis: nam potest fieri à Deo illustrante mentes hominum ea releuantium; sicut ait Diuus Petrus: *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti* DEI *homines.*

Quando ergo hanc occultorum reuelationem colligemus esse à dæmonibus? Quando reuelantur, quæ in Dei contumeliam, aut proximi iniuriam cedunt. Et neque ex hoc cognoscetur dæmones inhabitare istos reuelatores occultorum: nam à familiaribus, quos habent quidam, possunt hæc edoceri, & alijs hominibus reuelari. Ex quo infertur non omnes diuinatores esse obsessos à dæmone: quia possunt diuinare edocti à dæmone; quamuis ab eo non obsideantur.

Quapropter ex occultorum reuelatione, nisi alia adiungas, non cognosces dæmonem inhabitantem adesse istis reuelatoribus secretorum. At vero si adiungas *duo*, bene id colliges. *Primum*, si homines, qui hæc occulta reuelant, nullum pactum cum dæmonibus habeant. *Secundum*, si in eisdem reperiantur alia signa, quæ circa primum signum diximus. 8

ximus prodere inhabitantes dæmones: vti gratia, interni cruciatus, ac vehementes, vagi motus, proximis, & ſibi allata detrimenta, & ſimilia. *Tertium ſignum* eſt, ſi poſtquā ceſſant arreptitij vexari, & ſibi reſtituuntur: neſciant reſpondere de his, de quibus loquuti ſunt. Et quidem ſi hoc ſignum, vt iacet intelligatur, non certo prodit dæmonem inhabitantem. Etenim quam plurimos phreneſi, aut alijs capitis infirmitatibus laborantes cognouimus: qui actuali infirmitate detenti, à loquacitate vix cohiberi poſſunt: priſtinæ verò valetudini reſtituti; nil eorum, quæ loquuti ſunt, poſteà meminerunt: ac proinde præfatum ſignum ſine certitudine procedit.

Credo autem, Abulenſem illud intellexiſſe quando homo actualiter vexatus, profert mira, reuelat occulta: poſteà verò ceſſante actuali vexatione, non recordatur eorum, quæ dixerat; tunc enim (ait) eſſe ſignum dæmonis obſidentis hominem. Fortaſsè fundamētum huius eſt: quia ea loquutio occultorum, quam eſſe à ſuperiori ſpiritu diximus: non eſt à Deo, neque à bono Angelo, cùm vterq; quando aliquid homini reuelat, quid reuelet, edocet: nec reuelat, vt homo obliuiſcatur reuelatorum. Hic error fuit Priſcillæ, & Montani, qui dicebant Prophetas tanquam arreptitios non intellexiſſe quæ loquebantur: quod diuinæ reuelationi non congruit, neque ſanctorum Angelorum: ſecundùm quam mēs principaliter illuminatur, & memoria cōfortatur, vt non obliuiſcatur reuelatorum: neque eſt à dæmone docente exterius, ſicut ſolet docere Magos, non vt obliuioni tradant reuelata, ſed potius, vt memoria retineant: ergo quando homines cruciantur, occulta loquūtur, aut quæ captum hominum ſuperant: poſteà verò ſibi reſtituti non recordantur eorum, quæ dixerunt: ſignum eſt eòs à dæmone motos, quibus vtitur dæmon, vt inſtrumentis ſuæ loquutionis, non intelligentibus quæ loquuntur.

Fateor, nullam inuoluere repugnantiam, quod Deus, aut Angelus bonus vtatur eis, vt inſtrumentis loquutionis, non intelligentibus, quæ proferuntur: & tunc non eſt mirum dictorum non recordari. Rurſus poſſunt hæc fieri à dæmonibus, non inhabitantibus, ſed aſſiſtētibus: quare nō eſt omninò infallibile ſignum obſidentis dæmonis, id quod Abulenſis retulit. Probabile tamen, & certum adiunctis alijs, quæ ſupra notauimus adiungenda. Idem dico de quinto ſigno, id eſt, ſi flagellis plagati, ac prohibiti ne loqnantur, à loquacitate non prohiberi valent: nam etſi non leue argumentum ſumitur à dæmone cogi, vt loquātur: cæterum id fieri poteſt ab ingentibus aliquibus infirmitatibus, vt experiētia docuit: & idem effectus poteſt eſſe à Deo, vel bono Angelo.

Poſtremum, & meo iudicio indubitatum ſignum dæmonis obſidentis 9
ſumitur ex vſu rerum ſacrarum, qui

duplex est. Nam quandoq; iubentur dæmoniaci quædam proferre, aut facere, quandoque ab astantibus exorcistis quædam circa ipsos fiunt. *Prioris generis* sunt inuocatio diuini nominis, aut alicuius Sancti; prolatio sacratissimi nominis Iesu; Psalmi, aut alicuius deuotæ orationis recitatio. Si enim hæc facere recusent, non sine causa de dæmonio inhabitāte, aut assistente, plus quam suspecti sunt. *Posterioris generis* sunt si concutiantur, terreantur, impatientes fiant, blasphement adhibitis reliquijs Sanctorum, aut cereis imaginibus, quas Agnus Dei vocamus, aut Cruce frōti impressa, aut aqua lustrali asperso corpore, aut sanctissima Eucharistia adhibita; similiter si in aurem insusurratū fuerit: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Denique si exorcismos intentatos vel non ferant, vel impatienter ferant. His & similibus dæmones inhabitātes prodi facilè suadebimus aduertenti, harum rerum sacratarum vsum dæmonibus exosum; ac molestum esse. Et præterea non posse fieri, vt Christianus homo exhorrescat vbi hæc adhibentur: aut difficilé se præbeat, quādo suadetur, aut iubetur, vt proferat verba sacra, Cruce fronte muniat, aut supra se huiusmodi fieri permittat, maximè si inconditos clamores, & vllulatus edat, in insanos, ac furiosos motus prorumpat: isthæc enim, & impatiētia relata, ad dæmones inhabitantes referenda sunt, nō ad miseros obsessos, quorum hęc non sunt opera, sed dæmonū eis vt instrumentis passiuè se habentibus abutētium. Passim videmus dæmones obsidentes his prodi signis.

Nihilominus *vnum*, aut *alterum* de hac re producam exempla: vt recentia antiquis confirmemus. *Primum* sumitur ex Surio *tom. 4. in vita D. Bernardi, lib. 2. cap. 3.* Adducebat pater filium puerum ad sanctum virum, significās grauiter ipsum torqueri quotiescunque vel Ecclesiam ingrederetur, vel aqua consecrata aspergeretur, vel Cruce signaretur, vel Euāgelium audire compelleretur, vel diuinis cogeretur adesse Sacramentis. Astabat tunc forte viro sancto Sgerardus, hic volens experiri eius, quod à patre dicebatur, veritatē, occultè obsessum filium in dorso signo Crucis signat. Quid verò? Mox puer infremuit, & latens dæmon proditus est. *Surius.*

10 *Alterum exemplum* refert Rupertus Turonen. *in vita S. Heriberti Coloniensis Episcopi.* Accidit dæmoniacum quendam per varia Sanctorum loca recuperandæ pristinæ incolumitatis causa circumduci: sed frustra: tandem ad sanctum Heribertum venitur: hic eum iubet adesse supplicationi, quæ in palmarum Domini solemni ritu apud Catholicos peragitur: in hac cum Antiphona de Christi triumpho contra diabolum cantatur, dæmoniacus clamare, atque vociferari cœpit. Iubet Antiphonam repeti Antistes; sed repetitam non ferens spiritus obsessum hominem reliquit. *Ruper.*

DE PRAXI EXORCISTA-
rum, circa obsessos à dæmone.

1 POst ventilatas præcedentes quæstiones decreui methodum, ac normam summariè præscribere, qua vti debeant Exorcistæ, vt munere exorcizandi legitime, ac ritè fugantur. Ea est.

In primis quando vehemens coniectura vrget aliquem, vel aliquos à dæmonibus obsideri: vocãdi suntSacerdotes, si propè commorẽtur: aliàs si Sacerdotum non adest copia, Exorcistarum ordine initiati accersiendi. Tũc sic vocatus debet simul cũ sapientum consilio discernere, an vexati habeant inhabitãtem dæmonẽ: ne irrideatur cum dispendio sui honoris, ac dignitatis Sacerdotalis; exorcizando aliquos, qui potius cerebri, aut cordis infirmitate laborant, quàm dæmonum vexatione.

Caueãt tamẽ fideles, quibus cura obsessorum incumbit, ne vocent ad adiurandum obsessum, laicum aliquem (si copia adest Exorcistarum) quantumuis se iactet de pellendi dęmonia dexteritate. Cõmuniter enim huiuscemodi laici, ex pacto dæmoniaco, dæmonia expellunt: nisi integritas morum, & vitæ sanctitas eos commendet. Talibus enim siue viris, siue fœminis aliquando Deus donat gratiam eijciendi dæmones copiosam: sicut supra retulimus de Tripho. ne pastore anserum, de sanctis Birgitta, Genouepha, Catherina, Anatholia. Quicunq; autem vocetur nõ parum conducet meminisse eorũ, quæ dixi disputatione præcedẽti, examinando signa, quibus deprehendatur vexatos, à dæmone possideri, an non. Generant namque aliqualẽ suspicionem ferini, & agrestes mores; maximè si nõ insint à natiuitate, aut à barbara educatione. Similiter qui in nullo loco censent se esse tutos. Sed hæ coniecturæ, nisi alia adsint signa, ferè nullius momenti sunt: nisi vt Exorcistarum mens excitetur ad perquirenda alia certiora, qualia sunt barbaræ, & inconsuetæ voces, clamores, & vllulatus prorsus belluini, rugitus sicut Leonum, mugitus sicut Boum, latratus sicut Canum, & huiusmodi. Vnde ex latratu deprehensi sunt multi obsessi in Alexandria: quorum meminit Sigibertus *circa annum Domini 517. sui Chron.* Sigiber. Præterea stupor membrorum, & ferè omnium vitalium operationum priuatio, & quædam quasi perpetua somnolentia. Insuper truculentia vultus, & horribilitas, qui interdum à dæmonibus deformatur. Cuius rei spectaculũ satis deforme referebat dæmoniaca quædam, quæ vix naturæ humanę suppositum apparebat: (adeò deformata erat eius facies ab exitiali hoste) quæ à Bernardo liberata est, vt legitur in eius vita, *lib.* 2. *c.* 4 Nõ dissimile signum erit os spumans, & stridor dentium inusitatus.

Pręterea non mediocre signũ sunt vires, quæ excedere videntur facultatem hominum: maximè in personis aliàs imbecillibus, quæ actualiter vexatæ, facilè catenas frangunt,

gunt, vestes facilè lacerant, onera ingentia portāt: Hæc omnia plus quam suspicionem, aut leuem cōiecturam generant dęmonum inhabitantium: sed non vsque adeò infallibilia sunt, quin à causis naturalibus, aut morbosis affectionibus prouenire possint: sicut cruciatus extraordinarij, quos quidam patiuntur: verbi gratia, si conijciant se in ignem, aut aquam, aut ex alto se præcipitent, aut alijs vijs vitam sibi adimere tentent, aut vulnerare præsumant: de quo latius disput. citata.

Quare nec contradico Medicos peritos consulere ac Religioni Christianæ deuotos. Peritos quidem, vt iudicare valeant, an prædicta signa potiùs sint aliquorum morborum, quàm dæmoniacæ habitationis. Deuotos verò Religioni Christianæ: vt non irrideant dæmoniacos insultus; sicut quidam eorum faciunt, putantes deliramenta esse, quæ de dæmoniacis dicuntur: omnia adscribentes morbosis apparatibus. Modò dumtaxat aduerto; dæmones aliquando latitare in obsessis sine vllis cruciatibus. Sic credunt quidam sapientes, Anabaptistas quosdam hæreticos à dæmone esse obsessos sine vllis cruciatibus. Esse autem obsessos inde coniectantur, quia quidam eorum postquam reiecta Catholica fide Anabaptistæ fiunt, mox post haustum poculū, aut sumptam buccellam, scitè sacras literas legunt, ac disserunt in concione de rebus diuinis, &c. Quidam sacra Biblia memoriter tenent. Rursus ijdem, omnium quæ sciuerant obliuiscuntur, postquam ad fidem Catholicam redierint. Quæ signa dæmoniacorum esse inferius docebimus. Multo minus erit signum certum absentiæ dæmonis rarò cruciatus pati. Metaphrastes *in vita Partenij septima Februarij* narrat, quendam obsessum à dæmonio per multos annos, de dæmonio nil suspicatum fuisse, neque ipsum, neque alios: donec præteriens Sanctus Parthenius se prodidit dæmon inhabitans. Et *in vita sancti Germani* Fortunatus Episcopus, *capite 27.* narrat de quadam puella multis annis obsessa; nullam tamen molestiam sustinuerat à spiritu: hoc solum communis hostis efficiebat, ne templum ingressura progredi posset.

Metaphr.

Fortuna.

Sed ecce *certiora signa* demonstro: quando scilicet dæmoniacus lingua peregrina loquitur non vnum, aut alterum verbum: nam hoc garrulis euenire solet, sed continuatam orationem: maximè si verba inhonesta, iniuriosa, aut blasphema, siue impertinentia loquatur. *Secundum*, si occulta reuelet in proximorum iniuriam, Dei contemptum, aut futiliter sine necessitate. *Tertium*, si de rebus altissimis differant idiotæ, aut legant, scribant, cantent artificiose, cùm non didicerint. Hæc & similia ab inhabitāte dæmone fieri certum est. Multoque certiùs si ad tactum reliquiarum, impressionem Crucis, aut rerum sacrarum vsus clament, strideant, horreāt, fugiant dæmoniaci. Et ideò à principio 3

cipio debet Exorcista quantum potest cogere dæmonem ad ista signa ostendenda; ligando latenter aliquod sacrum super ipsum, putà reliquias Sanctorum, vel schedulam continentem verba Dei: ad cuius præsentiam, si obsessus huius rei inscius, nouitatem ostenderit, erit signum diabolicæ præsentiæ.

Sed aduerte, propter detractores huius artis: dæmones obsidentes corpora humana, rarissime loquũtur Latina, aut peregrina alia lingua; ne scilicet credantur ibi adesse: & etiam, quia vtuntur naturalibus instrumẽtis illorum, qui ab eis vexantur: & ideò dæmon obsidens idiotam, non facilè respondet Latinè: nec obsidens Hispanum facilè respondet Gallicè: quia lingua ad vnum idioma habituata, est illi obedientior, & ad motus illi placentes disposita.

4 Igitur præcedente diligenti cõsultatione prædicta: si exploratum fuerit, aut verò probabile, hominem à dæmone obsideri: accingatur Exorcista ad dæmonem, vel dæmones eijciendos: opus sanè arduum omnium opinione, & consensu. Hinc Apostoli admirabundi: *Domine* (inquiunt) *etiam dæmonia subijciuntur nobis*: & ad Apostolos Dominus: *Ecce dedi vobis* (non donum vulgare, aut futile, sed) *potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici.* & propter eiectionem dæmonum solo verbo: plerique Iudæorum opinati sunt eum esse Messiam. Et Luc. 9. in hanc vocem proruperunt: *Numquid hic est filius Dauid?* Luc. 9.

Exorcistæ igitur ad dæmones abigendos multis ornari, multis armari debent ad potentissimos hostes profligandos. Et in primis, conscientiam mundando peccatorum confessione: hanc enim vt suis conatibus contrariam dæmones valdè oderunt. Ieiunia assumenda hortatu Christi Domini ad Apostolos dicentis: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi oratione, & ieiunio.* Vbi etiam habes orationes feruidas esse fundendas pro incolumitate obsessorum, pro obtinenda victoria contra principes tenebrarum, pro impetranda gratia eiectiua dæmonum, pro fidei dono (quod est gratia gratis data) consequendo. Ita legimus aliquos Sanctos victoriam contra dęmones obsidentes obtinuisse. Nicetius Lugdunensis Archidiaconus vocatus ex Gallijs Romam, vt Leonis Romani Imperatoris filiam ab obsidẽte dæmone liberaret, noluit hoc opus aggredi, nisi post continuatum cum vigilijs, & orationibus triduanum ieiunium. Et quarta die per inuocationem diuini nominis, & Crucis vexillum spiritum immundum fœliciter à corpore puellæ depulit. Ita Gregor. Turon. *de gloria Confess. c. 63.* *Turonen.*

Exorcistæ itidem magnam fidem debent habere, non solum quod Deus potens est dæmonia profligare, verũ medianre eorum ministerio: insuper spem, ac fiduciã, id opus arduum efficiendi, non quidem innixã suis meritis, ac viribus: sed Dei po-

tentia, ac bonitate. Cui spei, ac fiduciæ annexa erit profunda humilitas: cui acquirendæ multum proderit, si Exorcistæ secum reputent (quod verissimũ est) in abigendis dæmonibus se habere vt mera instrumẽta Dei; & per consequẽs nil posse sine eius auxilio. Quinimò non vt instrumenta infallibiliter operatione expulsionem præfatam dæmoniorum: sed tantum quãdo Deus voluerit ijs vti: vtitur autem quandoque, & quandoque non.

Hinc sequitur Exorcistas nõ debere in eiectione dæmonum quærere laudari ab hominibus, sed dumtaxat Dei gloriam, & incolumitatem miserorum: ne perdant meritum, & incurrant peccatum, propter quod opus infœliciter succedat, & ipsi pœna graui plectantur. Sicut de quodam Exorcista narrat D. Gregor. *lib. 1 Dialog. c. 10.* qui ob sibi arrogatam virtutem eijciendi dæmonia, à dæmonio ipse possessus est. Insuper, quia dæmones humiles ferre non valent: vt constat ex exemplo superius allato de sancto Paulo simplici, cuius humilitate confusus dæmon discessit clamans se simplicitate, & humilitate Pauli coactum fugere.

Gregor.

His instructi armis, & præcipuè flagranti Dei amore, impauidi opus hoc arduum aggrediantur: quia timidos dæmonia non formidant. Pro fœlici tamen inceptione, progressu, ac successu, aliquot aduertentias exorcistis ob oculos ponere decreui, vt ritè ac legitimè suo fungantur munere, & ad optatum perueniant effectum.

Prima aduertentia pro exorcistis.

MOnẽdus est obsessus, si rationis est compos, vt exomologesi peccatorum purget suam conscientiam. Bono animo, ac fiducia sit, euadendi trucem inimicum, orationi incumbat, ieiunio vacet, (nisi debilitatus sit) & pietatem exerceat: ac denique ipsum debet instruere, vt se subijciat Deo, qui faciat quod ei magis gratum fuerit siue sanando, siue affligendo. Quod si quis quærat: an diuinissima Eucharistia sit ei porrigenda? 5

Quidam negant, dicentes, vexatos à dæmonibus non posse liberari, si communicẽtur existente super eos dæmone. Vulgaris assertio, ac impia, & sine vllo fundamento. Melius D. Thom. *in 4 dist. 9. ar. 5 quæstiunc. 2.* ait communionem esse denegandã dæmoniacis, nisi certum sit pro aliquo crimine à diabolo torqueri. Cui Petrus de Palude sic addit, *in hoc casu pro excommunicatis sunt habendi, qui traditi sunt Sathanæ.*

D. Thom.

Palude.

Hinc infero, quod si qui possidẽtur à dæmone propter sua crimina, dũmodo habeant lucida interualla, & vsum rationis, & postea conterantur de peccatis suis, ac debitè cõfiteantur: nullatenus sunt repellendi à sacra communione Eucharistiæ: quinimò vt salutare remedium crebrò adiungendum, vt admonuit Cassianus *collatione 7. cap. 30.* his verbis: *Communionem sacrosanctam, nequa-*

Cassianus

nequitiæ spiritibus traditam senioribus nostris nunquam meminimus interdictam. Quinimò etiam si possibile esset, quotidie impartiri eam debere, censebant: quæ ad purgationem, tutelamque corporis, & animæ peruenire credenda est. Et quæ ab homine percepta, eum, qui in membris eius insidet, spiritum, seu in ipsis latitare conatur quodam exurens fugat incendio. Hoc namque modo curatum Abbatem Andronicum nuper aspeximus. Insultabit offenso: cum eum à cœlesti medicina viderit segregatum. Tanto enim durius, & frequentius attentabit affigere: quantum eum ab spirituali remedio senserit longius abdicatum.

D. Bern. Hæc Cassianus. Et Diuus Bernardus hac medicina plures curauit arreptitios. A muliere Mediolanensi profligauit dæmonem, adiungens hanc orationem: *Adest inique spiritus* (inquit) *summa potestas, in eius virtute tibi præcipio, vt ab hac eius ancilla egrediaris.* Boneual. Ita Bonecuallensis *in vita D. Bernardi* D. Prosp. *lib. 2. capite 3 vel 4.* Et Prosper Aquitanicus *lib 6. de Sacerdotibus* eodem remedio liberatam fœminam docet. Brender. Et Brenderbachus *lib. 9. collatio. capite 22.* de quadam puella idem ostendit.

Secunda aduertentia.

6 SAcerdos, aut Exorcista in eius absentia indutus sacris vestibus suo ordini conuenientibus, aut superpellicio, & stola accedat adiuraturus dæmonem, vtaturque exorcismis, qui sunt in vsu Ecclesiæ Romanæ, aut alijs Ecclesijs à pastoribus sapientibus gubernatis; deuitans aliàs exorcizandi formulas, in quibus multi abusus, multæ interdum superstitiones irrepsere. Caueatque Exorcista, ne immisceat verba ignota: nam hæc solent Magi adiungere sanctis verbis, & docere tantum suos discipulos, & secretò insusurrare in aures dæmoniacorum. Hæc omnia cauenda sunt: quia vehementem generant suspicionem pacti dæmoniaci: & iam pridem ea damnauit sanctus Chrysostomus. Chrysost.

Non autem scandalicetur quispiam, si audiat proferre exorcista quædam verba, quæ auditori sunt ignota: quia interdum sunt nomina sancta Dei, aut Christi: quorum multa recenset Diuus Hieronymus Hierony. *in epistol. ad Marcellam, tom. 3.* quare Ghirlan. immeritò scandalizatur Paul. Ghirlandus *tractatu de sortilegijs* reijciens, vt superstitiosa ista nomina: *Agios, Otheos, Ysquiros, Athanathos.* Et ait, quod sæpius illa abstulit è manibus maleficorum, & dicit ea significare, *Deus Acharon, Deus immortalis: & clarum est* (inquit ipse) *quod hoc nomen Acharon est nomen Sathanæ, siue Beelzebub.*

Fallitur Ghirla, aliàs doctus, & pius, nec eius expositio vera est, nec vsus horum verborũ superstitiosus. Quod clarum est consideranti Ecclesiã Catholicã his verbis vti in die Parasceues ad implorandam Dei misericordiam. Consultius putarem ab omni vocabulo peregrinæ linguæ, vt Hebraicæ, vel Græcæ abstinendũ; nisi sit

in vsu frequenti fidelium, vt *Kirie eleyson*, & similibus: tum propter scandalum multorum ignorantium significationem eorum verborum: tum, quia vix Exorcista poterit ea verba cum perfecto stridore sonare, & facilè erit in barbara verba declinare. Certè quodcunq; Dei nomen, quæcunq; preces, quiuis adiurandi modus in lingua Latina, aut vulgari, nō minoris efficaciæ est aduersus dæmones, quàm verba Hebraica, Chaldea, aut Græca: quare ab ijs abstinendum propter rationes allatas.

Tertia aduertentia.

7 NOn solum exorcismi adhiberi solent, & debent: verum & alia media, quæ superius diximus valdè conducere ad dæmones fugandos: putà Sanctorum reliquiæ, Crux, aqua benedicta, cereæ imagines (quas Agnus Dei vocamus) aliquot amulleta, id est schedulæ, continētia nomina, & verba sancta, absque vlla admixtione superstitionis.

Circa quæ, maximè circa applicationem reliquiarū, sit cautus Exorcista: quia interdum dæmones simulāt se timere ea, quæ non sunt veræ reliquiæ, vt imminuant fidem verarum reliquiarum, & aliorū mediorum ab Ecclesia vsitatorū. Quare debet adstātibus propalare has astutias: similiter docere non esse necessarium, vt semper istis medijs fugentur dæmones: sed quādo Deo benè visum fuerit: iuxta ea, quæ docui in primo mēbra huius tractatus agens de efficacia horum mediorum.

Quarta aduertentia.

DÆmoniacorum *quidam* ante ingressum dæmoniorum laborant quibusdam morbis melancholicis, aut quibusdam maniæ speciebus: verbi gratia, morbo caduco, lupina insania, & huiusmodi. Dæmones autem, qui huiusmodi insidiantur, vt paratioribus ad desperationem, & insaniam, tales occupant, & mediantibus illis morbis torquent, ac vexant. *Alij* sunt, quos morbosis succis, aut qualitatibus, suo ingressu affliciunt, ac eisdem miseros arreptitios affligunt. *Tertij* sunt, quos per solum motum localem constrictionis, aut dilatationis membrorum plus nimio affligunt. 8

Omnes hi ingēti mestitia perfunduntur: maximè *duo priores*: & ideò vtile censeo sine scrupulo superstitionis (vt quidam nimis timidi censent) vti quibusdam naturalibus remedijs ex præscripto Medicorum contrarijs melancholicis morbis, aut affectionibus: non quia hæc habeāt vim pellendi dæmonia, vt docui disputatione vltima primi membri: sed quia dum aduersantur melācholicis morbis, aut mœstitiæ conceptæ ex afflictione dæmonum, alleuiant magna ex parte à cruciatib. miseros obsessos, faciuntque leuius ferre, & aliquando vt dæmones inhabitantes spontè recedant propter ingratam habitationem: sunt enim sibi grati melancholici, mœsti, ac desperati homines.

Quapropter consulerem ego non solum

solum hos vti pharmacis destinatis contra eos morbos, quos patiuntur, verum & gestare lapides pretiosos, herbas, radices, & huiusmodi: quæ iudicio Medicorum melancholiam sanant, aut mitescere faciunt, aut lætitiam conciliant, vt superius docui ex Diuo Hieronymo. Insuper adesse musicæ festiuæ, & hilari, exemplo Saulis, qui audita cythara Dauidica lenius ferebat dæmonis molestias: modo musica sit honesta, læta, aut de rebus diuinis, aut indifferentibus. Nam cantilenæ, aut saltationes obscœnæ, inhonestæ, aut leuitate plenæ, potius retinent dæmonia, quàm eijciant.

9 Et propter eandem causam quidam non inutile iudicant balneis vti: quia (vt aiunt periti Medici) melancholici morbi (quales plerunque sunt, quos dæmon arreptitijs conciliat) nullo auxilio magis quam balneis curari solent. Nec superstitiosum censuerim id, quod ab Hippocrate, *libro de morbo sacro* notatum est, à cibis quibusdam abstinendum, velut ex marinis, à Mulio, & Melauro, Mugilique, ac Anguilla. Ex *carnibus* vero, à caprina, ceruina, suilla, ac canina Ex *volucribus* à gallo, turture, ac otide. Ex *oleribus* à menta, allio & cepa. Nec in caprina pelle decumbendum, neque eandem gestare oportere. Omnes hi cibi ob crassitiem, aut melancholicum substantiæ modum, aut acrimoniam, noxi sunt melancholicis. Nigro indui pallio, aut pelle caprina similiter. Abstinentia ergo à prædictis medetur affectionibus melancholicis, quibus dæmoniaci abundant: & ob id aliquo modo alleuiant obsessorum molestias: quare vtile erit ab eis cauere.

Demum aduertendum est valde pium ac vtile esse, omnia, quæ mandenda, aut bibenda sunt à dæmoniacis, benedicere, non solum vulgari benedictione quam ante cibum, & potum quique morigerati fideles solent præmittere: sed etiam benedictionibus specialibus in Sacerdotali compositis pro quacunque re peculiariter benedicenda. Præcipue autem benedicenda, & exorcizanda est aqua bibenda: quam efficacem ad dæmones fugandos celebrauit antiquitas, vt superius docui, & experientia compertum est. Diuus Bernardus aquam benedictam bibendam dedit puero obsesso, per triennium bibit, & liberatus est. Idem de alio dæmoniaco narrat Surius *in historia inuentionis sancti Celsi, cap. 11. tom. 7.* & de sancto Laurentio Dublinensi, poculo aquæ benedictæ alium sanasse refert *tom. 6. in eius vita.* Surius.

Quinta aduertentia.

QVidam exorcistæ solent dæmoniacis applicare quædam graueolentia: vt eorum suffitibus dæmones inhabitantes torqueantur: v. g. suffitum cornu, aut stercoris caprini, rutæ, & similium Nec laudo, nec reprobo, fortè consuetudo toleranda est: vel quia hi suffitus (licet à dæmonibus, qui olfatus expertes sunt non percipiantur, vt afflictiui) tamen qui- 10

quibusdam maniæ speciebus mederi solent; ac proinde dæmoniacos quodam modo à melancholia alleuiari, iuxta dicta in præcedenti aduertentia.

Vel vt alij existimant, quia dæmones, vtpotè superbissimi, hæc in sui contemptum exercita, ægrè ferunt. Leuis coniectura, leue remedium, quia alia medicamina contra atram bilem suauiora, & efficaciora, & licèt superbissimus hostis sit: scit ista irridere. Quare si volueris hoc remedio vti: cautus esto, & temperatè vtere: ne dum putas dæmonem torquere, miseris obsessis nouas torturas adaugeas.

Sexta aduertentia.

11 VErsabitur circa verba, quibus Exorcista debet dæmonem impetere: caueatq; ne cum eo alios sermones misceat, nisi quos iudicauerit necessarios ad dæmonis eiectionem. Quæcunque alia confabulatio cum exitiali Dei hoste illicita est, & periculosa, & ad minus veniale peccatum.

Poterit ex parte Christi interrogare potestatiuè, vt dicat, Vtrum sint multi, vel pauci obsidentes, nomen eius, & sociorum. Exemplo Christi Domini Matth. 5. interrogantis dæmonem: *Quod est tibi nomen?* Ad eius imitationem Theodorus Archimandrita (teste Georgio presbytero *in eius vita*) præcepit dæmoni, qui viginti & 8. annis puellã quandã miris, & occultis modis torserat, vt se proderet. Licet interrogare causam ingressus: vt hac (si tolli potest) remota, minor sit spirituum in homines potestas, faciliusq; pelli possint. An ibi dæmon, vel dæmones sint ligati aliquo pacto, vel maleficio, & quomodo illud possit destrui. Quis eorum sit princeps in illo corpore. Si talis persona sit verè vexata, & à quo tempore. Per quã personam sint expellendi. Qui sunt sibi magis inimici in cœlo. Licet etiã signum discessus sui postulare: vt de obtenta victoria constet, & similia. Denique omnia, quæ viderit expedire ad eorum expulsionem. Non tamen erit licitum à dæmone interrogare aliquam veritatem, neque de rebus naturalibus: verbi gratia, virtutem talis herbæ, aut lapidis pretiosi, solutionem dubietatis Physicæ, aut Medicinæ, aut Astrologiæ: neque de rebus diuinis, aut supernaturalib. neq; licet interrogare de furtis, adulterijs, & alijs occultis: talium interrogatio periculosa & illicita est, pertinens ad societatem dæmoniacam.

Septima aduertentia.

VLtra præcepta, quæ in exorcismis à Romana Ecclesia in sacerdotali exarata sunt ad imperandum dæmonibus, vt à corporibus hominum egrediantur. Pauca superaddenda erunt, ne Exorcista vltra modum suæ potestatis extendatur. Quapropter, quia quandoque dæmoniacus non sustinet, aut non vult audire exorcismos, vel quando multis exorcismis vexatus dęmon non vult recedere: præsumitur alios dæmones forinsecus aduenire in adiutorium obsiden- 12

ſidentis, vel obſidentium: licitum erit in virtute à Chriſto tradita, adiuuantes non minus quam adiuuatos adiurare: præcipiendo ne vllum auxilium, vel fauorem obſidentibus impertiantur. Licitum etiam erit, iubere & indicere ſilentium: maximè quando garriunt in aſtantium, vel aliorum iniuriam. Imò etiam ſi loquantur veritates certiſſimas, non ſunt audiendi Exemplo Saluatoris, Marci *primo*, & Lucæ *quarto*. Vbi dicitur dæmonem per os obſeſſi clamaſſe, *Scio quod ſis Sanctus Dei*. Cui Dominus: *Obmuteſce, & exi ab homine* Ex quibus verbis documentum ſalubre nobis datur nunquam audiendi dæmonem etiam vera dicentem: quià ſi paratos, & auidos videat auditores: veris falſa intermiſcebit.

Marc 6.
Luc 4.

Quapropter illi Exorciſtæ, qui cum dæmonibus coram multis adſtantibus prætexunt varias, & prolixas confabulationes, ſine vrgenti neceſſitate; non abs re pacti dæmoniaci ſuſpecti ſunt. Et quandoque poſt multos cum dæmone ſermones, ad ſuum tribunal tali die, & hora iubent venire. Et in ſignum futuræ aſſiſtentiæ aliquod ſenſibile ſignum edere. Quid inde? adſtantes, percupidi audire, & videre aliquid noui: hora, & die ſtatutis accurrunt audituri. Quod valde cupit dæmon: habere, ſcilicet auditores, quibus ſi non prima vice, alijs ſaltem perſuadet aliquod mendacium velo veritatis occultatum.

13 Quinimo aliquando dæmon dicit, ſe eſſe animam alicuius defuncti implorantem auxilium Miſſarum, orationum, & huiuſmodi: vt decipiat vulgus rude, & ſimplices Chriſtianos: non eſt audiendus, neque illi adhibenda fides; quia vt ſuperius docui in diſputatione prima ſecundi membri, animæ hominum non poſſunt intrare hominum viuorum corpora, vt vexent: dæmon eſt, qui loquitur, & ſuadet opera pia; vt ſub virtutis prætextu ſimplices decipiat varijs, & miris modis, quos ignoramus.

Mirabile exemplum de hac re narrat Ioannes Iacobus Wekeius in hunc modum; *Monachus quidam Abbatiæ Knechteſtein integer, & ſimplex agitabatur multis modis circa annum Domini* 1550. *à quodam ſpiritu: nam interdum rapiebatur ſub tectum; interdum ſupra campanile, pleruſque tranſferebatur per murum: quandoque proiiciebatur in piſcinam. Tandem cauſam tam diutinæ vexationis explicuit ſpiritus nequam dicens; ſe eſſe Abbatem Mathiam ante multos annos mortuum, & ſepultum, & ob id torqueri, quod ſuſpenſam D Virginis effigiem exquiſitè depingi curauerit; nec fuiſſe ſatisfactum pictoris laboribus, & impenſis, qui inde iacturam ſenſerit, ac ſibi ipſi vim fecerit. Tota hæc narratio vera fuit. Subiungebat ſpiritus ille hoc delictum non poſſe expiari, nec ſe vlla ratione liberari, niſi Monachus ille, qui torquebatur, peregrinationem ſuſciperet ad quadam templa deuota, quæ ipſe deſignabat, atque ibi tres Miſſæ de Trinitate ſcilicet, de Beata Virgine, & de tempore recitarentur. Conſulti ſunt* *Vvekeius.*

Theo-

Theologi Colonienses, & annuerunt. Insuper & Monachi magnis clamoribus postulabant ab Abbate, qui tunc non præerat Monasterio, non bis, aut semel, sed pluries. Ipse vero Abbas vir acriori ingenio, ac maiori doctrina imbutus quam cæteri, noluit acquiescere petitionibus: sed potius vbi dæmonem perseuerare, nec Monachum illius illusionibus satis fidenter resistere animaduertit: ipsum demum hortatus est, ne pronas offerret aures Sathanæ, quod si offerret minitatus est se illum flagris in publico capitulo seuerissime cæsurum. Quapropter spiritus nequam videns suos irritos conatus ob Abbatis constantiam, & animum Monachi magis erectum fiducia in Deum aduersus fraudulenta dæmonis studia, recessit. Itidem apud Cæsarium legitur dæmonem quendam familiarem (vt vocant) à quodam milite clientulo suo pro mercede pepigisse quinque solidos, & iussisse ex illis pauperi cuidam Ecclesiæ campanam emi; qua diebus Dominicis fideles ad Missam conuocarentur: haud dubie latebat fraudis aliquid, & spes lucri maioris: quod nescimus; scimus autem spiritum nequam, nil nisi peruerso fine peragere: quapropter nullum etiam bonum opus eorum, quæ suadet facienda, operi mandanda sunt: nec Religiosus Exorcista patietur dæmonem per obsessi verba aliquot, nisi ad legitima interrogata respondendo effutire.

Cæsarius.

14 Similiter non licebit Exorcistis præcipere Lucifero, & potestatibus infernalibus, vt dæmones obsidentes contumaces, & Exorcistis inobedientes educant cum tota sua societate à corpore obsessorum, eosq; excrucient in inferno. Hoc dictum est contra fratrem Hieronymum Mengum Vitelianensem in opusculo vocato *flagellum dæmonum documento*. Sed *probatur* nostrum assertum; quia non licet vti opera dæmoniorum etiam ad vitanda mala: ergo neque opera Luciferi ad expellendum obsidentem dæmonem. *Confirmatur.* Quia modus iste eijciendi dæmonia per aliorum dæmoniorum inuocationem, aut iussionem, proprius est Magorum, & Incantatorum: ergo pius Exorcista neutiquam debet illum exercere.

Mengus.

Præterea *aduertendum*. In quibusdam exorcismis video formulam præcipiendi dæmonibus hæc, & illa, sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, & sub pœna immersionis in stagnum ignis per annos mille. Modus iste displicet: nam *prior pœna* excommunicationis dæmonibus non quadrat: cum enim ipsi non sint participes communionis Ecclesiæ, neque in pœnam possunt ea priuari; hoc enim est excommunicatio: tum etiam, quia excommunicare ad claues pertinet, quæ erga dæmones non se extendunt, sicut neque ad animas à corporibus separatas. *Secunda* vero *pœna* de immersione in stagnum ignis, & sulphuris per annos mille: verba sunt deprompta ex *cap. 20. Apocal.* vbi sic dicitur: *Et vidi Angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem anti-* 15

Apoc. 20.

antiquum, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille: & circa finem capitis: *Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis*. Quæ verba intelligenda sunt de Christo mittente in abyssum principem dæmoniorum, vt ex Gregorio, & Augustino interpretatur Franciscus à Ribera super eum locum. Sed inde non colligitur, Exorcistas eam habere potestatem erga dæmones obsidentes. Fortasse poterunt relegare in desertum sicut Tobiæ 8. narratur de dæmone Asmodæo ligato ab Angelo Raphaele in deserto Ægypti: similiter & eijcere extra Regionem. Sed includere in abyssum pertinuit ad Christum propter potestatem excellentiæ, quæ data est ei in cœlo & in terra. Hi autem Exorcistæ, qui ex simplicitate, aut quia ita à maioribus didicerunt, hac forma excommunicandi vtuntur, excusandi sunt, ac interpretandi.

Ribera.

Tob. 8.

Cum enim inter Ecclesiasticas pœnas omnium maxima sit excommunicatio, & Ecclesia in dæmones tanquam in contumaces hostes ius à Deo habeat: quando eos excommunicant Exorcistæ, summam illis pœnam comminantur, & illis summè exosam, nempe relegationem in abyssum, vel extra regionem, vel quid simile: de quo supra. Videatur *liber secundus vitæ* D. Bernard. *c. 6.* sed tamen melius est à nomine excommunicationis abstinere propter sapientes, qui non vocant talem relegationem, ex communionem, neque ita vocari debet.

Octaua aduertentia.

16 Modus adiurandi & imperandi dæmonibus, vel eos interrogando, debet esse vehemens, durus, & nullatenus amicus. Tum, quia superbissimus hostis vix potest ferre ab hominibus tam imperiose tractari: tum quia in hoc sequemur exemplum Christi, Domini Apostolorum, & aliorum Sanctorum. De Christo dicitur Matt. 7. *Et increpauit illum* (dæmonem) *Iesus*. Et Marc. 9. comminatus est spiritui immundo dicens: *Surde & mute spiritus ego præcipio tibi vt exeas ab eo*. Et de Apostolis, præsertim de D. Paulo, *Actuum 16.* legitur, quod adiurans spiritum nequam dixerit: *Præcipio tibi in nomine Iesu exire ab eo.* Et de sancto Laurentio Iustiniano Venetorum Patriarcha refert Bernardus Iustinianus *in eius vita*, quod dæmonem spumantem ore, & dentibus frementem durius increpauerit, & quasi probrum obiecerit, quod infirmam mulierem fuerit ingressus. Et ratio ad idem suffragatur: quia ad exitiales humani generis hostes, quomodo debet esse mitis, ac amicabilis sermo?

Matt. 7.
Marc. 9.
Actor. 16.
Bernard. Iustinia.

17 Fortasse ex his inferunt quidam, dæmones ab Exorcistis esse impetendos conuicijs, ac maledictis, tanquã Christi, & hominum hostes; non abnuo: quia hæc in sui dedecus & opprobrium exercita, ægrè fert dæmon, & fortasse his irritatus aliud sibi gratius quæret domicilium. Vnum non concesserim contra quosdam asserentes dæmonibus esse impo-

aenda nomina irrisiua, vt si vnus vocetur stabularius, alter pistor Beelzebub, alius coquus Acherontis, & similia epitheta, vt confusi discedāt. Credo tamen his ludicris epithetis, potius detineri dæmones, quam expelli: quia his auditis adstantes in risum conuertuntur, & spectaculum lachrymis dignum, & ad compunctionem, & orationem prouocatiuum, fit occasio iocorum, ac cachinorum, quod valde amant dæmones & non solet fœliciter cedere Exorcistis his facetijs, vt narrat Ioannes

Nider. Nider *in formicario cap.* 11. Nec vnquā legimus his epithetis facetosis Sanctos in expulsione dæmonum esse vsos. Verbis duriorib. sed grauibus, eos increparunt. Sanctus Bernardus appellabat Bestiam cruentam, alij draconem, serpentem, furem. Pru-

Prudent. dentius Poeta Christianus sic:

Intonat Antistes Domini: fuge callide serpens
Exue te membris, & spiras solue latentes,
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.

Facit etiam pro hoc, quod refert

Athanas. Athanasius de D. Antonio increpante dæmones. Alij insusurrant auribus dæmoniacorum illud *ex cantico* Moysis: *Deum, qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

Nona aduertentia.

18 IN hoc opere arduo pellendi dæmones non debet Exorcista suis confidere viribus, aut sapientia: quia eiectio dæmonum, opus est mirabile, soli Deo vt causæ principali adscribendū: exorcizanti vero vt mero instrumēto, quo vtitur Deus quando & quomodo vult, non enim est volētis, neq; currētis, sed Dei quādo vult miserentis. Aliquando autem non vult ministerio huius Exorcistæ id perficere, sed alterius, qui ob id non debet de se præsumere, iuxta illud: *Numquid gloriabitur securis contra secantem se?* Huiusmodi autem inanē præsumptionem, & media extraordinaria ex ea emanantia, solet Deus punire; vt videre licet *in fornicario* Ioannis Nider *c.* 11. Ex dictis tamen non infe- *Nider.* ras me asserere, omnibus æqualem suppetere gratiam eijciendi dæmonia: licet enim omnibus Exorcistis ęqualis in sua ordinatione collata sit potestas abigendi dæmones per adiurationē: quia tamen vsus huius potestatis consistit in Dei motione voluntaria ac libera largientis sicut vult & quando vult, aliquibus frequentius eam confert quam alijs, vel quia melius se disponunt ad eam recipiendam, vel propter secreta iudicia suæ prouidentiæ, de quo *superius disputatione* 4. *primi membri.*

Quare non reprehenderim eos, qui agnoscentes se hoc diuino munere magis donari, quam alios, frequentius officium exorcizandi exercent: nec eos qui auidius obsessos adiurandos eis committunt. Hoc dixerim contra Petrum Ciruelo Ca- *Ciruelo.* nonicum Salmantinum *in opusculo contra superstitiones p.* 3. *cap.* 8. vbi oppositum huius conatur persuadere.

Decima aduertentia.

19 EXorcista debet habere patientiã, & perseuerantiam non mediocrem in coniuratione, ne scilicet desperet de victoria obtinenda, quamuis videat dæmones reluctari & nolle egredi, caueatque ne dæmon agnoscat in eo aliquot signa diffidentiæ fœlicis euentus: quia superbissimus hostis insolescet, & nitetur obnixè non ingredi ab obsesso. Sæpe adiurandus est dæmon per singulos fere dies, & qualibet vice moleste nimis per quatuor, aut quinque horas: exemplo Sanctorum, quibus contigit insudare per multos dies, ac menses in vnius obsessi liberatione.

Pro cuius aduertentiæ ampliori intelligentia notandum, præcepta adiurantium aduersus dæmones nullam habere coactiuam vim, nisi quam Deus his præceptis largitur: & quamuis Deus possit Exorcizanti communicare vim, vt statim ad eius præceptum dæmon eijceretur, non semper talem vim communicat: sed interdum sinit dæmonem in sua libertate, an velit obedire, nec ne: sicut & homines quibus Deus aliqua præcipit. Sed tamen sicut hominibus adhibet stimulos, vt velint obedire per prædicatores, aduersitates, & huiusmodi: ita etiam spiritibus nequam stimulos addit, quibus vrgeantur obedire Exorcistæ nomine Dei præcipienti egressum: stimuli sunt, aqua benedicta, effigies Crucis, reliquiæ adhibitæ: stimuli etiam sunt, exorcismi, quibus affliguntur, interdũ gradatim ac paulatim, sicut igne infernali posset fieri, & sicut posset homo torqueri vt cederet loco. Sed aliqui dæmonum sunt duriores, & ad sustinẽdas afflictiones fortiores: qui adhuc perseuerant illis inflictis torturis. Si tamen finaliter non cedunt: vim coactiuam Deus exorcismis largitur, quando iudicat expedire; quã posset dare in principio si vellet, nec posset dæmõ resistere ei: quare instãter & importunè debet perseuerare Exorcista, exorcismos iterum atque iterum, imo sæpe iterando, & orando Deum, vt vim suam eiectiuam illi impertiatur ad hostes exitiales profligandos. Quod si post magnam perseuerantiam adiurationes non sortiantur optatum effectum, patiẽtiam habeat, & det laudem Deo: qui sicut dedit Sacerdotibus ac fidelibus potestatem dæmones adiurandi, interdum nostros exorcismos non vult habere fœlicem euentum, nec in egressu obsidentis dæmonis, nec in manifestatione sui nominis, aut alijs, quæ illis præcipiuntur: hocque facit propter multas causas, quas ad longum enumeraui supra: & modo summatim dico, propter paruitatem fidei circumstantium, aut ipsum obsessum offerentium, vel propter peccata vexatorum, aut propter negligentiam, aut aliquod vitium in fide ipsorum Exorcizantium, aut propter purgationem, aut meritum patientium vexationem; quos esse viros iustos interdũ contingit à Deo afflictos

illo ingenti malo pœnæ: à quo Deus nos liberet: demum propter Dei iudicia hominibus ignota.

Quapropter qui prædictis licitis remedijs liberari non valent, ad patientiam, & tolerantiam commonẽdi sunt in remissionem suorum peccatorum, & ne ad illicita remedia contra Dei voluntatem recurrant: ne eis deteriora contingant, non solùm in anima, verum & in corpore: sicut sæpe contingere consueuit his, qui videntes licita remedia non profuisse, ad illicita recurrunt.

Vndecima aduertentia.

20 VErsabitur in explanandis astutijs, quibus conantur dæmones obsidentes Exorcistas decipere: de quibus agitur in *Sacerdotali c. 8.*

Quærit dæmon sæpe quantum potest latere, & à loquutione vel tremore continere: interdum ne deprehendatur in homine adesse, interdũ vt videatur fortis & impauidus stare ante Exorcistam, vt sic desperet de victoria contra illum. Si vero cogitur virtute diuinorum verborum tremere: caueat Exorcista ne loquatur dæmon interius ad mentem obsessi: quod si interius loqui cogitur: caueat ne ipse per os loquatur obsessi: & ideo Exorcista arreptitium moneat sibi dicere quidquid interius dixerit versipellis; ipsum verò frequenter adiuret vt ad interrogata respondeat.

Vbi verò dæmon fuerit cõactus exterius loqui: quærit quantum potest auertere mentem obsessi à verbis, quæ leguntur, & similiter mentem suam. Quærit quoque attentionem Exorcistæ perturbare per verba scurrilia, per gemitus, per clamores, vel excitando adstantes ad risum, & similia. Et ideo Exorcista cognita malitia, conetur ad oppositum, & semper imperet hosti virtute Dei, vt desistat ab hoc, vel illo, &c. Nonnũquam etiam, cum mulier quæ adiuratur fuerit iuuencula, fingit se ægre ferre Sacerdotem tangere vultum eius; cum tamen cupiat, vt vehementius tangat, & inde fœminæ accrescant libidinosæ cogitationes: & ob idem fingit se ægrè ferre Exorcistam, dum loquitur, nimis appropinquare ori: intendit autem astutus hostis, vt vultum vultui magis appropinquet: & ideo Exorcista oculis, & manibus, & omnibus motibus exhibeat se pudicum, & cautum, non solùm propter se ipsum, sed etiam propter offensam, & adstantes.

Solent etiam subtrahere se ab ore 21
obsessi, in quo loquebantur, & abscondere in corde, vel alijs partibus: Sacerdos autem conetur spiritum retinere: ad quod valde conducunt ista verba: *Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ*: cum signo Crucis super frontem, vel caput obsessi; & ille Psalmus; *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem*: & similiter debet præcipere potestatiuè, vt hæc & illa faciat, ac respondeat.

Præterea debet iubere Exorcista exitum omnium dæmoniorum, & ne introducant expulsos, sed tota acies

dam-

damnata exeat nunquam reditura. Postquam verò exiuerint (vt Christus Dominus in Euangelio dixit) quærunt denuo intrare, & varijs modis tentant liberatum, etiam de minimis, maximè circa honestatē: quia interdum etiam pro venialibus reingrediuntur. Et ideò persona liberata vigilet, incumbatque orationibus per multos menses, & frequentissimè communicet, saltem omni die festo: & si est persona coniugata socium ad continentiam quantum potest per aliquod tēpus inducat: quod si nequit persuadere, saltem ipsa non sit libidinis causa: aliàs fortasse denuò fatigabitur.

Solent etiā dæmones post egressionem (quantum valent) persuadere personam liberatam nō fuisse obsessam: ob id videlicet vt sit Deo ingrata, & iterum à dæmone possideatur. Solent etiam egressi quantum possunt persuadere ne credantur egressi propter rationem factam, nec illis difficilis est suasio per aliquot effectus, quos relinquunt, aut imprimunt corpori. Sed contra hos Sacerdos lecturus exorcismos præcipiat eis in virtute Dei ne ostendant se obsessores esse, si non sunt: & liberatum moneat pro virili ad credendum se liberatum, & Deo gratias reddendas. In coniuratione autem, vbi senserit serpentem sub manu consecrata cōtremiscere: mandet obsesso, vt quæcunque spiritus sibi dixerit manifestet, & vbi spiritus cœperit loqui in obsesso, incipiat illum iterum adiurare de supradictis, interrogando vt videbitur necessarium.

22 Postquam autem Exorcista habuerit à dęmonio omnem confessionem expetitam, semper adiuret illū vt exeat; & post singulas adiurationes debet interrogare, an velit exire. Quando verò dæmon dicat, se velle exire: debet Sacerdos præcipere, vt nullū ex socijs in obsesso relinquat, neque amplius ad illum reuertatur, & super hoc exigat promissum: nec tamen cum hoc vel aliud præceperit Sacerdos statim cedat, si dæmon obedire recusauerit, sed verbis, præceptis, & adiurationibus iteratis, & stimulis, & importunitate, ab eo exigat obedientiam. Super omnia verò semper conetur, vt diabolus non habeat requiem, semper eum vrgendo, vel lectione, vel præceptis, vel alijs modis, de quibus diximus: valdè attendens, ne labatur ad colloquium curiosum: quia diabolus ex hoc magnas vires assumit, spiritus autem Sacerdotis vel perditur, vel remittitur.

Duodecima aduertentia.

23 Absque vrgenti necessitate non debet Exorcista adiurare quempiam in domibus priuatis: maximè si ibi adsint fœminæ, quæ meticulose, & facilè credunt quæ à dæmonio dicūtur. Locus magis congruus est Ecclesia, vbi Sanctorum reliquiæ, Cruces, imagines, res sacratæ: quæ omnia exosa sunt dæmonibus, & quæ horrescunt, maximè sacram Eucharistiam: orationes itidem fidelium in Ecclesia benignius exaudiuntur: ac denique

locus ipse propter multas causas dæmonibus inuisus est:& ob id beatus Bernardus pulsurus dæmonem difficilem ac ferocem, ad Ecclesiam dæmoniacum adduci iussit, vt ipsum dæmonem commodius aggrederetur. Videndus est Chrysostomus *homil. 4. contra Armenos* de hac re, vt in more habet, concionans. Idem dico de tempore exorcizandi, omne scilicet esse opportunum, sed expedientius eligere sacratius: vt id in quo præclara Christi mysteria celebrantur: & summo mane post Missam, tempus magis opportunum est. Chrysost.

Decimatertia aduertentia.

24 CAueat Adiurator, ne tempore adiurationis solus cum dæmoniaco præsumat permanere. *Tum*, quia dæmones obsidentes solent sic efferare obsessos: vt nisi adsint, qui vexatos teneant, ac manibus apprehensos detineant, maxima cũ difficultate adiurari poterunt: *tum*: quia inter ministrum & obsessum posset oriri aliquod scandalum à dæmone ferociente: *tum tertiò*, quia quando adsunt personæ deuotæ orantes pro dæmoniaco, facilius dæmones cedunt: quod si vexata persona fœmina sit, & non vsque adeò annosa, multo minus Exorcista solus cum illa permanere debet, neque in domibus priuatis, neque in Ecclesia, ne sibi periculum animæ, aut famæ concilient.

An autem obsessi sint publicè exorcizandi, vel priuatè, id est ianuis apertis, aut clausis, diuersæ sunt sententiæ. Quidam, vt Mengus citatus asseruit publicè ianuis apertis. *Primo* exemplo Christi Domini, qui præsente turba dæmoniacos sanabat, Matth. 17. Marci 9. & Luc. 11. Idem etiam legimus de multis Sanctis de Diuo Bernardo, de D. Dominico, & alijs. *Secundo*, quia ordo Exorcistarum inter Ecclesiasticos computatur: Ecclesia autẽ in occulto nil operatur. *Tertio*, propter bona spiritualia, quæ ex publica adiuratione proueniunt, ac subinde non debent impediri: ibi enim nequitia dæmonis inspicitur; & ipse odio habetur; fides roboratur; Dei misericordia & potestas manifestatur; & sæpè homines improbi conuertuntur, & currunt ad expianda peccata per confessionem, & multa alia bona inde possunt prouenire. Mengus. Matt. 17. Marc. 9. Lucæ 11.

Alij censent ianuis clausis, & semota turba dæmoniacos esse exorcizandos: inter quos Petrus Ciruelo Canonicus Salmantinus *de superstitionibus p. 3. cap. 8.* Mouetur potissimè: quia dæmones valdè cupiunt numerosum auditorium habere, vt ipsi multa vana, plura mendacia, subtiles deceptiones, miscendo falsa quædam multis veris, effutiant, ac quædam superstitiosa sub prætextu deuotionis, aut pietatis persuadeant: insuper occulta crimina in proximorum iniuriam reuelant. Præterea conantur cogitationes prauas excitare, fingunt quosdam ex adstãtibus metuere tãquam sanctitate pollentes, vt vanæ gloriæ crimen incur- Ciruelo.

incurrant: alijs cogitationes turpes excitant. Igitur vitanda sunt omnia hæc ab adiuratore non exorcizando dæmoniacos publicè.

In hac re dicam quod sentio verũ esse. Non sunt admittendæ, vt intersint adiurationibus, mulieres: tùm quia pronæ cum sint ad crudelitatẽ superstitiosam, facilè erit vt dictis dæmonum per os obsessorum loquentium fidem adhibeant, & decipiãtur: tùm ne pauore terribilis spectaculi consternatæ, animæ deliquiũ patiantur; aut (quod aliquando euenit) morbo caduco; aut dæmonis ingressu corripiantur.

Non sunt itidem admittendi inepti quidam blaterones, ac otiosi, qui omnis pietatis, & deuotionis expertes ad huiusmodi spectacula auidè conueniunt, ac si ad choreas, aut comœdiam inuitarentur, vt vacent cachinis, vocibus minacibus aduersas dæmones, & huiusmodi. Non sunt etiam admittendi quidam, qui se sapientiores iactantes, curiositatibus vacant, vt censuram suam proferant, & quid calumnientur inueniant. Sunt igitur accersiendi viri pij, religiosi, compassiui, orantes pro liberatione obsessorum: cæteri verò eminus adstent, si volunt orationibus instare, & non aliàs.

Ad illud verò, quod obijcitur ex Christi & Sanctorum factis, *respondetur*, Sancti per copiosam gratiam poterant dæmonibus infallibiliter silentium indicere, ne sequerentur mala commemorata: præcipuè Christus Dominus, qui omnibus istis incommodis obuiare poterat alligando dæmonum potestatem, ne in auditorum vitus aliquod euomeret: secus de alijs Exorcistis.

Decima quarta aduertentia.

HÆc, quæ dicta sunt, intelligenda veniunt secundum regulas communes, à quibus Exorcistæ nec latum vnguem communiter discedere debent: at verò non ob id censere debemus manum Domini abbreuiatam esse, quin aliquibus viris, aut sanctis fœminis alijs modijs ac vijs, concessum fuerit dæmonia expellere: quas imitari, communes Exorcistas non consulerem: verbi gratia, pede conculcare obsessos. Sic fecit aliquando Diuus Bernardus; ita habetur *in eius vita, capite quarto, lib. secundo*. Similiter & alapis dæmoniacos cædere. Sic fecerunt Diuus Benedictus, & Sanctus Hubertus, qui alapis inflictis, dæmoniacos quosdam liberarunt. De hoc Surius *tertio Nouembris in eius vita*. De illo D. Gregorius 2 *Dialog. cap.* 30. & de alijs Sanctis idem legitur. Hoc non docerem imitandum à communibus Exorcistis. 26 D. Bern. D. Bened. Surius. Gregor.

Flagella à Sanctis sæpè applicita lego, præcipuè à Theodoro Archimãdrita, qui obsessam post flagella, per comam apprehendit, & Cruce facta dæmonem fugauit. Et de eodem narrat Georgius presbyter *in eius vita apud Metaphrastem*, quod cum puer adhuc esset, sed sanctitate plus quam senex, quidam filium suum Metaphr.

dæmo-

dæmoniacum ei obtulit liberādum: *Modum* (inquit Theodorus) *fugandi dæmones ignoro. Pater pueri, flagellum illi porrigit, hoc, inquit, filium percute, & dæmon discedet. Paret Theodorus, sed percutientem primò, & secundò videt spiritus nequam: percutientem tertiò fugit.*

Existimo flagella esse applicanda à communibus Exorcistis rarò, & omni semota crudelitate: ne miser dæmoniacus aliàs crudeliter à malo spiritu afflictus, afflictione addita dolore ac mœstitia efferuescat, & absorbeatur. Quod si leuia flagella adhibeantur, puto aliquando prodesse, tùm vt dæmones confundātur, dum vident superbissimi, vt serui inferioris notæ tractari in sui contemptum: tum quia corpora flagellata non reputant sibi gratas mansiones, ob id-
27 que interdum deserunt.

Marci vl. Manuum autem impositio omnibus Exorcistis conueniens est, iuxta illud Marci vltimo: *Super agros manus imponent, & benè habebunt.* Digitorum immissio in obsessorum ora video esse in vsu, & exemplo maiorū firmari. Sanctus Columbanus, teste Iona *in vita eius*, post iniectos in os cuiusdam obsessi digitos, eiusdem aliquando attrectauit linguam, & liberatus est. Idem refert Gregorius Turonensis *de Patroclo Abbate lib. de vita Patrum cap.* 9. & Surius *tomo* 1. *de sancto Claro*: fortassè ad imitationem Christi egerant, qui sanaturus dæmoniacum, misit digitos in auriculam eius, post expuens tetigit linguam. In cæteris manuale seu Sacerdotale Romanum nuper emendatum, & excussum videndum ac sequendum est.

Ionas.

Gregor. Turonen.

Surius.

Decimaquinta aduertentia. 28

QVando plures dæmones vnum hominem obsident, & Exorcista præualet suis exorcismis, vt plurimum omnes egrediuntur simul. Hoc colligimus experientia teste, ac historiarum relatione: quia nūquam, aut rarò legimus, vnum, aut alterum dæmonem eiectum ab aliquo homine fuisse, & interim in eodem homine alios aliquos hæsisse: fortassis ratio est, quia machinæ quibus dæmones torquentur, sic adeò illis sunt inuisæ, vt si vnum aliquem in fugam conuerti omnes: nihilominus vt ita semper fiat, nō video vrgentē rationem, neque sumptam ex parte libertatis dæmonum: quia liberè ingrediuntur, & egrediuntur, neque etiam ex parte vitium dæmoniacorum.

Fatemur esse inæquales & superiorem posse inferiorem pellere, sed cur si egreditur infimus, egredietur principalis? Neque ex parte potestatis Exorcisticæ ratio vrget, nam videmus ad quosdam pellendos quendā Exorcistam sufficere, ad alios non itidem. Idem dico de medijs, quibus vtitur, nā quædam ad quosdam dæmones sufficiunt, & non ad alios, vt patet Matth. 17 vbi inuocato nomine Iesu, quosdam pepulēre Apostoli, alium nequiuere propulsare: ergo benè stat vnum pelli dæmonem in eodem homine, alio non pulso. *Matt.* 17.

Quapropter Exorcista agere debet vt nomina, & numerum dæmo-

niorum

niorum obsidentium acriter interrogando inquirat, nec finem adiurationi imponat, quousque victoriam de singulis obtineat, si plures sint, ne in vacuum laborauerit.

Decimasexta aduertentia.

29 DÆmones quando vrgentur vt exeant solent ab adiuratoribus aliquid postulare. Quare cautus sit Exorcista quando debeat annuere eorum votis ac desiderio, & quando non. Quando aliquod malum culpæ postulant, siue contra Deum, siue contra proximum, eorum petitioni nequaquam est acquiescẽdum: etiam si minitentur se non exituros, nisi postulata concedantur: imò quamuis pax, requies: & securitas ab infensis hostibus sit paratissima; etenim non sunt facienda mala vt veniant bona.

Secundo, si postulent, vt concedatur illis aliquem ingredi vexandum, aut quoquo pacto male afficiendum, siue in se: siue in bonis suis quidam existimant id esse licitum, quãdo adiuratores imperium, & ius habeãt supra res torquẽdas: probare conãtur exemplo D. Pauli tradentis Sathanæ incestuosum, ac Alexandrum & Hymenęum: Existimo autem esse distinguendum: nam si petunt dæmones opus positiuum Exorcistæ ad hæc mala inferenda, neutiquam esse licitum reor: tum quia opus illicitum est: tum quia non agnosco esse talem potestatem in Exorcistis aut alijs hęc faciendi, nisi ex Dei reuelatione, & speciali commissa potestate: si verò dumtaxat petunt licentiam hæc mala inferendi, videndum est an in potestate Exorcistæ sit ea mala vitare: & tunc si eam largiantur licentiam, peccatum est vt minimum contra charitatem. Dixi, si sit in potestate Exorcistæ ea mala vitare: quia superius in *quæstione* 10. primi membri docui, non habere potestatem supra dæmones ad omnia eorum mala vitanda.

Tertio, si postulẽt, ne amplius affligantur, iubendo eos in abusum ire, aut ne voluptate, qua vtũtur, priuẽtur: verbi gratia, ne iubeãtur exire aliquam regionem sibi amabilẽ propter facilem victoriam contra incolas, propter eorum malitiam; aut ne relegentur in desertum, vbi non est occasio nocendi hominibus: quæ postulasse, & impetrasse dæmones à Christo Domino legimus Matthæi 8. Marci 5. & Lucæ 8. *Matt.* 8. *Marci.* 5. *Luca.* 8.

Existimo communes Exorcistas non habere potestatem mittendi in abyssum dæmones, aut eos relegandi extra regionem, aut mittendi in desertum, & similia, aliàs saltem charitatis lege tenerentur exterminare ab hac mundiali machina exitiales hostes: at Christus Dominus per excellentiæ potestatem, hæc & maiora poterat; & aliquando Sancti ex Dei speciali tradita potestate Quare vanum esset Exorcistas communes huic petitioni annuere, quia non est in eorum potestate dæmones ab hi præfatis cohibere: quod si haberens talem potestatem, illicitum esset

concedere, ſed potius lege charitatis erga homines tenerentur obſtare. Nihilominus poſſent annuere petitionibus eorum in aliquibus leuibus ſpe maioris boni: v.g. ne iuberentur exire intra horam, ne flagellis torqueantur: quia promittunt ſe egreſſuros, & huiuſmodi.

Decimaſeptima aduertentia.

30 PLurimum refert ſcire, quando dæmones relinquunt obſeſſos exorcizatos: & ideò Exorciſtæ petunt à dæmonibus ſigna ſui egreſſus, determinando quæ illa debeant eſſe: caueant tamen ne illa ſint crudelia, ac nociua infirmis obſeſſis: verbi gratia, membrorum colliſio, aut obſcœna, vt inhoneſtæ voces: quin potius debent dæmonibus imperare, ne ſimilia ſigna exhibeant: poterunt autem ab eis exigere, vt lumen candelæ accenſæ extinguant, aut vas vitreum, ſeu feneſtellam diſrumpant, & huiuſmodi alia, quæ ſine vllo nocumento extra corpus obſeſſorum perficiuntur. Ipſi verò nequam ſpiritus ſolent ſine poſtulatione, aut iuſſione Exorciſtarum ſigna ſui egreſſus exhibere.

Aliquando dicunt ſe exituros, & ita faciunt: vt quando ſancto Ciriaco adiurante filiam Diocletiani Imperatoris dæmon exorciſmis afflictus, ait: *Diſcedam, ſed efficiam, vt cum difficultate in Perſidem venias*: quod opere compleuit. Ita Surius *tomo quarto, in vita Ciriaci.* Aliquando clamores inſoliti, & belluarum voces ſigna ſunt egreſſus, maximè quiete obſeſſo ſuperueniente. Aliquando diſceſſu quorundam animalium turpium egreſſum ſuum pandunt; vt diſceſſu formicarum, aranearum, muſcarum. Et *in vita ſancti Simplicis* refert Palladius *ſectione* 25. ingentem draconem ſeptuaginta cubitorum ab adoleſcente exijſſe, & cum ipſo dæmonem: in cuius forma mutatum eſſe dæmonem obſidentem non dubito. Quandoque vomitu ingenti rerum putidarum manifeſtant ſuum diſceſſum. Sic accidit Diuo Bernardo, & Diuo Dominico exorcizantibus. Aliquando ex fœtore graui, quem exhalant obſeſſi, conuincitur dæmonem exijſſe. De hoc ſigno ſunt quamplurima exempla. Aliquando egrediuntur, ſed magnis illatis nocumentis vel in corpore obſeſſorum, vt ſunt in terram alliſio, membrorum diſceptio, vel in bonis obſeſſorum, vt parietum, & domus dirutio, & huiuſmodi. Aduertendum tamen neque hæc ſigna eſſe infallibilia: quia non rarò ea edunt dæmones ipſis adhuc permanentibus in obſeſſo, neque ſemper ſigna dant ſui diſceſſus Aliquando egrediuntur nullis datis ſignis.

Surius. *Pallad.*

Et ſi quæras, quæ erunt ſigna infallibilia diſceſſus, & omnimodæ liberationis obſeſſorum? Vix inuenio. 31 *Potiſſimum* eſt, ſi examinatis obſeſſis nullum ſignum eorum, quæ diximus indicare inhabitantes dæmones, appareat. *Secundum*, ſi

obſeſſi

obſeſſi nullam ſe pati moleſtiam earum, quæ antea patiebantur, affirmant, experimentumque per multos perdurat dies, ac menſes: quamuis enim dæmones poſſint latitare nullis editis ſignis ſuæ habitationis, nulliſque moleſtijs illatis, ſed id rariſſimè continget. Frequens eſt tam peruerſum hoſpitem ſuæ nequitiæ ſigna profundere, iuxta illud
Prou. 6. Prouerbiorum 6. *Nunquid poteſt quis celare ignem in ſinu ſuo, ita vt veſtimenta eius non ardeant?*

Notatio ad ſequentia.

32 EXplicatis his, quæ ad obſeſſos pertinent, & praxi tradita ad eorum curationem, ſupereſt agere de ſecundo malorum genere, quod dæmones inferunt, non intus hominem exiſtentes, ſed ab extrinſeco affligentes. Hæc autem afflictio multis modis contingit: *vno modo* per ſe ipſos ſine vllo miniſterio hominum mala extrinſeca inferendo, homines moleſtando, apparitionibus, monitionibus, aut crebra aſſiſtentia, & interdum vulneribus. *Secundo modo* mala intrinſeca inferendo, vt morbos, cruciatus, neces, inſaniam. De his malis, & an per adiurationem eis ſuccurrendum ſit, ſigillatim dicendum eſt. Et prius de primo modo, quo dæmones extra homines exiſtentes eos affligunt agendum eſt, nempè de infeſtatione, quæ exhibitur à dæmonibus per apparitiones, & crebram aſſiſtentiam.

In qua re dicimus *primò*. Res indubitabilis eſt dæmones, quoſdam homines crebrò affligere apparitionibus, & perſequutione ſuæ crebræ aſſiſtentiæ. Hos dæmones ideò vocamus aſſiſtentes, ad differentiam eorum, qui intra hominum corpora includuntur, quos obſidentes Latinè, cathabolicos Græcè appellamus. Hoc aſſertum exemplis innumeris comprobatur. In *vita Diui Bernardi* legitur de quadam fœmina, qua dæmon abutebatur per ſeptem annos, & poſtea per exorciſmos Diui Bernardi ab ea perſequutione ceſſauit. Suetonius *in Nerone* ait, ſpiritus infeſtantes eum eſſe ſequutum quocunque pergebat. *Sueton.* Ioannes Tritemius *in hiſtoria Monaſterij Hirſaugienſis circa annum Domini 1132.* narrat de quodam dæmone, quod hominum conuerſatione valdè delectaretur, apparens nunc ſub figura hominis ruſtici, nunc inuiſibiliter illudens, magnates de rebus magnis admonebat, alijs ſua obſequia non negabat, neminem, niſi prius læſus, lædebat, læſus non parcebat. *Tritem.* Itaque cum in præſulis Hildesheimenſis culina puerulus quidam eundem contumelijs affeciſſet: principio præfectum culinæ admonuit, vt inſolentiam pueri coerceret: at vbi nil profecit inuentum in culina dormientem puerum, primum ſuffocat, mox in fruſtra diuidit, tandem igni appoſitum coquit: neque hac vindicta contentus multis alijs modis & culinæ præfectum, & pleroſque alios ex aulicis vexat.

Sigibert. De alio dæmone refert Sigibertus Martinus: primo à nemine visus cœpit in homines iactare lapides, & pulsare fores: mox sub humana specie responsa reddidit, furta prodidit, quoscunq; nota infamię aspersit, discordias & simultates excitauit, paulatimque horrea, & omnes casas exussit, vni autem ciuium fuit molestior, perpetuò eius lateri quocunq; pergeret hærens, atque eius domum comburens.

Alia multa consultò omitto: satis nobis sit cõfessio eorũ, qui hanc molestiam experiuntur, & narrant: quin imò aliquando dæmones intentãtes ingredi hominũ corpora, eos molestant exterius verberibus, apparitionibus, & huiusmodi, vt dicitur in Sacerdotali Romano *cap. 1. in exorcismis.* Vbi habetur interdum dæmones, prius quàm homines ingrediantur, eos molestare sub forma externa, quæ terrorem incutiat: ve bi gratia, defuncti, qui mortem violentam subijt, aut brutorum animantium horribilium, vt draconis, aut cati nigri, vel hirci, & similium: interdum vento, & tumultu insolitis perterrent, aut strepitu orto ex vectibus, quæ colliduntur, & per terram trahuntur, interdum infixis colaphis, & per casus, & propulsationes, & aliquando somnijs terribilibus.

Sacerdotale Romano.

34 *Dico secundo.* Quamuis frequẽntius homines molestias has externas à dæmonibus patiantur propter peccata: aliquando tamen id accidit sine vllo peccato afflictorum. *Prima pars asserti* colligitur ex probatis historijs, & in primis est horrendum exemplum citatum ex *vita D. Bernardi*, apud Surium *tom. 4.* de muliere molestata à dæmone, eo quod fœdam per septẽm annos cum ipso habuit consuetudinem: dæmonium itidem infestans Neronem sub specie matris suæ Agrippinæ, quam interfecit. Ita Suetonius his verbis: *Potuit Nero conscientiam ferre sæpe confessus se materna specie exagitari, atque verberibus furiarum, ac ardentibus tedis.* Fere idem *de Ottone Imperatore* refert idem Suetonius propter Galbæ occisionem. Et de Pausania Spartanorum Rege propter interfectam virginem Cleonicem: ita Plutarchus. Hos omnes & multos alios, dæmones persequuntur, aliquando Deo iubente, vt sint vltores criminum quorundam atrocium (Deus enim est, qui in vindictam scelerum mittit immissiones per Angelos malos (Psalmo 77. aliquando ipsis dæmonibus sæuientibus, & conantibus hos sceleratos in desperationem conijcere, & vt sibi crudeles manus inijciant. Sicut legitur accidisse Aristodemo viro nobili apud Messenios. Ita Gasparus Beucerus *lib. de diuinatione*: & nostris temporibus possent adduci recentiora exempla, sed allata sufficiant.

Surius. Suetonius. Plutarch. Psal. 77. Beucerus.

Circa *secundam partem asserti.* Sanctos scilicet viros, ac fœminas sæpæ hanc pati persequutionem dæmoniacam, antiquitatis, & nostrorum temporũ annales multa nobis exem- 35

exempla ſuppeditant. Paulum Simplicem, Diuum Antonium, Diuum Hilarium, Benedictum, & alios Sanctos, eremi primos cultores, multa paſſos eſſe à dæmonibus narratur. Wilhelmus Pictauorum Comes, Macharius Alexandrinus, Guthlacus, atque Sabbas viri ſanctiſſimi priorum Eremitarum emulatores multa paſſi ſunt. Euphraſiam virginem ſanctam de tertio ſolario aliquando præcipitarunt, aliquando in puteum demerſerunt, aliquando grauiſſime ſauciarunt. Sanctam Catherinam filiam ſanctæ Brigittæ nūc è lectulo deiecerūt, nunc etiam grauiter cæciderunt: & ſanctæ Marinæ valde moleſti fuerunt, partim terribilibus formis, partim horrendis ſibilis, & execrandis fœtoribus per aera ſparſis. Videndus Surius *in vita omnium horum*. *Surius.*

Cauſam huius ingentis perſequutionis aduerſus Sanctos pulchrè tradit Fulbertus *in vita ſancti Richardi Abbatis Chimetienſis* apud Surium *tomo quinto: Sublimiora ſtudia* (inquit) *diabolus ſubtilioribus infeſtare non deſinit inſidiis: carnalibus namque, & huius mundi amatoribus quos in præſenti vita voluptuoſa latitudine ambulantes, comperit, quaſi parcendo blanditur: quia nimirum de his ſecurus ad ſpirituales ſe conuertit: & his acrius inſtat, more latronum ad prædas feſtinantium: qui dum fugientem innocuam turbam inſequuntur, quoſcunque curſu ſuperant, hos tranſilientes, à tergo relinquunt: in eos vero quos præ oculis conſpiciunt eminus fugientes, in eos inquam ſtudio conſequendi vires totas effundunt, & impetu maiore proſequuntur: verūtamen ſi reliquis captis ex omni turba vnus euaſerit, ex hoc vno inter eos ſæpius, magis fit queruloſa recitatio, quam ex vniuerſis captiuis exultatio* Hæc Fulbertus. *Fulbert.*

Secundo loco tractandum eſt de remedijs aduerſus moleſtias has dæmonum perſequentium, & aſſiſtentium, quæ fere coincidunt cum remedijs allatis pro dæmonibus propulſandis ab obſeſſorum corporibus.

Nec audiendi ſunt ſuperſtitioſi, qui ſuperſtitioſa remedia conantur perſuadere. Tale eſt aduerſus ſpectra multum valere gladij nudati vibrationem: ex *poetico apparatu* Homeri, & Virgilij *Aeneid. 6.* ſumpſit Lambertus Hortenſius, cuius *verba* ſuperius retulimus *Hortēſius* Opinio erronea & antiqua hæc fuit apud Iudæos, quam ſibi vendicauit Pſellus, *lib. de dæmonib.* in fine, à quo illam hauſit Rodiginus *libro ſecundo, cap. octauo.* Dæmoniacum corpus affirmat Pſellus per totum eſſe naturaliter ſenſuale ſecundum partes ſingulas, abſque medio videt, audit, tangit, patiturque tangendo, ac diuiſum dolet, ſicut corpora ſolida. Sed hoc intereſt, quod corpora quidem ſolida diuiſa cum ſunt, aut vix; aut nunquam reſtituuntur: corpus vero dæmonum vti ſecatur, mox in ſe item recreatur, atque coaleſcit: ſicut aquæ aeriſque partes quādo aliquid incidit ſolidum: ſed & dicto velocius dæmonicus ſpiritus in ſe reuertitur, dolet tamen interea dum diuiditur, quamobrem aciem ferri *Pſellus. Rodiginus*

metuit: idque animaduertentes, qui fugare dæmones moliuntur, tela & enses in rectum ibi constituunt, quo nolunt dæmones aduentare.

Iam se prodit impietas autoris, & ob id indigni, cui fides adhibeatur: putat dæmones esse corporeos corpore tenui, ac aereo (quod Catholica fides refragatur) & ob id dolere cum scinduntur, facili tamen negotio partes scissas conglutinari, ac coalescere.

Adducuntur aliquot experimenta fugatorum dæmonum ista gladiorum pugna. Et in primis Erastus *Erastus.* in *vita Paracelsi* ait, solitum fuisse Paracelsum noctu consurgere, & Machæram suam Helueticam vtraque manu in hostem inuisibilem huc illucque torquere: vt dæmones insequentes fugaret. Dæmones aliquandiu à persequutione cessasse, fingentes se aciem ferri formidare, facile credam, ad decipiendos scilicet hos superstitiosos, & impios, & vt in sua cæcitate captiuos tenerent. Sed quid laboris, molestiæ, aut doloris per ferrum puris spiritibus corporis expertibus? Nil. Item non ne facile esset dæmoni etiam si corpore aereo esset præditus impedire illos ictus ensis, aut machæræ, eis elusis per diuersionem, aut corporis alterius interiectionem? Cur igitur hæc timeat robustus hostis ab imbecilli homine?

Veritas huius rei est, dæmonem interdum assumpto aereo corpore cum siccarijs, & huiuscemodi hominibus, digladiari: & quos posset vno ictu necare, hinc inde iactis ictibus exercere: acies ferri scindit corpus aereum assumptũ nullo accepto vulnere, nullo concepto dolore: sed citius dicto idem corpus in pristinam formam compaginatur, ac demum satiatus ludo discedit; aliquando suo antagonista ferè exhaustis viribus exanimato: aliquando iam iam morituro: vt videre licet *in historia narrata* à Gaguino historiographo Francorum, & à Cæsario, *libro* 12. *capit. decimo-quinto &* 20. *Gaguinus Cæsarius.*

Alia multa nostris temporibus accidisse commemoratur: & de studioso iuuene Salmanticæ degente, & monialem intra monasterium inuisente, cui obuium spectrum, quãtumuis armato, & gladium vibranti, mortem intulit, narrat Martinus del Rio, *lib.* 6. *disqu. magic. c.* 2. *sect.* 1. *Martin. del Rio.*

Pari ratione reijciuntur quidam alij superstitiosi, qui igne accenso, aut iniecto, putant dęmones persequentes fugari. Idque conantur ostendere ex *historia S. Paulini* narrantis, ab hæretica Imperatrice missos fuisse dæmones, vt Diuo Ambrosio exitium inducerent: sed hi re infecta reuertuntur, eo quod, vt ipsi dixerunt, ignis insuperabilis sanctum virum, totamque eius domum communiret. Et Sozomenus *lib.* 8. *tripartita, c.* 28. dum Apelles vir sanctus, ac faber ferrarius noctu in officina ferraria ferrum accuderet: in pulcherrimæ *Sozomẽ.*

muli-

mulieris forma, vt eum ad libidinem prouocaret, dæmon apparuit: sed Apelles ex fornace ferrum candens extraxit, & in eius faciem impegit, & sic eiulans, ac fremens dæmon discessit.

57 Ad hæc accedit. Si flammas ignis infernalis extimescit: quare nostri ignis prunas cum sint eiusdem rationis non verebitur? *Respondetur:* quia sicut arma, enses, mucrones, quia corporei, nil valent contra spirituales nequitias: sic neque flammæ ignis, aut pruinæ accensæ, & propter eandem rationem. Ambrosij vero ignem dæmones formidantes Dei adiutorium significat, sicut apud Zachariam, *cap.* Zach. 2. 2. *Ego, ait Dominus, ero ei murus ignis in circuitu.*

Apellis vero ferri candentis iniectio, diuinam virtutem, & adiutorium accersiuit, vt dæmon fugaretur. Ignis vero noster licet eiusdem rationis cum igne infernali sit: sed non assumitur vt instrumentum diuinæ virtutis ad dæmones torquendos, sicut Tartareus: quem etiam floci facerent, si virtus diuina non ei adesset.

Non dissimilibus rationibus impugnantur remedia superstitiosa, & inutilia de claudendis foribus, de conuitijs aduersus dæmones iactandis: de quo nos late in priori membro: de luce vero statim.

58 Quare his relictis, ad vera & pia remedia confugiendum est. Et in primis has molestias patientes debent confessionem sacramentalem præmittere, dolore de peccatis vehementi ac proposito emendandæ feruenti comitatam: siue sciant has infestationes perpeti propter sua peccata, siue id ignorent: nemo enim scit, vtrum amore, vel odio dignus sit. Sic enim ablata causa infestationis, Deum propitiatum, dæmonem arcere verosimile est.

Insuper sacratissimæ Eucharistiæ susceptio frequentata valde conducens est ad dæmones hos persequentes fugandos.

Agnoui ego virum religiosum, ac pium, qui infestabatur crebra assistentia dæmonis, & plus molestabat blanditijs, quàm terroribus, plus obsequijs, quàm cruciatibus, ferè semper eius lateri adhærens; nunc in ciuitate in forma amanuensis pueri: nunc in via in figura ante ambulonis: in cella assistebat, & alijs in locis in specie pulchræ puellæ blandientia, aliquando lectulum sternendo, aliquando cameram euerrendo: demum ab eius præsentia non recedebat, nisi quando vir religiosus sacra facturus accedebat; tunc enim Versipellis recedebat, ferre non valens præsentiam sui iudicis, ac Domini Iesu Christi.

Quod si his accedat virtutum studium, proficiet valde: dæmones enim virtutum studium abominantur, & exhorrescunt. *Credite mihi fratres* (dicebat Antonius, teste Athanasio *in eius vita*) *pertimescit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miseri-* Athanas.

sericor-

sericordiam, humilitatem, maximè autem ardentem amorem in Christum Dominum. Horum remediorum vtilitatem satis comparauit sancta Catherina Beatæ Brigittæ filia, vt refert Surius, *tom. 2. in eius vita*, quæ Neapoli existens à quadam muliere, quæ nocte à dæmone molestabatur interrogata, quomodo ab hoste illo se liberaret: primum suasit puram peccatorum confessionem: dicebat enim ob peccata in confessione celata plerunque id genus illusionis accidere: deinde peregrinationem ad sanctæ Crucis templum, quæ nudis pedibus, & sine interiori indusio lineo cum humilitate octo continuis diebus perageretur. Tertiò orationem Dominicam & salutationem Angelicam coram Crucifixi imagine in eodem templo septies repetitam. Compleuit mulier monita, & persequutio cessauit.

Surius.

39 Summopere etiam iuuat Sanctorum omnium maximè Deiparæ Virginis inuocatio, necnon & Angeli custodis: cuius officium est suorum clientulorum tutelæ adesse, quod non exiliter comprobatur exemplo, cuius ego testis sum. Commorabar Segouiæ (ciuitas Hispanica est) & ad nostram cellam vir deuotus ac pius aduentabat, remedium petens contra dæmonem, qui ei fere semper ad auriculam loquebatur, suadens suspendium, & mortem: cuius confessiones ego audiens consolatoria verba fundebam: at iussu maiorum ab ea Ciuitate discedens, post multum temporis iterum ad eum locum reuersus, obuium habui illum vexatum: ac interrogatus de sua salute lætus, ac hilaris de sua libertate rationem reddidit, inquiens: *Multis afflictatus damnis peregrinationem ad inuisendam quandam imaginem deuotam Beatissimæ Mariæ suscepi in cuius templo per aliquot dies orationibus incubui, orans Dei genitricem, vt me ab hoste teterrimo liberaret. His peractis domum meam ac ciuitatem rediens circa noctis initium pontem rapidissimi fluuij transiturus accessi: vbi inimicus more solito me inuasit dicens: Quousque misera vitam duces? mitte te deorsum, & finem impone laboribus. Quod cum ego pararem facere: ecce subito meo lateri adhæsit quidam homo fustem manu tenens: qui ad me ait, quo te is perditum miser homo? Quare de misericordia Dei diffidis? Meque apprehensum per vestium laciniam extra pontem eduxit, ac in viam reduxit, ab illoque temporis momento nullam amplius ab inimico dæmone molestiam tuli.* Hęc ille. Ego vero, deuote lector, certò credo eum vexatum Dei Genitricis intercessione, ad cuius templum perrexerat, fuisse liberatum: & Angeli proprij custodis in figura hominis fustem tenentis tutela esse seruatum: vt discant fideles quantum aduersus dæmones persequentes valeat inuocatio Sanctorum, maximè sanctissimæ Deiparæ Angeli, & Angeli custodis.

Quid si nihil horum proficiat? Remedia omnia, quæ contra dæmones 40
obsidentes docuimus, tentanda sũt: nempe orationes deuotæ, maxime

quæ

quæ nomine Ecclesiæ, & præcipuè in Missæ sacrificio funduntur; vsus reliquiarum, & Crucis, ac rerum cōsecratarum, præcipuè cerearum illarum imaginum, quas Agnus Dei nominamus. Has etenim plurimum conducere contra dæmonum infestationes ex forma suæ consecrationis monstraui superius in primo membro: & Andreas Frusius Poeta Christianus versibus sequentibus suadet:

Ille (Pontifex) *preces recitat mira pietate refertas*
Quas veteris ritus formula cerea tenet.
Postulat in primis, sacrati aspectus vt agni,
Agnum ad cælestem concita corda leuet;
Vtque salutiferæ memores, vitaque, necisque,
Criminis, & vitij noxia vitia terant.
Hostis vt insidias Stygij, ac certamina vincant,
Decipulas mundi, carnis & illecebras,
Aeternæ vt fugiant discrimina cuncta salutis,
Et supera nunquam destituantur ope.

Ac denique exorcismis vtendum: sunt enim flagella dæmonum petenda ex *Sacerdotali Romano*: quod si peculiares non inueneris contra dæmones hos exterius persequentes: poteris paucis mutatis accomodare eos, qui contra obsidentes notati sunt. His autem remedijs applicitis, & perseueranter vsitatis, si dæmon non destiterit, molestiam patiens patientia ornetur, fortasse sic expedit ad salutem animæ suæ, postuletque à Deo feruenter: dabit namque Deus his quoque finem: & interim ad leuamen suæ miseriæ non parum proderit (sicut ex confessione corū, qui molestantes spiritus sunt passi didicimus) in templis commorari, in quibus sæpe sunt à vexatione dæmonis tuti: oderunt namque spiritus nequam templa, vtpotè sacrata ab Episcopis vt asyla contra dæmonum insultus, & ea, quæ in templis continentur: puta imagines, reliquias, sanctissimum Christi corpus sub speciebus sacramentalibus. *Alterum*, non adesse solitarios, sed in multorum comitatu, solet tutamen aduersus malignos hostes conferre: hi enim solitarijs sæpè molesti sunt: experientia hoc docuit; & Euæ primæ omniū matris, ac Christi Saluatoris exemplum idem suadet, hunc in deserto, illam in Paradiso aggressi sunt: vtrumque cum soli agerent. *Tertium remedium est*, tenebras quoad fieri poterit fugere, & in luce versari. Etenim dæmones, quia sunt principes tenebrarum, amant tenebras. Cuius rei rationes fusius vide apud Cantipratenum *l.2.c.57.n.* 7. vnde Eusebius Cæsariensis, refert noctem intempestam, quæ gallicinium proximè antecedit conuenientiorem esse malo dæmoni. Quare? quia terrere desiderant tumultibus excitatis: at hi melius percipiuntur in noctis silentio, & spectris nigricantibus: & hæ noctis tenebræ faciunt apparere nigriora. Inuadunt solitarios, sed nullo in tempore magis solitarij, quam in no-

Cantipra.

41

ête: debent ergo molestati hi tenebras fugere, ac luce frui. Sunt tamen aliqui adeo feri ac audaces spiritus, vt nec vereantur multitudinem, nec templa reformident, & in luce meridiana sunt molesti: ac proinde Deo suppliciter orandum, vt nos eripiat

Psal 90. *à sagitta volante in die à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.*

TRACTATVS II.

De Potestate Dæmonum de Magorum ad effectus mirabiles & prodigiosos.

DISPVTATIO I.

Qua potestate, aut cuius auxilio nisi magi efficiant ea mirabilia, quæ hominum excedunt, aut videntur excedere potestatem?

ET videtur id proficisci ex naturali quorundam hominum complexione. De Psylis, qui habitant Lidiæ & de Marsis in Italia, narrat Plinius

Plinius. *Aug.* *l.7.c 2.* serpentes sine noxa attrectare, & odore saporare: & D. August. *l.14. de Ciuit. c.1.* narrat mira quædam opera quorundam hominum, quæ non nisi à naturali eorum complexione dimanare poterant. Et Albertus Magnus *in l de morib. animal.* (ait) se vidisse in Germania duos pueros fratres, quorum altero iuxta domorum ostia incedente, omnia ostia versus latus illius sinistrũ aperiebantur, quamuis clausa essent; idemque contingebat alteri puero illius fratri, versus latus eius dextrum. Et dicit id

Albertus

vidisse multos, negatque id referri posse in aliud, quam in proprietatem occultam, quæ vtrique eorum à cælorum influxu indita est.

Prima assertio sit. Multos effectus admirandos, ac insolitos efficiunt quandoque homines, virtute agentium naturalium ad operandum applicatorum, aut vero virtute, & præstantia in artificiatis fabricandis, quorum causas, cum vix pauci penetrent, admirationem parit eorum effectio, & interdum suspicionem auxilij dæmoniaci implorati. *Probatur prima pars,* quia in rebus naturalibus, sunt proprietates admirabiles occultæ ad efficiendum mirabiles effectus, interdum simplici applicatione, interdum diuersarum rerum admixtione, & alijs modis: ergo homines hæc callentes, & his vtentes, mirabiles citra dubium efficient effectus. *Antecedens* ostenditur aliquibus mirandis naturæ proprietatibus allatis.

Ad hoc propositum D. August. *lib.21. de Ciuitate cap.4. 5. & 6.* adducit multa de pauonum carne non putrescente, de paleis niues conseruantibus, & vice versa fructus maturantibus, de calce, quæ cum ignitam in se vim habeat, aquarum infusione non olei accenditur, de agrigentino sale, qui liquatur igne, aqua vero induratur, & crepitat: de Epiri fonte, & magnete, & similibus. Item Opianus *lib.3. Cyneg.* scribit sonum tympani ex Lupina pelle, aliud tympanum ex Agnina tensum, disrumpere Et multi, in- *August.* *Opianus.*

ti, in-

Tertullia. ti, inter quos Tertullianus *lib. 3. cap. vlt. de pœnitentia*, & Hieronymus *in Ecclesiastem*, dixerunt dyctamo eso ceruos sagittas expellere, & Chelidonia hirundines suis pullis visum restituere. De Psylisque & Marsis serpentes contrectantibus, & lacessentibus sine noxa, & odore sopotantibus, tradit Plinius *l. 7. c. 2.* & idem de Pici Martij herba, obturamenta nidorum explodente, narrat idem lib. 10. c. 18. imo & seras ferreas aperire vulgo dicitur. Et de Remora pisciculo semipedali, detinente nauis ingentis impetum, idem Plinius *l. 32. c. 11. &* Arist. *l. 2. de hist. animal. c. 14 & c. 6.* Tobiæ de felle piscis Callyonimi, valere ad expellendam albuginem oculorum Denique innumeros possemus referre effectus mirabiles, & insolitos vi, ac proprietate rerum naturalium editos. Vide, si placet, Sirenum *l. 9. de fato*, Fracastorium *l. de sympathia & antipathia*, Ioannem Langum *epist. 33.* Certè si in naturalibus rebus, tot mirabiles, & paucis notæ proprietates inueniuntur, cur earum rerum vsu homines edocti, siue à bono siue à malo genio, siue experientia ductrice, mirabiles effectus non patrabunt.

D. Hier.

Plinius.

Aristotel.

Tobiæ 7.

Sirenus.

Fracast.

Ioannes Langus.

Idem iudicium sumito, de effectibus quibusdam artificiatis, quæ in admirationem rapuerunt videntes, existimantes non posse in tantum fastigium artem peruenire: cum tamen totum eorum effectuum mirabile artificium, principijs Geometricis, Arithmeticis, vel Astronomicis niteretur. Horum effectuum exempla sint, Sphæra illa Archimedis apud Claudianum De qua Cicero *l. 9. Tusc. cul. & 2. l. de natura Deorum*, dicit omnium cœlestium conuersiones suis motibus clarissime, & perfectissimè repræsentare: cuius sphæræ aliquale specimen dicitur exhibuisse Italũ artificem, nomine Ianelum. Et de eodẽ Archimede refert Plutar. in Marcello, in Syracusarũ obsidione per specula naues cõbussisse, & tot machinas adinuenisse, vt dicerent Romani se nõ cõtra homines, sed cõtra Deos pugnare. Item in admirationẽ rapuit Græcos quædã columba lignea volãs fabricata ab Archita. Ita Gellius *l. 10. noctium*. Non fuere dissimilia Leonis Imperatoris auiculæ aureæ cantãtes. Ita Glicas in annalib. Et Boethij æreę volantes, & cantilantes, ac serpentes ænei sibillantes. Ita Politianus *in Panepistemone*. De B. Isidoro refertur miro artificio fabricasse duas lucernas, quarum vnam iussit apponi ad caput sui sepulchri, alterã circa pedes, quæ nunquã fuere extinctæ, aut cõsumptæ per ducẽtos annos, & inde sublatæ nescio quo successu: ita maiores nostri Hispani, & Iacobus de Boragine *in vita eiusd.* Isidori. Et Romæ tempore Caroli Magni, in sepulchro cuiusdã Gentilis candela accensa ante Christi aduentum, quæ nec aqua, nec aere potuit extingui, quousq; terebrato lychno aer subintrauit: ita Helinandus *in Chronicis*, & Ioãnes Ægydius Camorensis. Et alia multa his similia ab Historiographis narrantur.

Cicero.

Plutar.

Gellius.

Glicas.

Politian.

Secunda pars assertionis nota est: & ideo Philosophi multi antiqui, auidissime rerum occultas proprietates inquisierunt: inter quos Democritus Pythagoras, Empedocles, Plato, Aristot. *l. integro edito de admirandis auditionibus*: & ex nostris Albertus Magnus, & alij, qui Magiæ physicæ, seu naturali, incubuerunt. Est autem hæc Magia, vt notarunt Proclus *lib. de Magia*, & Psellus *de dæmonibus*, cognitio quædam arcanorum naturę, qua cœlorum, ac syderum fluxus, & sympathijs, atque antipathijs rerum singularum obseruatis, suo, tempore, loco, ac modo, rebus applicantur, & mirādi quidam effectus perficiuntur, qui causarum ignaris præstigiosi, vel miraculosi videntur. Hac scientia fuisse peritos tres Magos Euangelicos, volunt quidam; eaque imbutum fuisse Salomonem, non obscurè tradit sacra Scriptura, 3. Regum. 4. *Et disputauit* (Salomon) *de lignis, à cedro, quæ est in Libano, vsque ad byssopum, quæ egreditur à pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* Vbi nota cum D. Hieronymo, non fieri mentionem de exorcismis, aut incantationibus. De quibus multa Iosephus *lib. 8. de antiq. cap. 2.* fortè quia ea composuit quando deditus idolatriæ, incantationibus deseruiebat.

Plato. Aristot. Albertus. Proclus. Psellus. 3. Reg. 4. D. Hier. Iosephus.

Ex his infertur corollarium apprimè notandum pro sequentibus; non decere virum sapientem præcipitare sententiam vt videns per quosdam fieri effectus insolitos, & mirabiles, asserat vi pacti dæmoniaci fieri: potest enim contingere; vt mediante concursu & applicatione agentium & passiuorum naturaliū, aut ope artificis præstantissimi fiant. Fateor has duas magias: artificialem, & naturalem, secundum se laudabiles, assumi sæpe vt duo velamina, quibus magia diabolica occultari solet: quia magi sola rerum naturalium aut artificialium efficacitate, non valentes consequi optatos effectus, ad dæmonum auxilia imploranda recurrunt.

Non dissimiliter fecere quidam scriptores moderni, nomine sonantes Christum, reipsa superstitiosi magi, qui in suis operibus auspicantes à magiæ naturalis documentis, ad diabolica, & vana, prolapsi sunt, & ideo eorum libros prohibuit Ecclesia, inter quos nomino Anselmum Parmensem, Cicchum Esculanū, Petrum de Abono, Cornelium Agrippam, ac Paracelsum, Hæreticos: ad quos ferme declinant Cardanus de subtilitate, & varietate, & Ioannes Baptista à Porta in suo libello de magia, qui & alij multi Germaniæ, vbi officium defensionis fidei non viget, libere à magia naturali ad dæmoniacam in multis dilabuntur.

Ex hac assertione, & corollario, *respondetur ad argumenta in principio* posita; Psylos, & Marsos habere proprietatem quandam, & qualitatem exitialem serpentibus. Similiter, & alij homines (de quibus August.) habebant quasdam indiuiduales conditiones, ratione quarum

illas inuſitatas operationes efficiebant. Quod nos non negamus, ſed potius aſſerimus: ſed dubitatio eſt de omni operatione mirabili magorum. De quo

Secunda aſſertio ſit. Multos effectus mirabiles ac inſolitos efficiũt magi, qui nequaquam reduci poſſunt ad virtutem operatricem cauſarum naturalium, aut artificialiũ. Huiuſmodi ferè ſunt omnia quæ narrãtur de Simone, & Apollonio famoſis magis. Huiuſcemodi etiam ſunt prædicere occulta, aut futura, theſauroſq; abſconditos reuelare, facere ſtatuas loqui, & ſimilia, quæ ex vna parte ſuperant humanas vires, ex alia cauſarum naturalium efficacitatem, eo quod neceſſariò ab operante per intellectum procedere debent. Hanc aſſertionem acutè ſatis & copioſe D. Thom. probat D. Th. 3. *contra gentes capite* 104. Sed nunquid ad genios malos hi effectus reducendi ſunt?

DISPVTATIO II.

An magorum opera miranda ad dæmones reducenda ſint?

ET videtur non omnia magorum miranda opera eſſe reducenda ad Auicen. dæmonum efficaciam patrocinantiũ magis. Primò ex Auicena dicente: *Si homo eſſet ſecundum intellectum bene diſpoſitus, & ſupra materiam eleuatus, res cunctæ materiales, cæleſtes, & terrena, ſimplices, ac mixta, obedirent ei ad nutum: ac proinde nil mirabile eius excederet facultatem.* Non Fulginas. longè abſunt ab hac ſententia, Fulginas, & alij medici, confingentes quoddam temperamentum æqualitatis, & humorum, & qualitatum actiuarum ad pondus mixtione, quo temperamento, qui ſit præditus, poſſe miracula efficere aſſeuerant.

Secundo. Deus hominibus ſceleratis largitur gratias gratis datas: vt opera, quę vires humanas, imò & angelicas excedunt, operentur diuina virtute adiuti: de quo latè ſuperius egi circa articulum ſecundum quæſtionis nonageſimæ, & palam fit in gratia ſanitatum, ac dono linguarũ: ergo de magis operantibus mirifica non eſt inconueniens aſſerere.

Dicet quis Gratijs gratis datis à Deo qui accipit, non vtitur in malum finem: at iſti magi operibus mirandis in malos fines vtũtur, nempè ad maleficiandos homines, ad occulta prodendum, ad decipiendum. *Contrà,* quia hoc per accidens eſt gratiarum datarũ gratis receptioni: quibus praui homines aliquando prauè vtũtur, ſicut accidit Claudiæ virgini Veſtali, quam Dei virtute adiutam fatetur S. Thomas quæſtione 6. de potentia D. Thom. art. 5. ad 5. aquam in vaſo perforato à Tiberi portaſſe ſine effuſione; & tamen in honorem Deæ Veſtæ id hæc fœmina fecit, cui ſuam virginitatem ſacrauerat.

Tertio. Hæc opera mirãda poſſunt referri in patrocinium bonorũ Angelorum ergo in eos potius quã in dæmones referẽda ſunt, maximè quãdo per ea opera aliquod beneficiũ præſtatur: verbi gratia ſanitas præter cõmunem curſum naturæ, diſſoluere maleficia, reuelare theſauros in viſce-

ribus terræ existentes. *Prob. consequentia*, quia id possunt efficere boni Angeli, & auidiores sunt nostrarum vtilitatum, quàm dæmones.

Sit tamē nostra *assertio*. Magi opera miranda quæ efficiunt excedentia suas vires, nequaquā Dei virtute, aut Angelorum bonorum ea peragunt, sed virtute communicata à dæmonibus: ipsi enim sunt qui ea mediantibus magis operantur. Prior assertionis pars est cōtra quosdā, qui moti secundo argumento (sed blasphemè) opera magorum Deo adscribūt, vt operantur principaliter mediante gratia gratis data, miraculorum, linguarum, &c. Sed *probatur* ex doctrina D.Thom. D. Th. de potentia *q. 6. art. 5.* nam gratiam faciendi res mirabiles communicat Deus in testimonium veritatis, & commune bonum: sed si magis communicaret Deus gratiam faciendi eas res mirabiles, quæ excedunt eorum facultates, esset testis falsitatis: putà suorum dogmatum, suorum rituum, suorum scelerum: ergo non est id credendum de Dei bonitate, & æquitate. Consimili ratione negauimus supra dogmatizatoribus Hæreticæ prauitatis, Deum non communicare donum miracula faciendi.

Secundo. Deus, & Ecclesia seuerè prohibēt huiusmodi magorū opera: ergo ad ea efficienda non dat suas gratias. *Tertio.* Qui operātur ex dono gratiæ gratis datæ, ad certū tempus, occasionem, & cæremonias, non restringuntur: sicut magi, qui si vel minimo deficiant, nihil efficiunt. *Quarto.* Vsus gratiarum non habetur habitualiter, vt supra diximus, neque traduntur hæ gratiæ per disciplinā & præcepta: at magis quoties libet, factis certis cæremonijs (quę potius inuocationes dæmonum sunt,) operantur, & suos discipulos magiæ artem docent, & auditores magistrorum sequentes præcepta, quæ Magistri, eadem operantur.

Secunda pars assertionis est contra quosdam Platonicos Iambicū, Porphirium, Plotinum, Proclum, & Iulianum apostatam, & cōtra alios modernos, qui horum magorum opera, si ad aliquod bonum ordinētur, aiūt esse Angelorum opera: sin minus dęmonum. Ita Glicas, Nizetas, & alij. Glicas. Horum sentētia plusquam falsa est. Nizetas. Et probatur primo ex quodam art. Parisiensi dicente: *Quod boni Angeli includantur in lapidibus, & consecrent imagines, vel vestimenta, aut alia faciant, quæ in istis artibus continentur* (magijs scilicet) *error.* Secundò quia in iure Canonico vniuersaliter vetatur, horum magorum ars, vt videre licet *causa 26.*

Tertiò ratione. Nam Angeli horum magicorum effectores, exhibent se adorandos; imò & præcipiunt: iubēt sibi sacrificia offerri: quod certè nō facerent, neque permitterent boni Angeli. *Quarto*, quia istorum magorū ars indifferenter dirigitur ad inferenda mala per furta, adulteria, neces, &c. & ad bona conferenda. Miscent itidem multa mendacia, & deceptiones, vtuntur etiam imperio, & minis

rerum

rerum impossibilium, vt superius retulimus: at nullum horum tribuendum est Angelis sanctis.

Tertia assertionis pars colligitur à sufficienti diuisione; nam si opera præfata nequeunt fieri nisi ab operante per intellectum; non ab homine; quia eius facultatem superant; non à Deo, aut bonis Angelis, vt probauimus; neque ab animabus separatis, de quo inferius: ergo à dæmone necesse est fieri, qui ex certo inito fœdere cum magis, vocatus adest, vt ea opera perficiat.

Pro primi argumēti responsione, confutādæ essent opiniones, seu potius deliria Auicenæ, & Fulginatis; sed quia nullo apparenti fundamēto nituntur, refutationem huius relinquo Michaeli de Medina *in libr. 2. de recta in Deum fide c. 7.* secundi verò, Sybillano *Decade 3. peregrinarum quæst. q. 3. c. 8.* Ad *secundum* non inficiamur possibile esse vt Deus magis gratias aliquot gratis data communicet: maximè miraculorum, & fortè id fecit quando ex circunstantijs expediebat ad bonum Religionis, & Dei gloriā: sic fortè accidit Claudiæ Virgini idolatræ, ad testificandum, & prouehēdum bonum castitatis; cæterum id raro contingit, aut fortè nunquam, propter rationes allatas in probatione nostræ assertionis: per hoc tamen non negamus, quin magi operentur quædam mira, valde similia his, quæ sancti homines, & Angeli, virtute à Deo accepta, efficiunt, quando suas naturales vires excedunt: de quo statim. *Ad 3. respondetur*, non esse negandum bonos Angelos communicare aliquādo suam potestatem, & homines adiuuare, vt alijs beneficia sanitatum largiantur, consiliorum, &c. Sed hoc non faciunt vt magi ad sustentationem, vel sicut dæmones, vt colantur ab hominibus: sed solum propter Dei gloriā, & commodum hominū, & ideò ferè semper occultis modis. Quare opera magorum, quæ indifferenter diriguntur ad bona, & mala præstanda, imò tandem ad exitium inferendum, non Deo, neque Angelis adiuuantibus, adscribēda sunt vt actoribus, sed dæmonibus.

Mic. à Medina. Sybillan.

DISPVTATIO III.

De modo, id est, de via, ac operationibus, quibus dæmones, siue per seipsos, siue ad inuocationem magorum, opera miranda efficiunt.

PRo decisione præmittendum, præfata opera necessario debere perfici per actionem transeuntem in exteram materiam: siue ea actio sit substantialis, vt generatio, siue accidentalis, vt motus localis, alteratio, augmentatio. Rursus ea operatione, vel fiunt mirandi opera immediatè sine vlla alia media actione, vel mediatè, id est, mediante alia actione: quæ à priori ortum habet, & ad quam consequitur. His suppositis.

Primo dico. Quidquid factibile est per motum localem immediatè possunt dæmones efficere. Prob. primo, quia materia corporalis obedit Angelis

Angelis ad nutum in ordine ad localem motum, vt demonstrat D. Th. 1. p. q. 110. art. 3 & locis nuper citatis. Possunt autem quamplurima miráda efficere per talem motum, sicut & ipse motus localis eorum admirádus est, multis excedens hominum ac rerum aliarũ corporearũ locales motus. Est enim diuersæ rationis, ac qualitatis, & æquiuocè motus in ordine ad illos. Vnde & possunt dæmones naturali sua virtute transire continuè per medium, & possunt transire de extremo ad extremum non pertrãsito medio: ac proinde poterunt ab vno loco ad alium valdè distantem velocissimè moueri, & tempore ferè imperceptibili, imò æquè velociter ad distãtem, & ad propinquum: de qua re 1 p. q. 53. nihilominus quando corpora mouent id necessariò debet fieri motu continuo medium pertrãseundo: & licet possit fieri ab eis motus citissimus, & in breui temporis spatio: aliqua tamen temporis mora necessaria est, & tanto maior, quanto extrema motus distantiora sunt.

D. Thom.

Hinc, videlicet ex motu locali, possumus assignare rationé multorũ effectuum admirandorũ, & quæ humanam fidem excedere viderentur, nisi accederet autoritas dicẽtium, & experiẽtia idem comprobare. *Primo.* Possunt dæmones homines, bruta, & alia corpora, ab vno loco in alium, quãtumuis distantem, in modico tẽporis spatio trãsferre. Dæmon Christum Dominum à deserto vsque ad pinnaculũ templi portauit, vt Diuus Gregorius *in Homilia*, & alij pòst eum asserunt: & Angelus bonus portauit Habacuc per longa terrarum spatia, Danielis 8. nec Scriptura aut Sancti adscribunt hoc virtuti speciali Dei, sed naturæ, & virtuti naturali motiuæ Angeli, quæ in malis conseruatur vsque adhuc: nostri etiam temporis magi crebrò ad longinqua loca à dæmone feruntur, quinimò & alios secum, volantes per aëra in caballo fremente, id est, dæmone sub forma caballi, par aëra deferunt, monitos primum ne signo crucis se muniant, sicut narratur sæpè apud Sprengerum, & Syluestrum *lib. 1. c. 14. pun 4. & hist. Eccles. in vita* D. Petri narrat, Simonem Magũ à dæmonibus inuisibiliter per aera euectum esse in sublime, quasi ascendentem in cœlum: inde tamen precibus Beati Petri ad Deum fusis deiectus est in terram.

Greger. Daniel. 8. Sprenger. Syluest.

Secundo. Per localem motum possunt ignem ex superiori aeris parte in terram demittere, in perniciem hominum; item turbulentos, & vehementes vẽtos, quibus magna subruãt ædificia. Ita habetur Iob 1. Possunt etiam dæmones per motum localem grauissimos in mari ventorum impetus, procellas, & varias tẽpestates excitare, vel aquas maris ab imo sursum commouendo, vel per concitatissimos ventos: possunt itidem ingẽtes facere terremotus, vel includendo vehementem aliquem ventum in cauernis terrę, vel inclusum in illis vehementius agitando. Ad hũc modum reor esse dicendum, de aliqui-

Iob. 1.

bus

quibus mirandis magorum circa vẽtos excitandos, Ericus Rex Gotthorum quocumq; verteret pileũ, inde prosperum vẽtum eliciebat, nimirũ dæmone mouente ventum ad signũ pilei moti. Ita Ioannes Magnus *lib.* 17. *historiæ Gotthorum*, & Olaus Magnus *lib.* 1. *c.* 1. *& lib.* 3. *c.* 18. de lappis finnis & Biarnis narrat, esse solitos vendere ventos nauigantibus, dæmonibus, scilicet, eos accersientibus propter pactum cum ea gente initum. Et ad eum fermè modũ fieri potuit, quod narrat Philostratus *lib.* 3 *c.* 3. de duobus dolijs, quæ vidit Apollonius apud Indos: quæ cum aperiebantur imbres, & ventos emittebant: clausa verò, cohibebant: & quod Gentiles fabulantur de Æolo Deo ventorum: dæmones efficiebant, vt illi sub nomine Æoli colerent. *Tertio*. Possunt dæmones subitò res præsentes è conspectu adstantium subtrahere, atque isto pacto reddere inuisibiles. Ita dicitur Apollonio, qui cum esset in conspectu Domitiani Imperatoris, repentè ex omnium oculis recessit, & quasi euanuit: sed longè alibi inuentus est: quod est manifestum signum, à diabolo asportatum esse. *Quarto*. Potest dæmon facere vt statuæ, vel aliæ res inanimatæ ambulent quasi motu progressiuo, dæmone, scilicet, eas mouente. Sic fiebat illud quod refertur à Philostrato *lib.* 3. *c.* 8. cum enim Apollonius, & Hiarcha, & alij Brachmanes mensæ accubuissent; Tripodes lapides sua sponte fuisse motos, & ab æreis pincernis calices in gyrum circumlatos esse, certa mensura vinum, & aquam miscentes, & cyathos offerentes conuiuijs. *Quinto*. Possunt per eundem motum facere vt statuæ, arbores, & bruta more hominum loquantur; exemplum in simulachro Iunonis. Ita Valerius Maximus *lib.* 1. *c.* *vltimo*, & illud de vlmo salutãte Apolloniũ, vt ait Philostratus, quæ non fuère veræ voces vt infra videbimus, sed soni eis similes in aere formati. Denique multa alia miranda faciunt dæmones medio locali motu, in quo potentissimi sunt, & nos sparsim adducemus in sequentibus.

Ioã. Mag. *Ola. Mag.* *Philostra.* *Philostr.* *Valerius.*

Altera dæmoniorũ actio mediata est consequens ad localem eorum motum, in quo potentissimi sunt, & per hãc possunt quidquid causæ naturales possunt, eas applicando per localem motum, vt operentur iuxta naturalem modum suum, & actiuitatem, & sic operantur miranda, quę hominum operationem exuperant. *Primo*, quia noua & inusitata sunt hominibus. *Secundo*, quia modus operandi eis occultus. *Tertio*, quia dæmones nouerunt virtutes occultas rerum, latentes in quibusdam rebus, putà aquis, succis, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, & animalibus, quin imò in ipso hominis corpore operum admirabilium effectrices, & accommodata nouerũt applicãdi tempora. *Quarto*. Sicut homines variè, temperando, & modificãdo res naturales, possunt effectus naturales producere, quos per se na-

turales causæ nunquā produxissent, vt patet in distillationibus aquarū in arborum incisionibus, in ciborū cōdimentis, in pharmacarū confectionibus: ita dæmones, qui artificiores sunt hominibus, solertiæ, & artificij, ac confectionum vix est quod ignorent, propter assiduam experientiam, & obseruationem eorum, quę Angeli, & homines ab initio mundi patrarunt, sic aptè concinnari, & cōponere ac miscere possunt causas naturales, vt effectus mirabiliores producant: quos causæ illæ naturales nunquam per se produxissent.

D.Thom. Ac denique, quia vt ait D. Tho. 3. contra Gentes, cap. 10 . cum Angeli, vel dæmones vtuntur causis naturalibus ad aliquos producendos effectus, vtuntur eis tanquam instrumentis: ex instrumento autem procedit effectus, non tantum eius virtuti respondens, sed multo etiam præstantior, & perfectior, respondens, scilicet, virtuti principalis agentis, à quo instrumentum mouetur ad operandum: quemadmodum securis non tantum secat, sed etiā facit lectum, vel mensam, vel hominis statuam, vt est instrumentum hominis ex arte operantis, & calor naturalis, qui est in semine, vel in animali, non solum calefacit, & rarefacit, ac segregat; sed etiam generat sanguinem, carnes, & ossa in virtute animæ, vel animalis, cuius est instrumentum. *Simili ratione*, causæ naturales interdum producunt effectus præstantiores suis ipsarum virtutibus; ex eo quod sunt instrumenta Angelorum, vel dæmonum, à quibus mouentur, & reguntur.

DISPVTATIO IV.

Quæ non possunt Angeli, & dæmones, neque magi, eorum ope, efficere?

ET in primis hoc iacendum est fundamentum ad quæstionem decidendam apprimè necessarium; neque Angelos, neque spiritus, neque magos posse ordinem naturę, aut leges vniuersi, quas Deus ad gubernationem orbis fixit, inuertere, aut immutare; siue sermo sit de potestate per motum localem (quæ est actio immediata dæmonis) siue de applicatione actiuorum, & passiuorum per alterationem, aut corruptionem, generationémve, quæ sunt eius actiones mediatæ. Itaq; non possunt qnidquā quod naturam superet, & proinde non valent efficere aliquid, quo ordo, aut lex gubernationis vniuersi immutetur: hæc enim potestas solius Dei est, vt causæ principalis, & earum creaturarum, quibus Deus vt instrumentis, eam communicat per donum miraculorum patrandorum.

Hæc assertio est cōtra veteres Poëtas, qui inducunt magos minitantes se totum naturæ ordinem subuertere posse: sed iactantia superba, & sine fundamento. Nostra verò assertio approbatur à tota Theologorū Schola, præcipuè à Diuo August. lib 3. de Trinitate, & à D. Th. *lib. 3. contra Gentes.* D Thom. August.

tet, cap. 102. & q. 16. de malo art. 9. ad 2. & probatur ex Apostolo ad Hebræos 2. *Non subiecit Deus Angelis orbem terræ futurum.* Sic interpretatur D. Chrysostomus. Theophil. & Diuus Thomas, *quos sequitur* Ribera, quamuis alij de nouo mundo dicant testimonium esse intelligendum. Sed *melius probatur ratione*, quia pars neque inclinationem, neque potestatem habere debet ad subuertendum totum: pars enim propter totum est.

Hebr. 2.
Chrysost.
Theophil.
Ribera.

Ex præfata assertione quàplurima deducuntur. *Primum.* Non poterunt dæmones cœlorum, aut sydeřũ motus sistere, neque eorum cursus retro agere, vel mutare, vel velocius quàm modò mouere. *Probatur* quia esset ordinem à Deo præstitum orbi inuertere. Quapropter illam magorum iactantiam minitantium se Lunã posse à cœlo deturbare: inane delirium iudicato. Si fabulis delectaris, poteris videre non illepidam de Arcadibus putantibus, dum Luna ecclipsaretur esse epotam ab asino, apud Ludouicum Viues commentarijs, *super* 10. *lib de Ciuitate, cap.* 4.

Viues.

Secundum. Non valent dæmones, neque Angeli integrum elementum de suo loco naturali ad alium transferre, neq; partes, quibus integratur Mũdus, auferre, aut ex suo exturbare loco: quia esset ordinem vniuersi immutare. Dubitas fortè; an hæc non possint, quia carent ad id efficiendũ virtute motiua? an verò quia à Deo prohibentur, ne destruatur orbis? D. Tho. conformior prior dubitationis pars: nam in *quæst. de malo*, vbi supra ait, quod idem est naturalis motus totius, & partis, non tamen eadem vis sufficit ad mouẽdum totum, quæ mouet partem. Vnde licet dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur, quod possint mouere totam terram, quia hoc non est proportionatum potẽtiæ ipsorũ, vt mutent ordinem elementorum mundi. Hinc poteris colligere motiuam potentiam Angeli, non solum respicere molis quantitatem, sed potius inclinationem rei mouendæ.

Tertium. Non poterunt vacuũ producere, neq; in tota aëris regione, neque in minimo spatio: quia ordo vniuersi, quod oportet esse contiguũ lationibus superioribus destrueretur. *Quartũ.* Neq; corpus de extremo ad extremum transferre non transito medio, neque in instanti mouere, neque corpus longè à se distans, putà Angelus existens in Oriente, non poterit mouere corpus in Occidente extans, quia positio hæc extra suæ actiuitatis sphæram continetur, neq; quantalibet celeritate mouere, quia vis motiua dæmonibus limitata est certis limitibus, & licèt attenta sua naturali virtute, possent animas separatas localiter quo vellent deferre, tamen à Deo prohibentur.

Quintum. Non possunt aliquid ex nihilo producere, neque annihilare, quia hoc solius Dei omnipotentiæ reseruatur. *Sextum.* Dæmones, aut magi non valent per localem motum immediatè producere aliquam

formam substantialem, siue accidentalem, nec magis corpoream, & permanentem. Dixi, corpoream, quia aliquod lumen intelligibile possunt communicare. *Dixi, permanentem*, quia fortè aliquam formam accidentalem debilis entitatis cum motu locali citò interituræ, & ad eum sequutæ, poterunt subiecto motabili imprimere. *Ex assertione sequitur*, non posse producere equos, boues, aut alia animalia perfecta: quia hæc nisi à generāte eiusdē speciei, produci nō valent. Sequitur etiā non posse carnem, sanguinē, ossa, & huiusmodi partes integrales viuentium efficere, quia à principio viuenti vitę alicuius generis, prodire ne necesse est. Probatur nostra assertio ratione *D. Thom.* D.Thom. *1. p. quæst.* 110 *artic.* 2. omne quod fit à sibi simile fit, sed compositum est id, quod fit, non forma: ergo nequit aliquid corporale fieri nisi ab agente composito ex materia, & forma (cuius compositionis dæmones expertes sunt) aut ab eo, qui eminenter continet formam, & materiam, qualis est solus Deus. Sic igitur omnis informatio materiæ, vel est à Deo immediatè, vel ab aliquo agēte corporali: non autem immediatè ab Angelo. De hac re D. Thom. D.Thom. *3. contra Gentes. c* 103. *& quæst. de dæmonibus art.* 9. *& alibi sæpè*: nec possunt exercere opera verè vitalia, vt loqui, comedere, audire, quia hæc necessariò sunt à principio vitali intrinseco. D. Thom. 1. *part. q.* 51 *art.* 5.

Septimum. Neque ex qualibet re naturali possunt facere quamlibet, quia non possunt, vt dicebamus immediatè formā introducere, vt autē mediatè possint, necessariū est aptas dispositiones agentium, & patientiū naturalium præcedere: nulla verò res est, quæ capax sit omnium dispositionum requisitarū ad singulas formas.

His modò dictis proximè accedit *octauum assertum*. Nequeunt dæmones, neque magi eorum ope, corpora perfectæ alicuius speciei in aliam speciem transformare. Dixi, perfectæ speciei, quia sicut naturaliter fortè fieri potest, vt animalia quędam imperfecta in alia transmutentur, de quo *Aristot. libro* 5. *Histor. animal. capite* 19. & Plinius *libro* 11. *natural. histor. capite* 22. Aristot. Plinius. ita dæmones explicatione causarum naturalium possent efficere. Probatur assertum ex Augustin. *libro* 18. *de Ciuitate, capite* 18. August. & de spiritu, *& litera capite* 28. Quod dupliciter potest intelligi. *Primo modo*, vt ex anima, & corpore vnius animalis fiat alterius speciei animal: verbi gratia ex equo elephantus. *Secundo modo*, vt ex homine, aut equo fiat canis, aut lapis, per hoc quod forma præcedentis compositi informet corpus pertinēs ad indiuiduum alterius speciei. Vterq; modus naturę impossibilis, prior impossibilior: maximè si ex homine esset efficienda bellua, aliàs anima rationalis corrumperetur, neque immortalis esset: res aliena non solum ab orthodoxa

doxa fide, verum & lumini rationis dissona. *Item*, quia hoc esset fingere transubstantiationem quandam in rebus, dum vna in alteram conuerteretur: quod (præterquam in Eucharistia virtute diuina) non admittunt sapientes scientia seculari; neque orthodoxus quispiam. *Secundi* autem modi impossibilitas ostenditur; quia quælibet forma substantialis, vt suũ esse tribuat informando, requirit peculiares, & sibi conuenientes dispositiones, & organizationem corporis propriam: est enim actus corporis physici organici (Aristot. 2. de Anima) ergo neque anima humana corpus ferinum, vel ferina humanum informare poterit secundum naturæ ordinem.

Arist.

Quod si obiicias Nabuchodonosorem conuersum in bouem, *Danielis* 4. & vxorem Loth in statuam salis, *responsio* in promptu est, id factum esse diuina virtute; nos de virtute naturali dæmonum oppositum asseueramus. Mitto modo, quod multi ex Patribus negant eum Regem formã bouis accepisse, imo neque effigiem bouinam: sed dumtaxat ita esse mente alienatum, vt se bouem crederet. Alij forte probabilius vt Gregorius *lib. 5. Moral. cap. 8.* affectiones illius Regis in bouis temperamentum commutatas, figuram etiam humanam quodam modo in bouinam degenerasse, sensusque internos similes brutorum sensibus. Vnde factum est, vt instar quadrupedis incideret, & fœno vesceretur, & homines fugeret, & in deserto moraretur. Diuina vero virtute factum est sub tali temperamento, & habitudine corporis, rationalem animam perseuerare, vt pœnitendo resipisceret. Conuersionem autem vxoris Loth factam fuisse per Angelos malos, ex Dei iussione, & virtute diuina, non displicet D. Thom. *de malo qu. 16. ar. 9. ad 3.* vbi negat dæmones posse propria virtute corpora vnius speciei in aliam transformare: non possunt etiam dæmones quantitatem corporum sic mutare, vt penetratio partium sequatur. *Prob.* ex doctrina Philosophi, & D. Thom. dicentium secundum naturæ ordinem non posse esse partium, aut corporalium dimensionum penetrationem.

Daniel. 4

Gregor.

D. Thom.

Hinc fit vt nequeat dæmon facere, vt striges in forma cati, aut mustellæ per rimulam, & multo minus foribus clausis ingrediantur cameram, vt ipsæ mentiuntur: & propter eandem rationem puto non posse dæmones duo corpora ponere in eodem loco. Non possunt dæmones facere, vt homo resurgat, & multo minus cætera quæcumque viuentia, & non viuentia, si semel corrũpãtur. *Prob.* Id dicitur resurgere quod idem numero tã secundũ formã quã secũdum materiam iterum reproducitur: at hoc non potest fieri facultate virtutis creatæ, quia vt ait Arist. à priuatione ad habitum non est possibilis regressus, 5. physic. & 2. de generatione: ergo. *Prob. & declar. minor*; nã quando moriũtur bruta, animæ eorũ mo-

Arist.

riũtur,&totaliter desinũt esse,quando etiã non viuentia corrumpũtur, eorũ forma desinit esse:ergo cum natura non possit reparare idẽ numero; non poterit facere, vt forma amissa, aliud corpus, vel præcedens informet,quod informauerat, quia quod non est nihil poterit operari.

De homine vero poterat magis dubitari, quia eius natura propinquior est resurrectioni, propter animæ immortalitatem, & incorruptibilitatem. *Sed probatur*, dæmones,aut Angelos id non posse: tum quia naturæ viribus non conceditur regressus à priuatione ad habitum: tũ quia anima humana separata semel à corpore,vel informabit corpus, quod antea habitauerat,vel aliud:neutrum possibile est per naturæ vires: etenim modus naturalis vniendi animam corpori, necessario debet fieri per generationem corporis animæque creationem,aut infusionem. Corpus autem vt adaptetur animæ semel separatæ,neutiquam naturaliter generari possibile est; quia absunt dispositiones, scilicet conueniens temperamentum,calor naturalis, ac viuificus,spiritus animales, & naturales, verus atque humanus sanguis. Has porro atque alias res (sine quibus corpus humanum animæ rationalis capax esse non potest)non potest dę mõ,neq; vlla naturalis causa præstare corpori humano, cũ earũ rerũ naturalis, & propria causa sit, primo quidẽ,naturalis virtus seminalis, & formatrix humani corporis, postea vero naturalis virtus animæ sensitiuę & vegetatiuæ,quæ cũ ab anima sint, non possunt eam reunire volẽte dæmone. Ex his infertur,resurrectiones mortuorum,quæ à magis factæ narrantur:vel esse fabulosas,vel tantùm simulatè atque in specie esse factas à dæmonibus.

Obijciunt nobis,naturaliter muscas submersas reuiuiscere si in cineribus tepidis ponantur, apes si succo nepetę perfundãtur,pellicanũ pullos mortuos proprio sanguine ad vitam restituere, leunculos quoque mortuos voce, & spiritu parentum vita donari:ergo &opera dæmonum,qui possunt quidquid causæ naturales, poterunt animalia resurgere. *Respondetur.* Esto esset verum corpora brutorũ mortuorũ posse viuificari, non proprie dicerentur resurgere, quia alia distincta informarentur forma:& sic non essent eadem animaliã. Ad rigorosam vero resurrectionẽ nec esse est,vt idem numero viuens, quod mortuũ fuerat,viuificetur. *Secũdo resp.* animalia perfecta vita functa neque etiam posse sub diuersa forma, & in eodem corpore viuificari: quia cum hæc viuificatio fieri debeat per generationem viuentis perfecti: nisi mediantibus dispositionibus ab eodem viuente effectis, (quod non potest fieri in corpore corrupto) nequibit effectus produci. Quare si quando talia animalia videntur aliquãdo reuiuiscere: penitus mortua nõ fuere, sed mortuis similia Sicut quædam animalia,quæ certis anni temporibus

quasi

quasi mortua iacent, & postea in initio veris excitantur, & quasi reuiuiscere apparent, ut accidit gliribus, vrsis, & passeri vitulino, apud Mexicum. At vero animalia, quę ex putrefactione nascuntur, cum vitam amiserunt, poterunt à dæmone viuificari, naturalibus remedijs adhibitis, ipse enim nouit calorem, & dispositiones ad hoc requisitas congerere, quæ cum paucæ sint, & sine agente proximo induci possint virtute cœlorum, non mirum vt corpus præmortuum, de nouo informetur. Sed tamē propriè non erit idem animal mortuum & viuificatum, quia licèt materia fortasse possit esse eadem, si nondum corrupta totaliter erat: tamen anima, quæ ex eius potentia denuo educetur; non erit eadem numero cum ea quæ corrupta fuerat, & desierat esse. Maneat ergo certum dæmones non posse facere, vt homines aut alia animalia resurgant, quia hoc soli potentiæ Dei reseruatur.

Sed dubitas, an dæmones possint animas separatas loco mouere etiam coactas? *Resp. affirmatiuè*, si sermo sit de potestate naturali, tamen secundùm legem à Deo statutam hoc eis non permittitur, quia in animas sāctas nō habent potestatem, quod de cœlestibus est clarum, & certum de animabus purgatorij: decretum enim diuinum est, vt inde nō exeāt donec soluant, & tunc rectè tendant in cęlum, quod si forte aliquando aliqua illarum inde permittitur exire, fit ex speciali Dei dispensatione sine adiutorio dæmonum: animæ vero inferni ita ibi alligatæ sunt, vt nec sua, nec dæmonum voluntate inde exire valeant, propter Dei decretum eas ibi puniendas destinans: cuius non mediocre testimonium perhibet diuitis epulonis exemplum *Lucæ* 16. Ex dictis infero falsum esse quod ait Iustinus Dialogo cum Triphone de potestate dæmonum reuocandi animas etiam iustorum.

Vltimo nequeunt aliquam formam substantialem etiam præuijs dispositionibus in instanti producere: quia applicatio præuiarum dispositionum, cum per motum localem fiat, à dæmone nequit fieri in instanti, nec etiam possunt quantumuis paruo tempore, aut mora æquali quidquid volunt perficere: nam causæ naturales quarum actione mediante has formas producunt, plus temporis ad vnam rem producendam, quam ad aliam requirunt secundùm plures, aut perfectiores dispositiones vnius rei, quam alterius.

Hinc fit, vt vermes, locustas, mures, & huiusmodi insecta, producere possunt: tum sine actione causarum naturalium particulariū: tum in parua mora, eo quod dispositiones ad huiusmodi animalia imperfecta facile coagulantur, & parua consumpta mora: tum quia naturaliter producuntur sine causarum naturalium efficientium concursu. Vnde quando dæmones ea efficiunt, ad eos tantum spectat dispositio-

sitiones procurare, & quia paucæ sūt in parua temporis mora congregantur. Cætera vero viuentia perfecta nequeunt producere, etiam mediantibus causis proximis naturalibus, nisi in tempore congruenti, vt gignantur, & multo minus in statu perfecto: verbi gratia, ad generandum equos medio semine equino, indigent non modica temporis mora, & multo maiore, vt producant robustos equos. Denique nō possunt immediatè efficere, vt causæ naturales applicatæ sufficienter ad agendum, non agant: hoc enim solius Dei est, & eorum qui virtute diuina id efficiunt: possunt tamen mediante motu locali alterius causæ: v.g. si adamantem adhibeas, impedietur magnes ne ferrum trahat.

DISPVTATIO V.

An effectus isti mirandi, quos dæmones, & magos posse producere diximus, veri sint, an dumtaxat apparentes?

ET primo pro tituli elucidatione *aduertendum*, in dubium non verti, an aliquid dæmones possint efficere, aut per localem motum, aut alias mutationes ad eum consequentes. Etenim si eas operationes verè possunt efficere vt posse definimus, & easdem ad terminum verum seu obiectum terminare necesse est. Sed dubitatio est an hi effectus tales sint, quales appareant sensibus intuentium: & gratia exempli ante oculos ponamus, actionem præstigiosam; qua dæmones D. Antonium nitebātur decipere, in specie blandientium fœminarum; simulachra illa muliebria, vera simulachra erant, vere immutabant visum, veri effectus erant actionum, seu motus localis dæmonum, quo ea depingebant: sed tamen apparebant esse veræ fœminæ, cum tamen essent tantum illarum imagines inanes, & spectra decipientia oculos videntium. Sensus ergo dubitationis est, an omnia opera magorum, & dæmonum, sint fucata, & deceptoria, oculos & sensus percipientium fallentia: ita vt aliud essent, & aliud apparerent? an vero aliqua essent, & talia qualia apparebant?

Disputatio hæc deciditur, dicendo: aliquos dæmonum effectus veros esse, non sensus decipientes, quales sunt apparentes, aliquos vero fucatos, præstigiosos, ac deceptorios, qui vnum sunt, aliud apparent. *Prima pars* assertionis ex capite 13. Deuteronomij colligitur, vbi Deus prædixit Hebræis futuros Pseudo-Prophetas, qui prædicerent futurum aliquot portentum, idque ita euenire, vt ab eis fuerat prænuntiatum: & Iustinus martyr in responsione ad quæstiones orthodoxorum de Apollonio Tyanæo affirmat quædam admirabilia vera fecisse, vt maris impetus, ferarū incursiones, &c. Et D. August. *lib.* 3. *de doct. Christiana cap.* 7. & 8 & *lib.* 83. *quæstionum q.* 79. expresse asseris magos facere posse, & fecisse multa admiranda opera, explicans illud

Deut. 13.

Iust. mar.

August.

Matth.

Matth. 24. *Surgent Pseudo Christi, & seudo-Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et sequitur illum D. Thom. super istum D. Matthæi locum, & clarissimè 1 p. q. 114. art. 4. sic ait. *Sciendum tamen est, quod licet eiusmodi opera dæmonum* (narrauerat aliqua quæ naturæ humanæ facultatem excedunt) *quæ nobis videntur miracula ad veram rationem miraculi non pertingant: sunt tamen quandoque res veræ, sicut magi Pharaonis per virtutem dæmonum veros serpentes, & ranas fecerunt; & quando ignis de cælo cecidit, & familiam Iob vna cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit, & turbo domum eijciens filios eius occidit: ea fuerunt opera Sathanæ non sanè phātastica, sed vera, vt docet D. August. de ciuitate Dei.* Hæc D. Thom. *Secundo* ratione probatur, quia vt supra docuimus dæmones sæpe admiranda operantur, applicando actiua passiuis rerū naturalium, at certum est causas naturales si inuicem agant, & patiantur, effectus veros producere: ergo id ipsum dicendum est de dæmonibus & magis operantibus ministerio earundem causarum naturalium.

Matt. 24.

D. Thom.

Tertio quia aliquando reperti sunt artifices excellentes, qui opera miranda fecerunt, quæ rapiebant vidētes in admirationem: ergo dæmones & magi per eos multò mirabiliora possunt efficere; vtpote qui arte, ingenio, & experientia longè superant artificiosissimos quosque homines. Antecedens palam fiet in Archimede Syracusano, mirabili artifice, qui ingentem nauem onerariam quam plurima hominum turba magnis enisibus vix mouere poterat, hominibus insuper multis, magna sarcina & ingentibus ponderibus impositis, procul assidens, & quieta impellens manu, vi quadam cuiusdam machinæ ab Archimede compositæ, quasi tranquillo mari prolaberetur, ad se adduxit; & plures alias machinas bellicas, quæ horrorem, & admirationem incutiebant, legitur fecisse. Ita Plutarchus *in Marcello.* Non minus mirabile opus fuit columba lignea facta ab Archita Pythagorico, vt refert Aulus Gellius lib. 1. c. 12. quæ sic erat libramentis suspensa, & aere certo quodam modo intus occultè incluso, vt per aerem volitaret, ac si viua columba esset.

Plutarch.

Gellius.

Secunda pars assertionis perspicua erit recolenti ea, quæ diximus miranda fecisse Simonē Magum, quorum pleraque vana, & fucata erant, vt patet ex his, quæ diximus in disputatione præcedenti, superare facultatem dæmoniorum. Et de Apollonio Tyanæo Philostratus in vita eius multa opera narrat stupenda, sed ferè omnia præstigiosa, & dumtaxat apparentia.

Philost.

Sed an ea miranda opera, quæ magi Pharaonis fecere conantes resistere Moysi, fuerint veri effectus, puta veri dracones, verus sanguis, &c. an vero tantū præstigiosi, & apparentes? vetus, & litigiosa quæstio est. Ego libēs amplector sententiā Aug. *lib. 7. de Trin. c. 7. & 8. & l. 83. q. 79.* D. Th. *sup. 24*

August.
D. Thom.

cap. Matth & 1. p q. 114. a. 4. eos esse veros effectus, veros dracones, verum sanguinem, &c. eandem sententiam sequuntur moderni: videndus Caieta. *Exod* 7. & nos alio properemus.

Caietan.

Secundo dico. Vt plurimum opera mirabilia Magorum, ac dæmonum, fucata, & apparentia dumtaxat sũt. *Ratio est*, quia aliquando eos effectus veros producere non valent, vtpote omnipotentiæ Dei reseruatos: v. g. suscitare animas mortuorum; & vt occultent suã potentiã recurrunt ad deceptionẽ, & faciunt quædã præstigiosa, quæ apparent pertinere ad mortuorum resurrectiones: aliquãdo vero etsi aliquos possunt effectus veros producere, attenta sua naturali virtute, Deus nõ sinit eos ea vti: & si Deus sinat, ipsi nolũt veros producere, contenti apparentibus. Tũ quia facilius fiunt per motum localem, nullis quæsitis virtutib. & dispositionib. causarũ naturalium: tum quia amatores sunt deceptionũ, & si decipere valent simulachris, non largiuntur vera bona: si spectro ad Venerem alliciunt, non dant facultatem ad naturalẽ concubitũ. Quo fit, vt quando dubitatur, an effectus sit verus, an vero præstigiosus, coniectura non leuis sumatur ex prædictis, præstigiosũm esse: quando autẽ verum est, & certum, effectum vires dæmoniacas excedere: etiam valde perspicuum est præstigiosum esse. Quãdo autẽ eas vires excedat habes ex dictis in præcedenti disputatione.

Sed antequam ab hac disputatione recedamus decidenda sunt quædam dubiola ad idẽ pertinentia. *Primũ* de effectibus mirandis, quæ Exodi c 7. narrantur facti à magis, scilicet virtute dæmonis virgas conuersas in dracones, aquam in sanguinem, ranas, &c. an fuerint illi effectus veri? an vero præstigiosi, & dũtaxat apparentes? Duas oppositas sententias reperio habentes singulæ illustres, & antiquos patronos, quos enumerat Benedictus Pererius *super dictum caput q* 9. & 10. plausibilior est D. Augustini, & D. Thomæ, *vbi supra*, asserentium fuisse veros dracones, verũ sanguinẽ, veras ranas; nec displicent Lyranus, & Abulensis dicentes, eos dracones non esse arte magica repẽtè factos, sed ope dæmonũ occultè è montibus allatos, vbi gradiebantur.

Exod. 7.

Lyra. Abulens.

Secundum dubium est, & celebre, de lamijs, Hispanè *Bruxas*, quæ dicuntur ferri à dæmone per aera ad loca valde distantia: an hoc verè contingat? an solum per phantasiæ illusionem? Postremum asserunt ferè omnes Iuris Canonici periti: fundantur in *c. Episcopi* 26. *q* 5. & in experientijs multis, quæ referuntur, quales sunt relatæ ab Abul. *in c.* 13 *Genes. q.* 354. & Caietano infra *quæst.* 95. *articulo* 3. de quibusdam fœminis maleficis, quæ dicebant media quadam vnctione ferri ad loca valde distantia, in quibus simul cum alijs tripudijs, & choreis vacantes, omnis voluptatis genere perfrui: & tamen ad sumendam experientiam se se coram alijs vnxerunt,

Abulen. Caietan.

runt, & statim grauissopore correptæ in eodem loco iacuerunt, & postea ad se reuersæ narrabant ad quæ loca,& conuiuia perductæ fuerint: vnde conuictæ sunt non in re, sed sola illusione phantasiæ ea omnia illis accidisse.

Secunda sententia affirmat, has maleficas verè deferri ad loca distantia,& ibi multa turpia,& sacrilega cum alijs, & cum ipsis dæmonibus in forma visibili, interdum humana,interdum hircina,& similibus, committere. Hæc est communis sententia Iuris peritorum, ac Theologorum, vt ait Penna *in Directo. comment.*68. eamque ita tenaciter affirmat Abulēsis *quæst.* 47. *in cap. quartum Matth.* vt dicat non posse sine impudentia negari, cum mille testes occurrant,qui harum rerum conscij sunt. Idem late Sprengerus *in Malleo,* & Castro *libro* 1. *de iusta Haret. punit. cap* 16. & Paulus Grillandus *de sortilegiis*, *quæstione* 7. & alij multi. De his item lamijs dicitur sæpe accidisse, vt in illis conuenticulis ad quæ deferuntur, vt nonnullæ aliqua occasione pauore affectæ, vel nomen Iesu proferant, vel signu Crucis se muniant;& statim congregatio dissoluatur,& omnes dispareant,ac dęmones fugiant,& solæ maneāt quæ signo sacro vsæ sunt,& eo in loco in quo esse putabant,se inueniant, ac pedites non sine angustia domum redire cogantur. De qua re multa Spreng. & Petrus Binsfeldius lib. de confessione maleficorum prælud.10.

Penna. *Abulen.* *Sprenger.* *Castro.* *Grilland.* *Binsfeld.*

Existimo iuxta vtramque sententiam, sæpe accidisse vt experientiæ allatæ testantur; & ad caput. *Episcopi,* allatum pro prima sententia, concesso illud esse satis authenticum (quod quidam inficiantur) respondetur, quæ in illo capite dicuntur non esse generaliter accipienda, sed applicāda ad eum dumtaxat casum & materiam, de qua ibi erat sermo: scilicet, de quibusdam fœminis,quæ credebant esse aliquam Deam Dianam,quæ veram potestatem, & dominatum haberet,cuius virtute interdum per aera equitando ferrentur,& ad illius obsequium, & seruitium vocarentur, cui etiam obediēdum vt Deæ esse credebant. Item quod de Herodiade illa cogitabant tanquam de fœmina, quæ resurrexerat, & per aera æquitaret omnino erat, & per aera æquitaret omnino erroneum erat. Sic ergo in illa narratione multi errores includebantur; quod satis colligitur ex illis verbis textus: *Innumera multitudo hac vera esse credunt, & credendo à recta fide deuiant: & errore Paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantur,*& cætera vidēda omninò:& ita huiusmodi credulitas in illa materia ibi magis damnatur,quam opus faciendi maleficia ex pacto cum dæmonibus, quamuis hoc etiam valde damnabile sit. Sic interpretantur illum textum Doctores communiter, præcipuè Turrecremata *ibi arti culo tertio*, & Abulens. supra *ad primum*, & Syluest. verbo, *Haresis*

Turrecr. *Abulens.* *Syluest.*

3. late, & latius in *opusc. de strigimag. Dæmonq; mirandis, l. 2. c. 1.* qui non sine delectatione cupientis curiosa poterit videri.

DISPVTATIO VI.

De modo quo effectus quidam dæmoniaci dumtaxat apparentes veri appareant.

DIsputatio hæc nimis subtilis valde proficiet pro cognitione apparitionum, reuelationum; & cætera maxime quæ à dæmonibus efficiuntur: & ideo detrecturus inimici antiqui fraudes, quibus conatur homines deludere falsa pro veris ostendendo, animaduerto huiuscemodi præstigia deceptiones seu errores (hæc enim omnia pro eodem in præsentiarum vsurpo) posse circa sensus externos, & internos, & circa intellectum, & quodam modo voluntatem euenire.

De deceptione circa sensus externos.

DEceptio circa sensus externos (quæ proprie præstigium appellatur) accidere potest ex parte obiecti, ex parte medij, & organi. Ponamus exemplum in potentia visiua, quæ plures deceptionis modos patitur: ex parte obiecti decipit diabolus dupliciter, vel efformando nouũ obiectum, quod vnum; cũ aliud appareat; vel iam efformatum variè collocando, aut mouendo, obiectũ, inquã de nouo formãdo ex aere, aut alio elemẽto, & illud oculis obijciendo: siue dæmones illud corpus phãtasticũ assumant, siue illud circumponant alteri rei, vt aliter quam res est appareat. Ad hunc modum deludere solet ac delusit sæpe homines Versipellis, vt testatur Aug *l. 18. de Ciuitate Dei cap. 18.* quando ostendit socios Vlisis magica arte Circis mutatos in bestias, & Arcades quando transnatabant quoddam stagnum, conuersos fuisse in lupos: & quod stabulariæ mulieres homines in iumenta conuertebant, & respondet D. Th. *qu. 16. de malo art. 9. ad 2.* ex eodem August. omnes præfatas conuersiones factas fuisse secundũ phãtasticam apparitionem dæmoniorũ: & aliquando Diuo Antonio, & alijs, in forma horribili Leonum, Serpentum, & aliarum ferarum, ei dæmones apparuisse legitur, vt terrerent. *D. Thom.*

Aliquando in specie pulcherrimæ mulieris, vt ad venerea allicerent, interdum oculis obijcierunt varias formas rerum inanimatarum, vt auri, argenti, gemmarum, vini epularum. Extat huius effictionis, seu apparitionis famosa narratio apud Philostratum *l. 4. de vita Apollonii, c. 5.* de quadam lamia, quæ Menippo iuueni, cui perpulchra effigie apparẽs, nubere se velle simulabat, ac plurimas opes, & pretioso ornamẽta, magnamque vini, & epularum copiam ostẽtabat. At Apollonius miserat⁹ iuuenẽ, oẽs eas res docuit esse inania simulachra, & imagines dũtaxat earũ rerũ, quas repræsentabant: quo dicto *Philostra.*

totus ille apparatus ex omnium oculis euanuit, & vetula illa se esse lamiã confessa est. Hæc autem omnia, & similia per solum localem motũ posse effigiari probatur. Quia cuiusuis rei corporalis similitudo in figura, & colore consistit, sed hæc per solum localem motum fieri possunt: ergo & huiusmodi imagines rerum, quibus dæmon decipere conatur homines, vt putent esse eas res, quas repræsentant. *Minor probatur.* Quia statuarios per solum motum localem efficere figuram, imò ipsam, nisi per localem motum, addendo, subtrahendo, mutando, aut disponendo, fieri non posse, certum est. Pictores itidem per solum localem motum colores admouendo res ita depingunt, vt interdum veræ, & naturales videantur, *Plinius.* sicut tradidit Plinius *lib. 25. cap.* 10. de vuis ita artificiose & Zeuxide pictis perfecteque, ita naturales vuas repræsentantibus; vt ad eorum esũm aues conuolarent. Quid non ad viuum repræsentauit dæmon, Zeuxide, & omnibus pictoribus, aut statuarijs dexterior artifex? Maximè, quia condensatione, & rarefactione possunt omne corpus figurare, & colorare, vt in nubibus experimur, & de alijs apparitionibus per hunc modum iudicandum est.

Ex qua verò materia eiusmodi simulachra fiant, communiter asserũt Theologi non ex terra, maximè quãdo dæmon vult statim, aut citò euanescere: neque ex aqua, propter eandem rationem, neque ex igne, ne tangentes comburantur: sed ex aëre, cuius signum est illud quod superius latè dixi, nonnullos huiusmodi spectra gladio secare, aut truncare adnixos, nõ valuisse: quia partes aeris diuisi statim continuantur. Aeris tamen nomine omnem vaporem quãtumcunque grossum, & terreum intelligimus, maximè quãdo dæmones se exhibent incubos, aut succubos, aeris tamen natura seruata, quod ibi faciunt dæmones ad alicuius rei proprietates signãdas siue hominis, siue equi, vel huiusmodi: dicũtur illa corpora ab eis assumpta, in quibus sunt non vt animæ vegetantes, & viuificantes, sed vt motores, instar naturæ in naui. Alias verò vbi talia corpora non ipsi effingunt ad aliquod signãdum, sed efficta à Deo vel à natura mouent; velut arrepticiorũ membra non assumpta eiusmodi corpora, sed occupata dici consueuêre: at isto modo etiam decipiunt sensus externos, circumponẽdo aliquod corpus phãtasticum corpori verò, vt occultetur, aut alterius figuræ, & speciei appareat esse quam est. Hæc dicta sint ad ostendendum aliquot mira, quæ à dæmonibus immediatè per motum localem fiunt, ex quibus nõ erit difficile in alijs quamplurimis discurrere, aut philosophari.

Interdum autem nullum simulachrum effingũt de nouo, sed obiecto sensibili alias efformato variè moto, varias dæmones inducunt deceptiones: v. g. obiectorum sensibilium celeri agitatione, subita occultatio-

ne, varia collocatione, separatione, vel cõglutinatione latente, vt faciũt circulatores (Hispanè, *jugadores de passa passa*, Italicè, *Ceretani*) varijs ligaminibus, sciphulis, globulis, &c. Aliquando per artem perspectiue certa quadã dispositione obiecti in ordine ad oculũ videntis. Si enim perspectiuæ dediti homines, efficiunt, vt lineæ in tabula longa confuso ordine ductæ, si è directo aspiciantur lineæ rudes vidẽtur & sunt, si tamẽ aspicis per foramẽ, aut tabula rotata speciẽ reddunt alicuius artificiosæ imaginis, cur nõ hęc, & mirabiliora efficiet dæmon in omni arte peritissimus?

Ex parte medij aëris multi etiã deceptiones dæmoniacæ contingunt. *Primo*. Si dæmones impediãt ne species ad oculum, vel ad alium sensum deferantur, quod non erit difficile, si inter sensum, & obiectum aliquod impeditiuum specierum inijciant, & sic totum obiectũ, vel partem occultent. *Secundo*. Si medium aliqua qualitate afficiant, qua species per medium transeuntes, sic afficiantur, vt obiectum non quale est repræsentent. Isto modo velum nigrum, cuius species per fenestellã vitream viridẽ transeũt viride apparet. *Tertio* Si medium circa ipsum obiectum [illegible] res visa aliter apparet quàm in se est. Sic accidit vt si aëris intermedij vapores condensentur: Lunam augeri, aut minui appareat. *Quarto*. Ex varia conformatione, vel multiplicatione specierũm sensibilium ab obiecto vsq; ad sensum emissarum: ad istum modum oculus videns res quædam conspicila artificiosè formata iuxtà perspectiuam artem, decipitur plures res videns, cùm vnicum tantum sit obiectum visum.

Famosior deceptio, & quæ plus in admirationem rapit videntes, & audientes, ea est, quando extra sensum nullum obiectum est quod actu sentiatur, neq; à dæmone efformatum, neq; à natura productum: & tamẽ re vera sensus ita immutatur, ac si obiectum præsens esset: v.g. quando dæmones, aut Magi eorum ope præstigiose faciunt, vt mulier appareat, equa, aut quando nullum sensibile obiectum adest, & tamen sentitur aliquid, ac si re vera adesset, sicut contingit interdũ febricitãtibus, qui vident in pariete ex aduerso stante picturas, & imagines, quæ re vera non sunt, neque res, quarum sunt imagines, ibi adsunt.

Non defuerunt qui existimarent istum præstigij modum esse impossibilem, eo quod sensatio, maximè exterior nõ potest fieri à non ente, quia sensus in actu ab obiecto in actu immutari necesse est. Quod si quispiam dicat non esse obiectum secundum suum esse reale, sed secundum suam similitudinem, id est, speciem, à qua actuatur sensus. *Contra hoc arguitur* supposito communi consensu Theologorum (de quo suprà) dæmonem nullam formam posse immediatè imprimere in potentias, nisi mediatè concursu aliarum rerum naturaliũ: tũc sic, vel illa species ortum habet,

bet,& emittitur à re, quæ vnum est, & apparet aliud: v.g.à muliere, quæ apparet equa,& hoc non,quia tantū est emissiua speciei, quæ repræsentet mulierem,& non equam,nisi in eadē reponas duas formas substantiales, & duas figuras ad eas consequentes, quod est impossibile. *Et praterea* illa res talis iudicaretur ab omnibus,ꝙ quandoq; non sic euenire certū est, vel illa species dumtaxat in sensu, & hoc nō,quia sensus nō habet speciē, nisi à rebus acceptā,supponimus autē in sensu nō extare rē, cuius species repræsentatiua est:quia neq; in aëre circunstante est aliqua forma, vnde ortū habere possit, & à qua emittatur species,quæ sensum actuat,&informat,nā aer nisi per condensationem non est receptiuus figurę.Tum, quia semper non est vnus & idē,neq; circa eā rē manet:tum,quia esto esset idem fluctuaret hinc,& inde,& non posset in eo figura vlla manere.

Dices, per condensationem permanet ea figura.Contrà:nam sequeretur eam rem talem videri ab omnibus adstantibus,& omnes ludificari, quod tamen in præstigijs nō accidit semper, sed vno, aut duobus ludificatis,cæteri quandoq; nō ludificantur:ergo prę[illegible]igia prefata per dęmones fieri non possent Respon.D.Th. *in 2.d.8.q vni.art.5.ad4.* ꝙ illa species dumtaxat est in sensu in casibus positis,& hoc contingere potest dupliciter per dæmonū operationem. *Primo*,vt species, quæ sunt in thesauro imaginationis seruatæ, dæmonum operatione ad organa sensuū fluant, sicut cōtingit in sōno,excepto quod ad organa exteriora non attingant, quia sunt ligata. Vnde quando species illæ contingunt organa sensus exterioris(quod potest fieri motione locali dæmonum) vniuntur, ac si res essent præsentes extra, & actu sentirentur. *Secundo* esse potest ex immutatione organorum, quibus immutatis fallitur iudicium sensus,sicut patet in eo, qui gustum corruptum tenet, cui omnia videntur amara,quod dæmones facere possunt virtute quarundam rerum naturalium,sicut ad euaporationem fumi herbæ cuiusdam,trabes domus serpentes videntur, & multa eiusmodi experimenta inueniuntur. Hæc D. Th.qui profunde satis rem hanc explicat,sed argumentis impetendus, vt eius doctrina manifestior sit.

D. Thom.

D.Thom.

Et argumētor primo,& probatur nullo modo esse possibilem præfatā præstigiationem, nam teste Aristot. *lib.2.de anima cap 5.text.52.& 59.* hæc est differentia inter sensum & intellectū, quod ille præsentiam obiecti requirit,hic vero non itē:ergo nulla potest fieri sensatio,nisi præsente obiecto sensus, ac proinde ludificatio sensuū in absentia obiecti nequaquā possibilis est. *Confirmat* quia implicat sensum moueri nisi à suo obiecto:ergo quidquid dæmō operetur, & si non præsentat sensibus aliquod obiectū, nequaquā poterit mouere ad sentiendū. *Antec. patet*,quia implicat passiuum moueri, nisi ab actiuo

Aristotel.

ille modus nõ explicat, quo modo à dæmone ludificentur sensus, vtpotè qui multis, ac varijs modis percipiũt in præstigijs res, erga quarum sensationem ludificantur.

Sexto. Quia iuxta eũdem modum dæmones non valerẽt decipere sensus ostendendo illis ignota; sed tantùm nota; cùm tamen experientia docuerit, & August *lib de spiritu, & anima, cap.* 28. *tom.* 3. eos ostendere hominibus formas notas; & ignotas. Probatur consequutio: quia species, quæ in thesauro imaginationis seruantur, & dicimus fluere vsque ad organa sensuũ; à rebus acceptæ fuẽre, & ad sensus vsque delatæ, & à sensibus demum vsque ad imaginatiuam transmissæ; vt ibidem tanquam in loco thesauri conseruarentur: ac proinde non nisi rerum notarum poterunt esse similitudines. August.

Contra secundum modum, quo vtitur D. Th. vt explicet qualiter sensus à dęmone ludificentur, putà propter organi læsionem, *arguitur septimo.* Demus operatione dæmonum oculum læsum videre Leonem, qui neque præsens est, neque eius figura, in quo visus valdè decipitur: tunc certè illa visio nequit fieri sine specie Leonis Leonem repræsentante: & rogo vnde sumitur illa species? *Dices*: fluit ab imaginatione: ergo iam confundimus secundum modum cum primo, dum ad ludificationem non putamus sufficere organi læsionem. Item arguitur pręcipuè, vt probemus talem ludificationem esse impossibilem organo existente læso, nã visus iudicat in hoc casu de Leone, sicut per illam speciem repręsentatur: ergo nõ est læsum organũ, quia læsio organi nõ inducit deceptionẽ, nisi quia potentia aliter iudicat de re, quam per speciem repræsentatur, aliàs non esset læsa, sed sana, & integra: quod si non iudicat sicut per speciem Leonis repræsentatur, certè non percipit Leonem. *Confirmatur.* Quia quando dæmonum ludificatione mulier apparet equa, illa species, qua fit visio, vel oritur à muliere adstante; & hoc non, quia à muliere non prodit nisi species mulieris, non ab equa, quæ nulla extat. *Dices*, illa est species equæ, quæ fluit operatione dæmonum ab imaginatiua. *Tunc redit argumentum* positum, quia impossibile est per eam speciem fieri visionem equæ ab oculo læso, quia si iudicat de equa sicut per speciem eius repræsentatur: ergo non est læsus. Si iudicat aliter, quam per speciem equæ repræsentatur, læsus quidem esset, quia hic est effectus organi læsi, sed non intelligitur vnde habeat speciem, à qua informetur, vt producat visionem equæ sine specie equæ.

Fieri à dæmone sensuum exteriorum, & interiorum ludificationem, non est qui ignoret propter euidentia indicia, & experimenta, vt notauit August. *libr.* 83. *quæstion.* 12. August. experimentorum autem multitudinem poteris legere apud Guilielmum Pari. *part. vltima de vniuerso ca.* 22. Guilliel.

Ee Modum

Modum autem id faciendi à sufficienti diuisione colligimus, scilicet ex parte obiecti, ex parte medij, & organi: & Angelicus Doctor *vbi suprà*, præ cæteris profundius meditatus est, quomodo id accidat quando deceptio contingit ex parte specierum sensibilium, & ex parte organi læsi: & ideò nos contenti resolutione D.Thom. ad dissoluenda argumenta, quæ contra illam facta sunt properamus, animaduertentes non esse necessarium, vt in omni præstigiosa deceptione, vnus dumtaxat ex præfatis modis interueniat, putà ex parte obiecti, medij, aut organi, nam continget aliquam fieri ludificationem, in qua sit necesse deceptionem ex parte omnium præfatorum prouenire, aliquãdo vnus tantùm modus sufficiet. Rursus præmittendum omnem diabolicam deceptionem necessariò originari in motum locali dæmonum, aut in alteratione, ad eundem localem motum consequente, sicut suprà latè docuimus. His positis.

D.Thom.

Ad primum *argument. respondet*, ex doctrina D.Thom. *quæstion.16.de malo artic.11.ad 6.* apprehensionem sensitiuam hominis, natam esse immutari dupliciter: vno modo progrediendo à rebus ad animam: v. g. quãdo sensus immutatur ab obiecto extra sensum existente, & iste progressus naturalior & cõmunior, iuxta quem intelligendus est Aristot. quando ait sensum non percipere obiectum nisi præsens. [illegible] modo procedendo ab anima ad res, qui processus reperitur in somniantibus, vt notat Aristot. *in libr. de somno & vigilia, cap.3.* assignans causam apparitionum, quæ in somnis fiunt, ait: quod cum animal dormit descendente plurimo sanguine ad principium sensitiuum, id est, sensum cõmunem, simul descendunt motus, & impressiones ex motionibus sensibiliũ relictæ, quæ in spiritibus sensualibus conseruantur, & sensitiuũ principium mouent: sic, vt apparitio quædam fiat, ac si tunc à rebus ipsis exterioribus immutaretur sensitiuum principium, & tanta esse potest humorum spirituumq; cõmotio, vt etiã vigilantibus, huiusmodi apparitiones fiãt; sicut & in phreneticis, & melancholicis patet, & commentator Auerroes *in suo tractatu de somno & vigilia*, ait, nos in somnijs sentire per quinque sensus sensibilia externa, licèt absentia: idque accidere redeuntibus ab internis sensibus ad externos, absentium rerũ imaginibus; sicut enim in vigilia sensibilia externa mouent sensus externos, & hi sensum communem, is imaginatiuam; sic inter somniandum cõuerso ordine, imaginatio mouet sensum communem, hic sensus externos. Cum ergo dæmones possint quidquid nos motu locali possumus: nõ mirum quod dæmones idẽ possint, & percipere faciant obiectũ absens, ac si re vera præsens esset, vtẽdo processu qui dictus est fieri ab anima ad [illegible] ab internis ad externa. Et hoc

Aristot.

hoc benè nota, pro apparitionibus, & ecstasibus. *Ad confirmat. respondet.* in hoc progressu ab anima ad res, sensus mouetur à suo obiecto, non in esse entitatiuo, sed in esse repræsentatiuo, id est, à sua specie; & hoc sat est, vt obiectum sentiatur, & vt dicatur moueri à suo actiuo proportionato, & potentiam non euagari extra suum obiectum.

Ad *secundum respondet.* Si sermo sit de processu animæ ad res, non est inconueniens mel non existens gustari mediante sua specie gustui inhærente. Item, quod ignis non existens tactu sentiatur, scilicet per species qualitatum tangibilium ignis, quibus tamen speciebus nō diceretur animal vri, quia vstio non fit nisi per calorem realiter inhærentem in re, quæ vritur. Nec implicat quod cymbalum non existens, per existentes species soni audiatur; quibus tamen non sequitur offendi auditum, quia hæc offensio nō ab speciebus, aut sono est, sed à vehementi agitatione aeris, sonum, speciésve, deferentis. Secus dicendum est de nutritione sine cibo, quia nutritio importat conuersionem cibi in substantiam aliti, quæ conuersio si non adsit cibus nequit reperiri. Ad *confirmat. respond.* eas non esse cōtradictorias, sed hæ, video Socratem currentem, non video Socratem currētem; ex quibus negatiua falsa est in casu præstigiosæ visionis.

Albertus. Apollina. Tertio argumento conuincuntur Alber. Mag. *tra.3.c.5. de ani.* & Apolli. *in 2. de ani. q.13.* vt existiment sensus non decipi circa proprium sensibile, quod tamen esse falsum iam supponimus in hac disputatione, moti experimētis multis, & quia intellectus sæpè dicitur sensum corrigere, certè errantem, ac deceptum. Quare *respōdetur,* deceptionem sensus non in eo consistere, quia aliter apprehendit rem, quam per speciem repræsentatur: sed in eo quod apprehendit rē, ac si haberet aliquam qualitatem, quam re vera non habet, vt quando gustus percipit rem dulcem, vt amaram, & in casu argumenti, quia apprehendit rem vt præsentem, cum tamen absens sit. Sed de hoc latius statim. *Ad confirmationem* concesso antecedenti in hoc sensu, quod interdum percipit rem præsentem, interdum absentem, negatur consequentia, quia quādo percipit rem absentem, ac si præsens esset: decipitur iudicans iudicio sensuali (quod fortè non distinguitur ab ipsa sensatione, vt ad eam concurrit communis sensus) rem esse præsentem, & non est ita vt iudicat.

Ad *quartum respondet.* Quando mulier apparet equa, aut quoduis aliud, id quod non est: sensus ludificatur in agnitione eius quod non est, & in occultatione rei, quæ re vera pręsens est. in priori, sensus perficitur recipiendo specię; nihilominus decipitur in iudicando rē aliter quam est: at verò occultatio rei, quæ re vera præsens est, non sufficienter fit ex eo quod defluat ab ima-

ginatiua species rei, quæ non est præsens, vt argumentum probat, sed necessariũ est apponi aliquod obstaculũ, ne res præsens appareat; hoc autẽ apponetur vel interponendo aliquod corpus tenuissimũ inter eã rẽ, & potentiam, vel quid simile: nec hoc est contra primum modum ludificationis, quem assignat D. Tho. iam enim monui aliquas ludificationes reperiri, vbi deceptio sumitur non solum ex parte vnius modi, verùm & alios interuenire.

Ad quintum *negatur antecedens*; etenim sicut quando motus fit à rebus ad animam, dantur species repræsentantes rem sub diuersa habitudine, sic quando motus est ab anima ad res, eædem species conseruatæ in thesauro imaginationis, defluunt operationes dæmonis vsque ad sensus externos cum ea habitudine, sub qua dæmon vult repræsentare rem sensibus. Itaque illæ species conseruatæ in imaginatiua, vniformiter se habent in essendo, & difformiter in repræsentando, si eis vti vult dæmon ad repræsentandum rem sub hac, vel illa habitudine; nec hoc debet videri impossibile cum id videamus accidere in somniantibus, qui per cies seruatas in imaginationis thesauro, percipiunt res sub diuersis habitudinibus motus, vel quietis, situs, aut figuræ: quod ergo potest commotio naturalis humorum, potest dæmon simili motione vtens.

Ad *sextum respond.* dupliciter posse intelligi aliquid esse ignotum: *vno modo* totaliter & secundum se, & secundum sua principia; & isto modo ignotum non potest dæmon homini ostendere, neque sensatione exteriori, neque interiori phantasiæ: non enim potest facere cæcũ à natiuitate colores videre, aut surdum à natiuitate sonos audire: & idem dico de imaginatione. *Secundo modo* dicitur aliquid ignotum secundum speciem totius: verbi gratia, si quis imaginetur montes aureos, aut eos videat decipiente dæmone. Hos enim nunquam vidit, & nullibi sunt; & huiusmodi ignota dæmon benè potest ostendere, iuxta primum illum modum assignatum à D. Thom. nempè per fluxionẽ specierum ab imaginatione, quia licèt nõ sit in ea vna species montis aurei, est tamen species montis & auri, quæ homo aliquando vidit. Ex quibus cõpositis & adiunctis, & defluentibus vsque ad organa sensuum, facit dæmon videre montem aureum ignotum: imò & quancunque aliam rem fictitiã, quia ex speciebus reconditis in imaginatione scit fabricare, & componere mira, vnde sensus decipiatur.

Circa *septimum argumentum*, & eius confirmationem inquiritur res difficilis, videlicet in quo consistat, vel à quo promanet deceptio, ratione læsionis organorum? Et dico non consistere in hoc quod sensus percipiat rẽ aliter quàm à parte rei se habet, nam sine vlla læsione organi per speciem defluentem ab imaginatione vsque ad sensus externos, decipitur

pitur sensus sentiens rem absentem, ac si præsens esset. Consistit ergo, vel promanat deceptio ratione læsionis organi, ex eo quod sensus læsus non percipit rem sicut per speciem, qua informatur, repræsentatur: v.g. oculi laborantes icteritia, decipiuntur ratione læsionis, dum omnia alba quæ vident, illis apparent pallida, eo quod alba non percipiunt, sicut per species alborum repræsentantur. Idem dico de laborantibus ophtalmia, id est, lippitudine, qui ratione læsi organi non percipiunt omnia colorata sub proprio colore, sed sub sanguineo. Similiter gustus læsus ab humore cholerico, percipit dulcia, vt amara.

Et si roges vnde prouenit vt sensus ratione lęsionis deuians ab attingendo rem, sicut per propriam speciem repræsentatur, percipiant magis sub hac, vel illa ratione obiecti, putà oculus ictericius sub ratione pallidi, gustus cholericus sub ratione amari? *Respondetur:* quia organum infectum est aliqua alteratiua qualitate: immutatiua interdum medij, interdum obiecti, tali, vel tali modo, & ideo determinatiua organi læsi: vt esto aberret ab attingendo rem obiectam, sicut per speciem propriam repræsentatur; attingat eam alia habitudine, & alio modo, ad quem qualitas illa determinat: & vt in exemplis positis permaneamus, quando oculus inficitur icteritia, & ei obijcitur nix alba, terminatur oculus ad vidēdū niuē, vt pallore vestitā, eo quod aer circum circa oculos, & eorū cōcauitates existēs, immutatur ab icteritia, vt species illac transeuntes pallidæ fiant. Item, quando lingua, quæ est gustus organum, infecta est cholera, & gustat mel dulce, determinatur gustus ab humore cholerico, vt cibum, alias dulcem, gustet vt amarum: quia ipse cibus ab amaritudine linguæ inficitur, & amarus redditur. Non dissimiliter esse dicendū censeo in proposita dubitatione, dęmonem scilicet aliquando deceptionem ingerere sensibus, ex læsione organorum, eo quod ab ea nascitur, vt sensus obiecta sua non apprehendant eo modo, quo per suas proprias species repræsentantur, quod frequenter contingit quando res aliquid sunt, & aliud apparēt, vt quādo leo apparet homo, aut homo equus.

Et si quispiam dicat: bene intelligitur organum lęsum errare in attingendo rem, sicut per suam speciem repræsentatur; error enim deuiatio quædam est; sed vix intelligitur quomodo, aut inde determinetur ad attingendum hoc, & non illud: v.g. vnde determinatur, aut à quo, vt oculus læsus in prospectu habens hominem, videat leonē, & non draconē, aut bouem. Dices, à qualitate læsiua organi, sicut supra dicebamus. *Contra:* nā læsio illa per alterationem fit: at terminus alterationis non est figura, sed qualitas: ergo per qualitatē læsiuā, non potest organū determinari ad videndū leonē, cum oculi respiciāt à directo hominē. *Resp.* Per

alterationem possunt organa lædi, & etiam per motum localem, id est, per commotionem, ac agitationem humorum, sicut accidit ebrijs, ac furiosis, qui credunt duplicem Solem, & geminas se cernere Thebas: ad hos vero motus sequitur determinatio organi sensus per modificationem, & figurationem quandã virtualem medij, per quod sensatio fit, & non est impossibile: multa narrat Guillielmus Parisiensis *p. vlt. de vniuerso, c.* 22. Et præcipue ad nostrum propositum ait, quod si de semine asinino & cera, fieret candela, quæ sola in conuiuio luceret, omnes in conclaui existentes viderentur capita asinorum habere. Et D. Thom. vbi supra ait, per fumum quarundam herbarum videri omnes trabes domus serpentes: igitur non erit mirum si dæmon lædat organum aliqua qualitate rerum naturalium, vnde oriatur quod medium imbuatur tali figura virtuali, vt ad eam agnoscendam organum læsum determinetur, maximè quãdo potentia tantum intentionaliter mouetur: at vero quando realiter, vt gustus, & tactus, puto eam qualitatem infecti organi commisceri obiecto gustabili, aut tangibili, & ab ea commistione gustus, & tactus errabũdi, determinãtur ad hos, vel illos sapores, ad hæc vel illa tãgibilia.

Guilliel.

D. Thom.

Itaq; illa qualitas sensuũ læsiua, & dissipat organum, ac errare facit circa propriũ obiectũ, & simul determinat illud ad aliquid percipiendũ.

Ex his, nisi fallor, poteris reddere rationẽ multarum deceptionum, quæ à dæmone fiũt circa sensus externos v. g. adsunt multi, qui quidquid cõspiciunt serpentes esse putant, ludificati à dæmone: mutatio medij in causa est, quæ frequentius oritur ex læsione oculorũ: si vero quidã ludificentur; quidam non, à corruptione organorum eorũ qui ludificãtur, prouenit. At vero si omnes circa vnã rẽ tantũ ludificentur, putà, quia hominẽ asinum esse putant: sola læsio organi eam deceptionẽ nõ inducet, sed necesse est obiecto aliquam affigi qualitatẽ ratione cuius aliud appareat, quam sit. Hæc satis sint; nam numerare innumeros fallendi modos, quibus versipellis hostis vtitur: penè impossibile mortalib. est. Sat sit scire omnem hanc deceptionem prouenire, vel ex parte obiecti, vel ex parte medij, vel maximè ex parte organi, non solum læsi, vt modo dicebamus: sed etiam aliquando impediti in meatibus suis obstrusis per crassos humores, ne spiritus ad organum perueniant: qua fortè ratione Angeli Sodomeos à oroasia, seu à chirsia percusserunt *Gen.* 19. id fuit genus cæcitatis, qua Angelus siue bonus, siue malus, facit nobis celari non omnia, sed quædam. Genes. 19.

De deceptione circa sensus internos.

PAuca dicenda sunt, eo quod ex dictis circa externos ferè omnia, quæ in decipiendis internis contingunt, perspicua sunt: differunt enim dumtaxat secundum internum, & exter-

externũ. Sicut ergo probauimus dęmones posse deceptionem ingerere sensibus externis, quia corporei sũt, & omne corpus obedit Angelus ad nutum, quantum attinet ad motum localem: ita & probatur posse sensus internos deludere propter eandem rationem: & sicut deceptionẽ in sensibus externis diximus prouenire ex parte obiecti, medij, & organi: sic dicendum est sensuum internorum deceptionem prouenire ex parte obiecti, formando intra ventriculum cerebri, vbi phantasia residet, idola quædam, ad quæ attendens phantasia multa agnoscat, & reuoluat, siue vera, siue fictitia. Sed potissimè vtitur dæmon deceptione proueniente ex parte specierum, ad phantasiam, seu imaginationem spectantium. Non quidem potest dæmon phantasiam, aut imaginationem immutare, nouæ speciei impressione, vt ait D. Th. *1. p. q. 111 art 3.* *D. Thom.* & communiter omnes Theologi: & ideo non potest efficere, vt cæcus à natiuitate rectè de colorib. imaginetur, sed bene potest ex speciebus, quæ à sensibus ad imaginationẽ delatæ sunt, tot & tales commixtiones efficere, vt imaginetur homo res quas nunquam vidit: v. g. chimæram per speciem capræ, leonis & draconis, commixtas per solum motũ localem, vel etiam concitatis humoribus, atq; affectionibus, vnde contingunt imaginari læta, aut tristia, quæ nunquam vidit, aut fuerũt: vel sicut in amentibus, vel phreneticis videre est, ex humorũ perturbatione varias eorũ phantasiæ species deuoluere. Vtitur etiam dæmon phãtasiæ læsione, assumendo humores suo instituto accommodatos, ex rerum natura, circumcirca vẽtriculum phantasiæ affigendo, aut verò intra cerebrum intromittendo, vt quales vult ipse imaginationes homo in phantasia obuoluat, eaque se videre, & audire iudicet, quæ re vera neque oculis, neque auribus vnquã hausit. Et hæc benè nota, quia hinc manant tot falsæ apparitiones, & ecstases, ac reuelationes, vt probè aduertit Victoria *de Magia, num 35.* & *Victoria.* ante eum Aug *de cura pro mortuis, c. 12.* *August.* & ex parte tetigit Caiet. *2. 2 q. 95. art.* *Caiet.* 3. agens de superborum contemplatiuorum, & lamiarum deceptorijs imaginationibus, à dæmone immissis.

De intellectus deceptione à dæmone.

AN intellectus humanus à dæmone possit decipi? non inutilis dubitatio est. Et videtur vera pars negatiua primò: Quidquid dęmon potest efficere per motum localem, aut alterationem ad eum consequentem potest, vt supra docuimus: sed intellectus non est mutabilis immediatè locali motu, & multò minus alteratione, quia incorporeus est. ergo in eum nihil dæmon potest. *Confir.* Ideò tot, & tanta potest dę[illegible]ô in sẽtus internos, & externos, quia potẽtiæ corporales sũt, & organis corporalib. affixæ: at nihil

hoium

Et si obijcias: dæmones scientias docent, secreta veritatis inspirant, sacra dogmata, quasi in momẽto ad, discere faciunt, vt dicitur de Anabaptistis, qui sumpto poculo (dæmoniaco nempè) in sacræ Scripturæ lectione periti euadunt, ordinantes hæc omnia in malum, & deceptionem errorum: cur ergo id non efficient confortando scilicet intellectum hominum, vt errores defendant, aut alia mala subtilius machinentur? *Resp.* negando consequentiam: in casu enim antecedentis, magna latere potest erroris, ac deceptionis occasio, vt statim videbimus: eo quod commemorata in antecedenti, fiunt per apprehensionem, & receptionem specierum intelligibilium: quas ita concinnant, & commiscent dæmones, vt multa persuadeant falsa: at verò confortatio luminis intellectualis, sicut & ipsum lumen, pertinet ad iudicandum melius de apprehensis, quo iudicio relegatur omnis error, & deceptio; tãtum abest, vt inducatur, seu occultetur. Quare quamuis possent dæmones intellectum confortare modo prædicto, & eundem subtiliorem reddere ad omnes operationes suas præstandas per commodiores potentiarum sensitiuarum, quæ intellectui deseruiunt, dispositiones, humoribus scilicet densioribus per motum localem expulsis, vel agentium naturalium adhibitis medicamentis, vel spiritibus sensitiuis expurgatis, aut multiplicatis: quanto enim sensus dispositionibus nobilioribus afficiuntur, tanto perfectiora esse opera intellectus, necesse est: sed id non procurant humani generis hostes, sed in omninò opposita, & incommoda incumbunt pro virili.

Dico tertio. Dæmones possunt decipere intellectum hominum non immutando illum immediatè: sed mediatè. *Prima pars* longiore indiget discussione; modo breuiter: quia non est intelligere quomodo immediatè possit immutari ab erroneo iudicio. *Secunda probatur:* quia intellectus pro isto statu nequit moueri, nisi medijs phantasmatibus, quæ à sensibus ortum habuere: sed in his phantasmatib. componendis possunt dæmones multas deceptiones, & fallacias obtendere: ergo. *Maior* perspicua erit si aduertas, intellectum, quamuis non sit alligatus alicui organo, neque suam operationem producat mediante organo, in ea tamen operatione depẽdere ab organo corporeo: quia vt dicitur *in 3. de anima*, phantasma est obiectum intellectus, sicut color est obiectum visus: phantasmata autem dependent à sensibus, à quibus ea recipiunt. *Minor autem probatur*, ex his quæ diximus posse dæmones circa phantasmata, quæ sic possunt adaptare, & commiscere, & commixta intellectui præsentare, vt intellectus apprehendat ea cogitata, quæ dæmones intellectum volunt percipere; siue vera sint, siue falsa.

Ff Hinc

ille modus nō explicat, quo modo à dæmone ludificentur sensus, vtpotè qui multis, ac varijs modis percipiũt in præstigijs res, erga quarum sensationem ludificantur.

Sexto. Quia iuxta eũdem modum dæmones non valerēt decipere sensus ostendendo illis ignota; sed tantùm nota; cùm tamen experientia docuerit, & August *lib de spiritu, & anima, cap. 28. tom. 3.* eos ostendere hominibus formas notas; & ignotas. Probatur consequutio: quia species, quæ in thesauro imaginationis seruantur, & dicimus fluere vsque ad organa sensuũ, à rebus acceptæ fuēre, & ad sensus vsque delatæ, & à sensibus demum vsque ad imaginatiuam transmissæ; vt ibidem tanquam in loco thesauri conseruarentur: ac proinde non nisi rerum notarum poterunt esse similitudines. August.

Contra secundum modum, quo vtitur D. Th. vt explicet qualiter sensus à dęmone ludificentur, putà propter organi læsionem, *arguitur septimo.* Demus operatione dæmonum oculum læsum videre Leonem, qui neque præsens est, neque eius figura, in quo visus valdè decipitur: tunc certè illa visio nequit fieri sine specie Leonis Leonem repræsentante: & rogo vnde sumitur illa species? *Dices*: fluit ab imaginatione: ergo iam confundimus secundum modum cum primo, dum ad ludificationem non putamus sufficere organi læsionem. Item arguitur pręcipuè, vt probemus talem ludificationem esse impossibilem organo existente læso, nā visus iudicat in hoc casu de Leone, sicut per illam speciem repręsentatur: ergo nō est læsum organũ, quia læsio organi nō inducit deceptionē, nisi quia potentia aliter iudicat de re, quam per speciem repræsentatur, aliàs non esset læsa, sed sana, & integra: quod si non iudicat sicut per speciem Leonis repræsentatur, certè non percipit Leonem. *Confirmatur.* Quia quando dæmonum ludificatione mulier apparet equa, illa species, qua fit visio, vel oritur à muliere adstante; & hoc non, quia à muliere non prodit nisi species mulieris, non ab equa, quæ nulla extat. *Dices*, illa est species equæ, quæ fluit operatione dæmonum ab imaginatiua. *Tunc redit argumentum* positum, quia impossibile est per eam speciem fieri visionem equæ ab oculo læso, quia si iudicat de equa sicut per speciem eius repræsentatur: ergo non est læsus. Si iudicat aliter, quam per speciem equæ repræsentatur, læsus quidem esset, quia hic est effectus organi læsi, sed non intelligitur vnde habeat speciem, à qua informetur, vt producat visionem equæ sine specie equæ.

Fieri à dæmone sensuum exteriorum, & interiorum ludificationem, non est qui ignoret propter euidentia indicia, & experimenta, vt notauit August. *libr. 83. quæstion. 12.* experimentorum autem multitudinem poteris legere apud Guilliel-mum Pari. *part. vltima de vniuerso ca. 22.* August. Guilliel.

Ee Modum

Modum autem id faciendi à sufficienti diuisione colligimus, scilicet ex parte obiecti, ex parte medij, & organi: & Angelicus Doctor *vbi suprà*, præ cæteris profundius meditatus est, quomodo id accidat quando deceptio contingit ex parte specierum sensibilium, & ex parte organi læsi: & ideò nos contenti resolutione D.Thom. ad dissoluenda argumenta, quæ contra illam facta sunt properamus, animaduertentes non esse necessarium, vt in omni præstigiosa deceptione, vnus dumtaxat ex præfatis modis interueniat, putà ex parte obiecti, medij, aut organi, nam continget aliquam fieri ludificationem, in qua sit necesse deceptionem ex parte omnium præfatorum prouenire, aliquãdo vnus tantùm modus sufficiet. Rursus præmittendum omnem diabolicam deceptionem necessariò originari in motum locali dæmonum, aut in alteratione, ad eundem localem motum consequente, sicut suprà latè docuimus. His positis.

D.Thom.

Ad primum *argument. respondet*, ex doctrina D.Thom. *quæstion.16.de malo artic.11.ad 6.* apprehensionem sensitiuam hominis, natam esse immutari dupliciter: vno modo progrediendo à rebus ad animam: v. g. quãdo sensus immutatur ab obiecto extra sensum existente, & iste progressus naturalior & cõmunior, iuxta quem intelligendus est Aristot. quando ait sensum non percipere obiectum nisi præsens. *Secundo* modo procedendo ab anima ad res, qui processus reperitur in somniantibus, vt notat Aristot. *in libr. de somno & vigilia, cap.3.* assignans causam apparitionum, quæ in somnis fiunt, ait: quod cum animal dormit descendente plurimo sanguine ad principium sensitiuum, id est, sensum cõmunem, simul descendunt motus, & impressiones ex motionibus sensibiliũ relictæ, quæ in spiritibus sensualibus conseruantur, & sensitiuũ principium mouent: sic, vt apparitio quædam fiat, ac si tunc à rebus ipsis exterioribus immutaretur sensitiuum principium, & tanta esse potest humorum spirituumq; cõmotio, vt etiã vigilantibus, huiusmodi apparitiones fiãt; sicut & in phreneticis, & melancholicis patet, & commentator Auerroes *in suo tractatu de somno & vigilia*, ait, nos in somnijs sentire per quinque sensus sensibilia externa, licèt absentia: idque accidere redeuntibus ab internis sensibus ad externos, absentium rerũ imaginibus; sicut enim in vigilia sensibilia externa mouent sensus externos, & hi sensum communem, is imaginatiuam; sic inter somniandum cõuerso ordine, imaginatio mouet sensum communem, hic sensus externos. Cum ergo dæmones possint quidquid nos motu locali possumus: nõ mirum quod dæmones idẽ possint, & percipere faciant obiectũ absens, ac si re vera præsens esset, vtẽdo processu, qui dictus est fieri ab anima ad res, siue ab internis ad externa. Et

Aristot.

hoc benè nota, pro apparitionibus, & ecstasibus. *Ad confirmat. respondet.* in hoc progressu ab anima ad res, sensus mouetur à suo obiecto, non in esse entitatiuo, sed in esse repræsentatiuo, id est, à sua specie; & hoc sat est, vt obiectum sentiatur, & vt dicatur moueri à suo actiuo proportionato, & potentiam non euagari extra suum obiectum.

Ad *secundum respondet.* Si sermo sit de processu animæ ad res, non est inconueniens mel non existens gustari mediante sua specie gustui inhærente. Item, quod ignis non existens tactu sentiatur, scilicet per species qualitatum tangibilium ignis, quibus tamen speciebus nó dicetur animal vri, quia vstio non fit nisi per calorem realiter inhærentem in re, quæ vritur. Nec implicat quod cymbalum non existens, per existentes species soni audiatur; quibus tamen non sequitur offendi auditum, quia hæc offensio nō ab speciebus, aut sono est, sed à vehementi agitatione aeris, sonum, speciésve, deferentis. Secus dicendum est de nutritione sine cibo, quia nutritio importat conuersionem cibi in substantiam aliti, quæ conuersio si non adsit cibus nequit reperiri. Ad *confirmat. respond.* eas non esse cōtradictorias, sed hæ, video Socratem currentem, non video Socratem currē tem; ex quibus negatiua falsa est in casu præstigiosæ visionis.

Albertus. Apollina. Tertio argumento conuincuntur Alber. Mag. *tra.3.c.5. de ani.* & Apolli. *in 2. de ani.q.13.* vt existiment sensus non decipi circa proprium sensibile, quod tamen esse falsum iam supponimus in hac disputatione, moti experimétis multis, & quia intellectus sæpè dicitur sensum corrigere, certè errantem, ac deceptum. Quare *respōdetur,* deceptionem sensus non in eo consistere, quia aliter apprehendit rem, quam per speciem repræsentatur: sed in eo quod apprehendit rē, ac si haberet aliquam qualitatem, quam re vera non habet, vt quando gustus percipit rem dulcem, vt amaram, & in casu argumenti, quia apprehendit rem vt præsentem, cum tamen absens sit. Sed de hoc latius statim. *Ad confirmationem* concesso antecedenti in hoc sensu, quod interdum percipit rem præsentem, interdum absentem, negatur consequentia, quia quādo percipit rem absentem, ac si præsens esset: decipitur iudicans iudicio sensuali (quod fortè non distinguitur ab ipsa sensatione, vt ad eam concurrit communis sensus) rem esse præsentem, & non est ita vt iudicat.

Ad *quartum respondet.* Quando mulier apparet equa, aut quoduis aliud, id quod non est: sensus ludificatur in agnitione eius quod non est, & in occultatione rei, quæ re vera pręsens est. in priori, sensus perficitur recipiendo speciē; nihilominus decipitur in iudicando rē aliter quam est: at verò occultatio rei, quæ re vera præsens est, non sufficienter fit ex eo quod defluat ab ima-

ginatiua species rei, quæ non est præsens, vt argumentum probat, sed necessariũ est apponi aliquod obstaculũ, ne res præsens appareat; hoc autẽ apponetur vel interponendo aliquod corpus tenuissimũ inter eã rẽ, & potentiam, vel quid simile: nec hoc est contra primum modum ludificationis, quem assignat D. Tho. iam enim monui aliquas ludificationes reperiri, vbi deceptio sumitur non solum ex parte vnius modi, verùm & alios interuenire.

Ad quintum *negatur antecedens*; etenim sicut quando motus fit à rebus ad animam, dantur species repræsentantes rem sub diuersa habitudine, sic quando motus est ab anima ad res, eædem species conseruatæ in thesauro imaginationis, defluunt operationes dæmonis vsque ad sensus externos cum ea habitudine, sub qua dæmon vult repræsentare rem sensibus. Itaque illæ species conseruatæ in imaginatiua, vniformiter se habent in essendo, & difformiter in repræsentando, si eis vti vult dæmon ad repræsentandum rem sub hac, vel illa habitudine; nec hoc debet videri impossibile cum id videamus accidere in somniantibus, qui per cies seruatas in imaginationis thesauro, percipiunt res sub diuersis habitudinibus motus, vel quietis, situs, aut figuræ: quod ergo potest commotio naturalis humorum, potest dæmon simili motione vtens.

Ad *sextum respond.* dupliciter posse intelligi aliquid esse ignotum: *vno modo* totaliter & secundum se, & secundum sua principia; & isto modo ignotum non potest dæmon homini ostendere, neque sensatione exteriori, neque interiori phantasiæ: non enim potest facere cæcũ à natiuitate colores videre, aut surdum à natiuitate sonos audire: & idem dico de imaginatione. *Secundo modo* dicitur aliquid ignotum secundum speciem totius: verbi gratia, si quis imaginetur montes aureos, aut eos videat decipiente dæmone. Hos enim nunquam vidit, & nullibi sunt; & huiusmodi ignota dæmon benè potest ostendere, iuxta primum illum modum assignatum à D. Thom. nempè per fluxionẽ specierum ab imaginatione, quia licèt nõ sit in ea vna species montis aurei, est tamen species montis & auri, quæ homo aliquando vidit. Ex quibus cõpositis & adiunctis, & defluentibus vsque ad organa sensuum, facit dæmon videre montem aureum ignotum: imò & quancunque aliam rem fictitiã, quia ex speciebus reconditis in imaginatione scit fabricare, & componere mira, vnde sensus decipiatur.

Circa *septimum argumentum*, & eius confirmationem inquiritur res difficilis, videlicet in quo consistat, vel à quo promanet deceptio, ratione læsionis organorum? Et dico non consistere in hoc quod sensus percipiat rẽ aliter quàm à parte rei se habet, nam sine vlla læsione organi per speciem defluentem ab imaginatione vsque ad sensus externos, decipitur

pitur sensus sentiens rem absentem, ac si præsens esset. Consistit ergo, vel promanat deceptio ratione læsionis organi, ex eo quod sensus læsus non percipit rem sicut per speciem, qua informatur, repræsentatur: v.g. oculi laborantes icteritia, decipiuntur ratione læsionis, dum omnia alba quæ vident, illis apparent pallida, eo quod alba non percipiunt, sicut per species alborum repræsentantur. Idem dico de laborantibus ophtalmia, id est, lippitudine, qui ratione læsi organi non percipiunt omnia colorata sub proprio colore, sed sub sanguineo. Similiter gustus læsus ab humore cholerico, percipit dulcia, vt amara.

Et si roges vnde prouenit vt sensus ratione læsionis deuians ab attingendo rem, sicut per propriam speciem repræsentatur, percipiant magis sub hac, vel illa ratione obiecti, putà oculus ictericius sub ratione pallidi, gustus cholericus sub ratione amari? *Respondetur*: quia organum infectum est aliqua alteratiua qualitate: immutatiua interdum medij, interdum obiecti, tali, vel tali modo, & ideo determinatiua organi læsi: vt esto aberret ab attingendo rem obiectam, sicut per speciem propriam repræsentatur; attingat eam alia habitudine, & alio modo, ad quem qualitas illa determinat: & vt in exemplis positis permaneamus, quando oculus inficitur icteritia, & ei obijcitur nix alba, terminatur oculus ad vidēdū niuē, vt pallore vestitā, eo quod aer circum circa oculos, & eorū cōcauitates existēs, immutatur ab icteritia, vt species illac transeuntes pallidæ fiant. Item, quando lingua, quæ est gustus organum, infecta est cholera, & gustat mel dulce, determinatur gustus ab humore cholerico, vt cibum, alias dulcem, gustet vt amarum: quia ipse cibus ab amaritudine linguæ inficitur, & amarus redditur. Non dissimiliter esse dicendū censeo in proposita dubitatione, dæmonem scilicet aliquando deceptionem ingerere sensibus, ex læsione organorum, eo quod ab ea nascitur, vt sensus obiecta sua non apprehendant eo modo, quo per suas proprias species repræsentantur, quod frequenter contingit quando res aliquid sunt, & aliud apparēt, vt quādo leo apparet homo, aut homo equus.

Et si quispiam dicat: bene intelligitur organum læsum errare in attingendo rem, sicut per suam speciem repræsentatur; error enim deuiatio quædam est; sed vix intelligitur quomodo, aut inde determinetur ad attingendum hoc, & non illud: v.g. vnde determinatur, aut à quo, vt oculus læsus in prospectu habens hominem, videat leonē, & non draconē, aut bouem. Dices, à qualitate læsiua organi, sicut supra dicebamus. *Contra*: nā læsio illa per alterationem fit: at terminus alterationis non est figura, sed qualitas: ergo per qualitatē læsiuā, non potest organū determinari ad videndū leonē, cum oculi respiciāt à directo hominē. *Resp.* Per

alterationem possunt organa lædi, & etiam per motum localem, id est, per commotionem, ac agitationem humorum, sicut accidit ebrijs, ac furiosis, qui credunt duplicem Solem, & geminas se cernere Thebas: ad hos vero motus sequitur determinatio organi sensus per modificationem, & figurationem quandã virtualem medij, per quod sensatio fit, & non est impossibile: multa narrat Guillielmus Parisiensis *p. vlt. de vniuerso, c.* 22. Et præcipue ad nostrum propositum ait, quod si de semine asinino & cera, fieret candela, quæ sola in conuiuio luceret, omnes in conclaui existentes viderentur capita asinorum habere. Et D. Thom. vbi supra ait, per fumum quarundam herbarum videri omnes trabes domus serpentes: igitur non erit mirum si dæmon lædat organum aliqua qualitate rerum naturalium, vnde oriatur quod medium imbuatur tali figura virtuali, vt ad eam agnoscendam organum læsum determinetur, maximè quãdo potentia tantum intentionaliter mouetur: at vero quando realiter, vt gustus, & tactus, puto eam qualitatem infecti organi commisceri obiecto gustabili, aut tangibili, & ab ea commistione gustus, & tactus errabũdi, determinãtur ad hos, vel illos sapores, ad hæc vel illa tãgibilia.

Guilliel.

D. Thom.

Itaq; illa qualitas sensuũ læsiua, & dissipat organum, ac errare facit circa propriũ obiectũ, & simul determinat illud ad aliquid percipiendũ. Ex his, nisi fallor, poteris reddere rationẽ multarum deceptionum, quæ à dæmone fiũt circa sensus externos v. g. adsunt multi, qui quidquid cõspiciunt serpentes esse putant, ludificati à dæmone: mutatio medij in causa est, quæ frequentius oritur ex læsione oculorũ: si vero quidã ludificentur; quidam non, à corruptione organorum eorũ qui ludificãtur, prouenit. At vero si omnes circa vnã rẽ tantũ ludificentur, putà, quia hominẽ asinum esse putant: sola læsio organi eam deceptionẽ nõ inducet, sed necesse est obiecto aliquam affigi qualitatẽ ratione cuius aliud appareat, quam sit. Hæc satis sint; nam numerare innumeros fallendi modos, quibus versipellis hostis vtitur: penè impossibile mortalib. est. Sat sit scire omnem hanc deceptionem prouenire, vel ex parte obiecti, vel ex parte medij, vel maximè ex parte organi, non solum læsi, vt modo dicebamus: sed etiam aliquando impediri in meatibus suis obstrusis per crassos humores, ne spiritus ad organum perueniant: qua fortè ratione Angeli Sodomeos à oroasia, seu à chrisia percusserunt *Gen.* 19. id fuit genus cæcitatis, qua Angelus siue bonus, siue malus, facit nobis celari non omnia, sed quædam. *Genes.* 19.

De deceptione circa sensus internos.

PAuca dicenda sunt, eo quod ex dictis circa externos ferè omnia, quæ in decipiendis internis contingunt, perspicua sunt: differunt enim duntaxat secundum internum, & exter-

externũ. Sicut ergo probauimus dęmones posse deceptionem ingerere sensibus externis, quia corporei sũt, & omne corpus obedit Angelus ad nutum, quantum attinet ad motum localem : ita & probatur posse sensus internos deludere propter eandem rationem: & sicut deceptionẽ in sensibus externis diximus prouenire ex parte obiecti, medij, & organi: sic dicendum est sensuum internorum deceptionem prouenire ex parte obiecti, formando intra ventriculum cerebri, vbi phantasia residet, idolã quædam, ad quæ attendens phantasia multa agnoscat, & reuoluat, siue vera, siue fictitia. Sed potissimè vtitur dæmon deceptione proueniente ex parte specierum, ad phantasiam, seu imaginationem spectantium. Non quidem potest dæmon phantasiam, aut imaginationem immutare, nouæ speciei impressione, vt ait D.Th. *1.p q.111 art* 3. & communiter omnes Theologi: & ideo non potest efficere, vt cæcus à natiuitate rectè de colorib. imaginetur, sed bene potest ex speciebus, quæ à sensibus ad imaginationẽ delatæ sunt, tot & tales commixtiones efficere, vt imaginetur homo res quas nunquam vidit: v.g. chimæram per speciem capræ, leonis & draconis, commixtas per solum motũ localem, vel etiam concitatis humoribus, atq; affectionibus, vnde contingunt imaginari læta, aut tristia, quæ nunquam vidit, aut fuerũt: vel sicut in amentibus, vel phreneticis

D.Thom.

videre est, ex humorũ perturbatione varias eorũ phantasiæ species denoluere. Vtitur etiam dæmon phãtasiæ læsione, assumendo humores suo instituto accommodatos, ex rerum natura, circumcirca vẽtriculum phantasiæ affigendo, aut verò intra cerebrum intromittendo, vt quales vult ipse imaginationes homo in phantasia obuoluat, eaque se videre, & audire iudicet, quæ re vera neque oculis, neque auribus vnquã hausit. Et hæc benè nota, quia hinc manant tot falsæ apparitiones, & ecstases, ac reuelationes, vt probè aduertit Victoria *de Magia, num* 35. & *Victoria.*
ante eum Aug *de cura pro mortuis, c.11.* *August.*
& ex parte tetigit Caiet. 2 2 *q.95. art* *Caiet.*
3. agens de superborum contemplatiuorum, & lamiarum deceptorijs imaginationibus, à dæmone immissis.

De intellectus deceptione à dæmone.

AN intellectus humanus à dæmone possit decipi? non inutilis dubitatio est. Et videtur vera pars negatiua primò: Quidquid dęmon potest efficere per motum localem, aut alterationem ad eum consequentem potest, vt supra docuimus: sed intellectus non est mutabilis immediatè locali motu, & multò minus alteratione, quia incorporeus est. ergo in eum nihil dæmon potest. *Confir.* Ideò tot, & tanta potest dę[illegible]õ in sẽtus internos. & externos, quia potẽtiæ corporales sũt, & organis corporalib. affixæ: at nihil

hom[illegible]

Et si obijcias: dæmones scientias docent, secreta veritatis inspirant, sacra dogmata, quasi in momēto ad, discere faciunt, vt dicitur de Anabaptistis, qui sumpto poculo (dæmoniaco nempè) in sacræ Scripturæ lectione periti euadunt, ordinantes hæc omnia in malum, & deceptionem errorum: cur ergo id non efficient confortando scilicet intellectum hominum, vt errores defendant, aut alia mala subtilius machinentur? *Resp.* negando consequentiam: in casu enim antecedentis, magna latere potest erroris, ac deceptionis occasio, vt statim videbimus: eo quod commemorata in antecedenti, fiunt per apprehensionem, & receptionem specierum intelligibilium: quas ita concinnant, & commiscent dæmones, vt multa persuadeant falsa: at verò confortatio luminis intellectualis, sicut & ipsum lumen, pertinet ad iudicandum melius de apprehensis, quo iudicio relegatur omnis error, & deceptio; tātum abest, vt inducatur, seu occultetur. Quare quamuis possent dæmones intellectum confortare modo prædicto, & eundem subtiliorem reddere ad omnes operationes suas præstandas per commodiores potentiarum sensitiuarum, quæ intellectui deseruiunt, dispositiones, humoribus scilicet densioribus per motum localem expulsis, vel agentium naturalium adhibitis medicamentis, vel spiritibus sensitiuis expurgatis, aut multiplicatis: quanto enim sensus dispositionibus nobilioribus afficiuntur, tanto perfectiora esse opera intellectus, necesse est: sed id non procurant humani generis hostes, sed in omninò opposita, & incommoda incumbunt pro virili.

Dico tertio. Dæmones possunt decipere intellectum hominum non immutando illum immediatè: sed mediatè. *Prima pars* longiore indiget discussione; modo breuiter: quia non est intelligere quomodo immediatè possit immutari ab erroneo iudicio. *Secunda probatur:* quia intellectus pro isto statu nequit moueri, nisi medijs phantasmatibus, quæ à sensibus ortum habuere: sed in his phantasmatib. componendis possunt dæmones multas deceptiones, & fallacias obtendere: ergo. *Maior* perspicua erit si aduertas, intellectum, quamuis non sit alligatus alicui organo, neque suam operationem producat mediante organo, in ea tamen operatione depēdere ab organo corporeo: quia vt dicitur *in 3. de anima*, phantasma est obiectum intellectus, sicut color est obiectum visus: phantasmata autem dependent à sensibus, à quibus ea recipiunt. *Minor autem probatur*, ex his quæ diximus posse dæmones circa phantasmata, quæ sic possunt adaptare, & commiscere, & commixta intellectui præsentare, vt intellectus apprehendat ea cogitata, quæ dæmones intellectum volunt percipere; siue vera sint, siue falsa.

Hinc patet solutio ad primum pro parte negatiua. *Respond.* namque, tantum probare, non posse intellectum directè moueri à dæmone: nō autem probat non posse indirectè, & mediatè, vt modo dicebamus: & idem respondetur ad confirmationem. *Ad secundum resp.* ex secundo, & tertio assertis, id est, non posse intellectum immutari à dæmonibus, per productionem noui luminis, aut alicuius alterius formæ: posse tamen per immissionem phantasmatum, seu specierum intelligibilium.

Ex his colligitur differentia inter intellectum, & phantasiam, & alios sensus: nam sensus internos, & externos dæmones decipere possunt immediatè, immutando ipsos sensus eos disturbando, aut lædendo, & faciendo eos errare à veritatis scopo, at intellectum nequaquā immediatè decipere possunt, eum immediatè mouendo, seu mediatè, & indirectè, ad modum expositum. Est rursus altera differentia, nam phantasia (velit nolit) cogi potest à dæmonibus, vt species sensatas verset, & obuoluat, ac de quibus ipsi voluerint imaginetur: at verò licèt possunt intellectum informare speciebus intelligibilibus, & phantasmatibus deputatis per operationem intellectus agentis: non tamen possunt cogere, vt eis vtatur, & ijs mediantibus aliqua intelligat. Eo quod præter intellectum recipientem species, & obiectum cognoscibile, requiritur actualis intentio cognoscētis, vt cognoscere intendat: quæ actus est voluntatis; quæ cum non possit à dæmonibus immutari, vt statim dicemus, neque ipse intellectus, propter participatam à voluntate libertatem potest cogi: non solum ad iudicandum, verum neq; ad apprehendendum ea, quæ dæmones suggerūt, sed existentib. aliquibus specieb. in phātasia, non est necesse in eas intellectū intendere: at potest aciem suā ab eis diuertere, imò existentibus speciebus in memoria, seu intellectu, non est necesse conceptus formare actiuè intelligendo, quia ad hoc intentio voluntatis requiritur. Doctrina est D. Th. in *q.16. de malo, art.11. ad 3.4. & 5. & alibi sæpe.*

De deceptione voluntatis.

ERror, & præstigium præcipuè ad potentias apprehēsiuas pertinet, deceptio autem etiam ad appetitiuas facultates spectat, quæ tunc dicentur decipi, quando mouentur, vt ament non amanda, & odio habeant non odienda. Hanc autem deceptionem non valent dæmones voluntati inferre ipsa renuēte. *Probatur:* quia dæmones nequeunt mouere hominum voluntatem, neq; directè, neq; indirectè: ergo non possunt eam vllo pacto decipere. *Prob. prima pars antecedentis*, eo quod voluntas vndique & omninò est independens à corpore.

Quod vt planius percipiatur *aduertendum* est, esse *quasdam* hominum potentias dependentes à corpore quan-

quantum ad actum, & quantum ad obiectum, cuiusmodi sunt sensus interiores, & exteriores, qui actũ producunt mediante organo corporeo, & versantur circa obiecta corporea: & idem dico de appetitu sensitiuo. *Aliæ potentiæ* sunt dependentes à corpore dumtaxat, quantum ad obiectum: huiusmodi est intellectus, qui nõ valet actum producere, nisi phãtasmata illi quasi in ratione obiecti præs[illegible]etur, cum oporteat intelligentem phantasmata speculari: at vero actus ipsius intellectus à corpore non pendet, quantum ad sui perfectionem; quia potentia est nullo indigens organo ad sui actus productionem. *Aliæ potentiæ* sunt omninò independentes à corpore quantum ad actum, & quantum ad obiectum. Hæc est voluntas humana, quantum ad actum quidem, quia nullo indiget organo ad sui actus elicientiam; quantum ad obiectum etiam, quia cum non moueatur ab obiecto, seu specie sumpta à re corporea, id est, phantasmate, sicut intellectus, sed à bono vero, vel apparenti, non pendet ab obiecto corporeo: ergo omnino independens est à corpore, ac proinde non potest directe ab extrinseca creatura moueri, neque decipi. *Rursus*. Voluntas, libera potentia est, nulli subiecta creaturæ: & consequenter suorum actuum domina: ergo à nulla creatura poterit directe moueri, alias ab ea creatura cogeretur: neq; etiam indirecte, quia maximè ab obiecto, & hoc non est verum, etenim à nullo obiecto necessariò mouetur, nisi ab vltimo fine.

Hinc perspicies, dæmonum potentiam, in voluntatem multo minus vires suas exercere, quam in intellectum: quia illam nequit directè, aut indirectè mouere: hũc vero mediatè, & indirectè mutare potest. Colliges etiã, dæmones non valere vllo pacto homines inuitos ad peccandum trahere: quia eorum voluntas nequit (velint, nolint) ab vlla creatura moueri.

Dico secundo. Quamuis dæmones non possint ad peccandum cogere, possunt multipliciter, & vehementer inclinare. *Primo* operando interius in phantasia, aut appetitu sensitiuo, vt habet D. Thom. 1. 2. *q.* 89. *&* *de malo*, *q.* 16. *art.* 11. D. Thom. Modum autem isthæc faciendi percipies, si aduertas quæ paulò ante diximus; nam dæmones per motionem spirituum in quibus sunt phantasmata, illa ad imaginationem deducunt, quæ vel alliciant concupiscentiam, vel irascibilem concitent, & sic indirectè inclinant intellectum ad iudicandum, & voluntatem ad volendum illud, quod ad peccati patrationem conducit. His addendum, eos posse humores in homine existentes mouere & his inflammata parte sensitiua in actum peccati prona, ipsa voluntas acriter inclinatur, & quasi arripitur: sed nequaquam cogitur, sed vltroneè aliquando assentitur peccato.

Secundo. Ad peccatum possunt inducere, & inclinare per exteriora:

verbi gratia: exterius suadendo: sic cum Seruatore nostro egit dæmon, loquens voce humana, *Mat.6.* & nõnullos Sanctos, conatus est ad lapsum carnis inclinare, apparens in forma iuuencularum blandiẽtium, vsque ad barbæ attrectationem, & eo deteriora. Item aliquot munera ficta offerendo exterius, vt D. Antonio argenteam mensam; & lamijs viros, & fœminas, ac carnales delicias: aut ostendendo aliquot prouocatiua vera, quibus animus intuentis emolliatur, & ad malum prouocetur: vt si Ecclesiã adeunti, procuret occursum fœminæ dilectæ, aut quod aliquid turpe videat, aut audiat, ac denique aliquod corpus, quod ardorem venereum excitet, intromittẽdo: potest.n. homine dormiente, in stomachum cibos inferre, qui iram, aut concupiscentiam moueant, aut vires genitales accẽdant, sed his, & alijs nequaquam cogere potest ad peccandũ, cũ homines ipsi valeant fortiter resistere, nec occũbere, vt egregie docet D. Tho. 1. 2. *q.* 80. per totam, & D. Aug *serm.* 197. *Latrare*, inquit, *potest diabolus, solicitare potest, mordere omnino non potest. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi. 4. illuminatorum: *Liberum*, ait, *arbitrium habet anima, & potest diabolus incitare, cogere autem præter voluntatẽ non potest. Subijcit tibi cogitationes fornicationis, si vis, probas, si nolis, improbas.* Et Cassianus collat. 6. cap. 8, ait: dæmones ita nostris profectibus aduersari, vt eos tantummodo incentores malorum, non etiam impulsores credamus. Hæc dicta sint de deceptionibus, quibus dæmones illaqueare mortales contendunt, & de modo, quo eas operentur.

Matth.6.
D. Thom.
D. Aug.
Cyrillus.
Cassianus.

DISPVTATIO VII.

Quibus signis, quibusve notis deprehendatur, effectus istos mirabiles, qui à dæmonibus vel à magis ope dæmonum fiunt, esse veros, an verò fucatos, & apparentes?

IN hac re *dico primo.* Ad intellectum præcipuè pertinet diiudicare de veritate, aut falsitate horum effectuum, id est, sint ne veri an dumtaxat deceptorij, & apparentes. Assertum planum est, tum, quia licet intellectus possit aliquo modo decipi quantum ad receptionem specierũ intelligibilium dimanantium à phãtasmatibus, vt in præcedenti disputatione docuimus: tamen quantum ad sublationem, aut læsionem luminis intelligibilis, non potest; quo mediante lumine, habet intellectus diiudicare de veritate cuiusuis entis. Tum, quia inter alia intellectus munia, vnum est sensus errantes corrigere, quod nequibit fieri, nisi ad ipsum spectet apprehendere errores eorum.

Dico secundo. Si effectus factus à Mago, vel dæmone, iudicatur ab in-

intellectu superare facultatē totius naturæ creatæ: v.g. suscitatio mortuorū, vel aliquid simile, de quibus diximus in disputatione quarta, infallibile signum est, eum effectum præstigiosum, & apparentem dumtaxat esse.

Dico tertio. Quædam aliæ coniecturæ sunt ad idem dignoscendum; quædam ex duratione sumptæ: nam si effectus citò euanescit, aut parum durat; cōiectura non leuis est, fuisse fallacem, & fucatum: eo quod quæ à natura sunt diutius permanent, quàm quæ ab arte: item si celeritate nimia plus solito coalescit. Ac denique ex alijs circunstantijs coniectura sumenda est: hoc præ oculis habente, quod superius docuimus disputatione quinta, asserto secundo, opera miranda dæmonum, ac Magorum, vt plurimum fucata esse, & dumtaxat apparentia. Sed est digna scitu

DISPVTATIO VNICA.

Vtrum ipsimet sensus dijudicare valeant, an decipiantur in suis operationibus, necne?

ET quidem dubitatio non procedit quando deceptio prouenit ex organi læsione: quia si propter organi læsionem, aut dissipationem deceptio procedit, nequibit legitimè de ea iudicare, ad quod iudicium integritas organi requiritur. Neque habet locum quæstio, quando deceptio dimanat ex parte speciei, putà, qui per propriam speciem ab imaginatione defluentem, quia iudiciū illud debet fieri specie: quod si alicuius obiecti specie propria informatur sensus, impossibile erit aliter, quàm per eam repręsentatur, iudicare. Totū ergo disputationis pōdus incumbit, quādo deceptio prouenit ex parte obiecti sensationis, ementiti, ac effictì à dæmone, vel à Mago ope dæmonis, an ipse sensus suamet sensatione, potens sit ad dignoscendū, vtrùm illud obiectū effictum sit à dæmone, an à natura formatum. Vtrùm verum sit, an tantum apparens: v. g. videt quis spectrum mulieris pulchræ, dubitatur an ipsa spectri visione facultas visiua possit apprehendere, obiectum illud non esse veram mulierem, sed dumtaxat apparentem.

Et videtur *vera pars negatiua.* Nam dæmoni facillimum est per motum localem, aut alterationis, applicando actiua passiuis, sic effingere obiecta omnium sensuum, ac si à natura essent formata. Quod patet inductione facta in obiectis omnium sensuum: in visus obiecto res clara est, ex innumeris fallacibus apparitionibus, quibus dæmon fefellit oculos intuētium: in auditus etiā obiecto non minus facilè, fingēdo voces humanas, & armoniā musicam. Multa narrat Syluester de strigima. *lib. 2. cap. 5. puncto 3.* se accepisse à quodam amico sibi fide digno. *Quidam,* Syluester. ait Syluester, *in ciuitate Bononia satis religiosus Sacerdos, mihi amicus, cui Hieronymo à Viola, seu Lyra nomen*

men erat, quod eiuscemodi instrumentum peroptimè tangeret, mihi ad annum Domini 1500. in hanc sententiam retulit, ex Necromanticis, quidam mihi (inquit) cognitus dum me lyram tangere crebro videret, ostendam (aiebat) aliquando meos pulsatores, & quam nihil scias videbis: cumque festo quopiam ad tempus Quadragesimale post cibum, sanctum Michaelem in Vosco, declinata semita per vineas, angusto calle conscenderemus, medio itinere lassi quieuimus: cui ego: Quando illos, de quibus toties, pulsatores, auditurus sum? Qui statim quibusdam in terra formatis, respice ait sursum, vidique in aere quoddam pernicialium agmen, vt videbatur alis ludentium, & descendentium, ac descendendo crescentium: quæ cum in terra steterunt, quindecim iuuenes pulcherrimi quindecim instrumenta musicalia tangentes fuere: tota verò intentione ferebar in eum qui lyram tenebat, quodiù audito, visum est mihi, quod in ea arte scirem penitus nihil. His verò iussu Necromantis disparentibus, & eo rursus characteres effingente: denuo similia, vt prius, sed plura apparere; quæ dum in terra consisterent, fuerunt qui prius quindecim iuuenes pulsantes, & puellæ totidem cantãtes, quibus (parcat, inquit, mihi Deus si in hoc pecco) aut pulchriores, aut in pulchritudine pares vidi nunquam. Hæc ille. In obiecto etiam gustus, & tactus, idem apparet, in casu superius allato, de conuiuio præstigioso in nuptijs Menippi cum lansia quadam, quod supra retulimus.

Sed quia circa sensum tactus, præcipua difficultas est, vt videbimus argumento secundo ex cap. 18. Gen. vbi habetur Angelos in figura virorum receptos ab Abrahamo lotione pedum, non esse deprehẽsos, non habere veras carnes, ac ossa. *Tertio.* Omnia quæ in carne, & ossibus reperiuntur à dæmone valent graphicè efformari, ac simulari, nẽpè ossium durities, carnis mollities, tepor, ac suauis calor, qui tactu percipitur, & cætera tangibiles qualitates: ergo quamuis veras carnes (quę à principio viuente necessariò sunt) nõ valeat producere: simulare tamẽ ac efformare, vt tactui tales appareant, poterit efficere, ac ex consequẽti sic tactũ fallere, vt ipse non percipiat deceptionẽ. *Confir.* quia sensus visus præstantior potentia est: ergo minorem deceptionẽ patitur. His & alijs mouẽtur quidam moderni, vt existiment non posse tactum percipere deceptioni, quam cæteros sensus.

In oppositum est dictum Christi Domini, Luc. vltim. qui vt probaret suum corpus post resurrectionem non esse phantasticum, sed naturale, ait Discipulis dubitãtibus: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere.* Quæ suasio nullius esset efficaciæ nisi per tactum discernatur inter veram, & simulatam carnem, inter vera, & emẽtita ossa. Posset enim quis occurrere dicens: Etiam phantasmata dæmoniaca habent carnẽ, & ossa simulata, ac tangibilia, ac palpabilia, ita vt deceptio per tactum nequeat deprehendi. *Luc vlt.*

Sane

Secundo. Magi ac lamiæ quæ cum dæmonibus familiariter cõuersantur, maximè tactu pertinente ad generationem, fassæ sunt sæpè, se conquestas apud dæmones incubos, eorum corpora assumpta, siue cadauera, siue aërea corpora formata, esse tactu frigida, & horrida, & dæmones respondisse (vt refert Caiet. 2.2. *q.95.art.3.* ex certa relatione earum) se non posse melius facere: ergo aliquid est in carne, & ossibus tãgibile, quod non potest perfectè obũbrari à dæmonibus, ita vt tactus omninò decipiatur.

Caietan.

Sit tamẽ *assertum* nostrum. Potest dæmon ita omnes differentias coloris, ac lucidi, ac denique omnia, quæ spectãt ad sensum visus effigiare, vt omninò decipiatur apprehendens rem phantasticam, & apparentem, vt naturalẽ, & veram, nõ valens per se ipsum percipere eam deceptionem. Hæc assertio non indiget probatione.

Secũdum *assertum.* Circa obiectũ auditus, sic & dæmon negotiari potest, vt potentia præfata omninò decipiatur, non valens percipere suam deceptionem. *Probatur:* quia obiectũ auditus est sonus, sed dæmon per localem motum, aut alterationem, potest efficere veros sonos, & omnes eorum differentias, aut saltem simulare: ergo omninò sic decipi potest, vt suam deceptionem non deprehendat; sed existimet eos sonos à causis naturalibus prouenire, non à dæmone. Aliqui accipiunt ab hac assertione voces humanas, quas aiunt dæmones nõ posse ita perfectè imitari; quin attente audiens effictas à dæmone, non percipiat eas voces non esse verè vitales, sicut re vera non sunt. Hi nitũtur primo: quia sagæ plurimæ comprehensæ, fassæ sunt dæmones eas alloquẽtes, id efficere voce stridula, instar sibili, confusa, obscura, debili, pusilla, & quasi ex dolio per testam ruinosam. Ita Remigius *lib.1.de monolatr.capit.8.* ergo signum est, eos non posse imitari perfectè voces humanas, aliàs perfectè obumbrarent, vt melius deciperent.

Remigius.

Secundo. Quia & voces formentur (maximè humanę, quę magnam dearticulationem exposcunt) quamplurima instrumenta requiruntur, eorumque functiones plures, & difficiles: ergo nõ poterũt dæmones ita perfectè formare, quin deprehẽdatur non voces humanas esse, sed fictas, & simulatas. *Antecedens* ostenditur ex Philosophis, & Anatomistis quamplurimis, maximè ex Vesalio *lib.7 de humani corporis*, qui ad numerum quinarium reducunt interiora instrumenta vocum humanarum formandarum, pulmones thoracis, & intercostales musculi, aspera arteria, larynx, gargario. Pulmones seruiunt ad excipiendum aerem, & ideò inest eis raritas quædam, & mollities similis spongijs, qua se contrahunt, & dilatant. Musculi facultate motiua, qua pollent; siue thorax, ijs mediantibus

Vesallius.

tibus compressum aërem diuerberant,& expellunt;alioqui neq; vox, neque sonus vllus esse potest. Aspera arteria, est via quæ à faucibus ortum ducens,varijs compacta cartilaginibus,per collum in pulmones decurrit, & vt trahere ac reddere spiritũ possit assiduè patet. Diciturque aspera,ob inæqualitatẽ; sicut & illæ,quæ à corde procedunt,& pulsum denunciant,leues nuncupatur. Larynx est superiori finis asperæ arteriæ, laryngis verò summum ostiũ ne quid cibi,potúsve, per id dilabatur,cõtegit membrana cartilaginosa,quibus larynx constat, linguæ assimilis,&ob id lingula vocatur. Hęc verò cum spiritum identidem reciprocamus,sursũ erigitur. Gargalio, seu gurgulio est caruncula rotunda in extremo palati dependens, sub qua in epiglotis,seu vvula.

His itaq; instrumentis vox in hũc modũ editur:musculis thoracis, & intercostalibus, vehementer cõprehensus aër,è pulmonibus per arteriã vocalem confestim deducitur, qui angusta via tractus, in aerem in arteria vsque ad laringem epiglotidis oppositum retentum,impingit. Hic ad guttur,summamque arteriæ partem allisus,sonat;ac vocem effingit, quam si lingula opposita non esset formare non posset, qui totus sine percussionẽ prosiliret: confert verò plurimum ad formandam vocem, gurgulio,& lingula,quia vox ad eas partes frangitur, & temperatur; ac pro varietate percussionum,diuersę vocum flexiones fiunt, præsertim verò gurgulio,quasi plectrũ ad suauitatem, & moderationem vocis conducit. Præter hæc commemorata instrumenta, alia plurimum ad dearticulandas voces conducunt; vt lingua,palatum,dentes, & labia, vt experientia teste agnouimus.

Tertio. Supposita opinione eorum qui censent ipsummet auditus obiectum verè,& realiter vsque ad auditus tympanum referri,est argumentum. In vocibus,præcipuè humanis, est quædam teneritudo ac mollitudo,delectans valdè auditũ,eo quod à principio viuente proficiscatur: hanc non potest perfectè imitari dęmon,cum non sit vitale principium: ergo non sic perfectè poterit simulare humanas voces, quin defectus imitationis, ab auditu hominis attenti,deprehendatur.

Nihilominus censeo assertum nostrum secundum sine vlla exceptione esse firmandum in obiecto quocunque potentiæ auditiuæ. Et ad obiectionem in oppositum *respondet*. Ad primam, quamuis dæmones per motum localem,& alterationes possunt perfectè effingere, & dearticulare voces humanas (quod & res inanimes possunt efficere,& efficiunt sæpè, vt patet in tibijs,organis:& in cauis vallibus resonat echo, quanto melius spiritus nequam id efficient?) tamen non semper sinuntur facere quantũ possunt;sed confusè satis,& imperfectè voces humanas edunt, Deo disponente,

nēte, vt auditus, qui est potentia cōducens ad veritates naturales, & supernaturales recipiēdas, nō omninò decipiatur, sed habeat vnde possit discernere, & deprehēdere se aliquādo decipi à dæmone, nempè ex voce confusa, stridula, & pusilla, qua dæmones vtūtur, quia sæpè alia expressiore, & magis articulata vti non permittuntur à Deo propter hominum bonum. Possunt tamen attenta sua naturali facultate, & aliquando id efficere non dubito.

Pari ratione philosophandū reor circa obiectum visus. Quamuis enim possint dæmones affabrè effigiare, & ementiri figuram cuiusuis rei, imò aliquando Christi Domini; tamen semper, aut ferè semper, Deo cohibente potentiam dæmonū, in figura adest aliquis defectus, vnde deprehēdatur effigiem esse fucatam, & opus esse dæmonum. Ostendunt se humana figura sæpè; sed corpore atro, squallido, fœtēte, & formidabili, aut saltem obscuro, nigro, fœdoque vultu, naribus vel deformiter simis, vel nimis aduncis, instar aquilæ, ore deformi, oculis valdè intrusis, flammantibusque, manibus, pedibusque obuncis, aut ad modum vulturis, strigosis brachijs; cruribusque, & villo fusco plenis, tibijs caprinis, vel asininis, aliquando vno pede, aut vtroq; truncato, denique statura corporis nunquam iusta, ac decora: sed cui semper adsit aliquid insolitum, vt sic homines percipiant dæmonis fraudes, nec se ab huiusmodi spectris sinant deludi. *Ad secundam obiectionem respond.* Ea omnia formandæ vocis instrumenta, & eorum functionem per motum localem, & alterationem si opus est, potest dæmon perfectè effigiare. Ad tertiam responder. nos non asserere veras voces posse à dæmonibus fabricari, quia loqui actio vitalis est, quàm in dæmone reperiri non posse asseruimus cum D. Thom. vbi sup. sed docemus eas posse tam perfectè simulare, vt nihil in vocibus humanis reperiatur, quod dęmon non possit per motum localem, aut alterationem, sensui præsentare; ac si veræ voces ei insonarent: etiam admissa illa opinione, quam falsam reputamus. D. Thom.

Tertium assertum. Omnes tangibiles differentias potest dæmon ita perfectè fabricare, vt potentia tactiua nequeat obiectum esse à dæmone apprehendere; præter quam carnes, & ossa, neruos, & alia, quibus fabrica corporis viuentis constat, quæ perfectè simulare dæmonē, impossibile putamus. Secunda pars, circa quam difficultas incumbit, probatur argumentis factis in oppositum; præcipuè argumēto primo desumpto ex Diui Lucæ testimonio, cui consonat Diuus Ioannes *in* 20. *capit.* sui Euangelij, narrans apparitionem factam Discipulis, & Thomæ, quando erat cum illis. Præterea. Temperamentum carnis, ossium, ac neruorum pertinet ad obiectum tactus; non enim solum percipit primas, & secūdas qualitates, duritiem ossium, Ioan. 20.

mollitudinem carnium, sed etiam temperamentum earum partium viuentium, maximè animalium: sed huiusmodi temperamentum non potest perfectè fabricari à dæmone: ergo quando id simulat, tactus simulationem percipiet (& loquimur de tactu, non excludendo à concomitante sensu communi, in omni sensuum externorum operatione.) *Minor probatur*: quia illud temperamentum consistit non in sola mixtione qualitatum tangibilium, non in duritie, aut mollitudine, sed in temperie resultante ex his, vt à principio vitali, & animato, proficiscitur.

Obijciet quis primo. Quia eandẽ temperaturã possumus in obiectis aliorum sensuum fingere, & dicere, hanc vitaliter non posse fabricari à dæmone. *Secundo*. Estò ponatur in solo tactu, vt percipiatur non est necesse esse veram temperiem carnis, sat est esse fictam, sicut in alijs sensibus simulatus color ita percipitur sicut verus; simulata vox humana, sicut vera. *Tertio*. Per fluxionem speciei carnis à phantasia ad tactum vsque poterit percipi caro, ac si re vera esset præsens, vt supra dicebamus in disputatione immediatè præcedenti. *Respond. ad primam obiect.* Ad visus, vel auditus obiectum non pertinet temperamẽtum subiecti, sed solus color, aut sonus; secus ad obiectum tactus, imò & gustus, qui percipiunt vt differentiam proprij obiecti temperamentum carnis, ossium, &c.

Ad secundam respond. Obiecta visus, auditus, & fortasse olfactus intentionaliter immutant, saltem non est necesse realiter potentias immutare: at verò gustus, & potissimè tactus obiecta, vel non immutant intentionaliter (vt Medici volunt) aut si ita immutant, necesse est simul immutare realiter: per affixionem & impressionem realem cum organo præfatorum sensuum, gustus scilicet, & tactus; & ideò nisi adsit, & illis iungatur verum carnis, aut ossium, &c. temperamentum, nõ sentiẽt se immutari vera carne, & veris ossib. Doctrina est D. Th. *in 4. dist. 8. q. 1. art. 3. q. 1. & 2.* Quomodo aũt cũ hoc saluetur, omne sensibile positum supra sensum non causare sensationem, non est huius loci, sed ad secundum librum de anima pertinet, nos aliò properamus. *Ad tertiam.* Per solam effluxionem specierum ad tactum, vel gustum, qui est quidam tactus, nequeunt tangibilia percipi; vel quia non immutant intentionaliter, aut si ita immutant, etiam realiter imprimere sensorio necesse est. *Secundo respondetur*, nos dumtaxat differere de deceptione proueniente ex parte obiecti, non verò ex parte medij, id est, speciei: sed præstat prior solutio. *Vltimo probat.* nostrum assertum, carnes cadaueris nuper exanimis, magis accedunt ad veras hominis viuentis carnes, quàm carnes, quæ fingi possunt à dæmone per aëris condẽsationem, aut aliorum humorum alterationem; sed carnes cadaueris non esse veras car-

D. Thom.

carnes viuentis, affirmant experti se tactu percipere, propter defectum temperamenti à principio vitali proficiscentis: ergo multo melius percipiet carnes à dæmone non esse veras carnes.

Ex dictis infertur non minorem ab hominibus capi delectationem in sensationibus obiectorum à dæmone effictorum erga visum, auditum, & olfactum; quam in sensatione obiectorum harum potentiarũ, si à natura producerentur: secus cõtingit in obiectis gustus, & tactus. *Prima pars probatur.* Quia æquè aut plus perfectè possunt trium præfatorum sensuum obiecta effingi à dæmone, quam à natura fabricari, & æquè aut plus perfectè immutare, vt nuper docui: ergo & delectare, quia appetitus sensitiuus, ad quem delectatio pertinet, sequitur in suo opere modum potentiarum apprehensiuarum sui obiecti. *Secunda pars corollarij probatur* opposita ratione, & quia sagæ ac lamiæ sæpe fassæ sunt se in coitu cum dæmone incubo, non sentire eam delectationem, quam cum viris experiuntur, nimirum propter scabrositatem, & defectum temperamenti vitalis instrumentorum, à dæmone effictorum. Rectè Caietanus 2.2. qu. 95. art. 3. *Est enim*, inquit, *tanto humanarum personarũ commixtio naturalis delectabilior, quanto verum superexcedit verosimili.* Detinentur autem in his spurcitijs delectabiliter lamiæ propter alia quæ consequuntur ex communicatione cum dæmonibus, & quia deceptor hominum dæmon, id quod deficit de temperamẽti vitalis qualitate, supplet alijs voluptuosis spurcitijs. Quare quidam incubus dæmoni in figura pulchræ fœminę, quã Catherinam appellabat, captus, & igni statim tradendus, ridens diu, interrogatus de risus causa, dixit se recordari de lenocinijs, & blanditijs suæ Catherinæ (dæmonis succubi) & cum iam flamma occupabat, idem, inquit, faciam: ita refert Syluester *lib. 2. de strigi magis, cap. 5. in fine.*

Ad argumenta facta in principio dubitationis *resp.* ad primum concedendo intentũm quoad omnes sensus, excepto gustu, & tactu propter argumenta facta in oppositum, & propter rationes allatas in tertio assetto: nec tamen negamus homines alijs affectionibus occupatos, vt Menipum captum amore illius sagæ, & illius pulchritudine ludificatum, de facto ac sæpè decipi in tactus, & gustus sensatione, sed homo attentus gustu, & tactu ea cibaria percipere vt inania.

Ad secundum similiter respondetur. Abrahamum opinione illorum virorum præoccupatum, & diuinis intentum, ac nihil doli suspicantem, non mirum deceptum esse, etiam in lotione pedum; posset tamen deprehendere errorem, si attentè attẽdisset. Mitto modò, quod ibi non dicitur expresè, an per se, an per famulos pedes Angelorum lauerit, imo neque an dumtaxat aquam pro

lotione obtulisset, facienda ab ipsismet hospitio receptis.

Ad tertium resp. temperamentum verarum carnium, non posse perfectè simulari à dæmone, quia id necessario debet esse à principio viuēte intrinseco, & hoc à tactu perceptibile est, sicut calor naturalis vt sic, perceptibilis est per tactum, sed tamen impossibile est à dæmone ita perfectè per alterationem fieri, vt non percipiatur, vtrum calor fuerit naturalis, necne, per sensum tactus.

Ad confirm. resp. visum esse præstantiorem potentiam tactu propter maiorem immaterialitatem, & propter plures sui obiecti differentias, & propter alia: cæterùm tactus minus obnoxius deceptioni propter rationes allatas. Hæc disputata sint pro introductione quæstionis nonagesimæ quintæ, & nonagesimæ sextæ, vbi agitur de diuinatione, & vana obseruatione, quorum criminum malitia ferè tota ortum habet, occasione sumpta ex potentia dæmonum ad mirabilia patranda.

LAVS DEO.



TRA-

TRACTATVS THEOLOGICVS DE PROCESSV ADVERSVS crimina excepta, ac ſpeciatim aduerſus crimen Veneficij.

Sumptus ex commentario Theologico R. P. ADAMI TANNERI *ad 2. 2. S. Thom. quæſt. 67. a. 2. 3.*



ABſoluetur hic tractatus quinque quæſtionibus ſeu dubitationibus.

I. Quænam velut principia in hac re ſupponenda ſint.

II. An in crimine veneficii ad torturam vel damnationem ſufficiant ſolæ denunciationes complicum.

III. An in proceſſu aduerſus ſagas, expediat tam multa iudicis arbitrio relinqui.

IV. Quid animarum Curatoribus, in hoc proceſſu, præſertim circa Sacramentorum, & ſepulturæ adminiſtrationem faciendum.

V. Qua ratione, quibuſue mediis Veneficia aut auertenda aut extirpanda ſint.

QVÆSTIO I.

Quænam velut principia in hac re ſupponenda ſint.

Ad S. Thomæ loc. cit.



1. VOcantur crimina *excepta*, ex vſu loquendi Doctorum illa, quæ ob ſingularem enormitatem ac perniciem aduerſus bonum commune, in plerìſque rebus, à communi modo procedendi ſpeciales in iudicio exceptiones habent; qualia ſunt illa, quæ directè vergunt in corporale, vel ſpirituale damnum publicum, vt eſt crimē læſæ Maieſtatis, hæreſis, Veneficium &c. de quibus quidem ſingulis agere huius inſtituti non eſt, ſed ſolum

tum communia tradere principia, quæ circa processum, adeoque inquisitionem & punitionem eiusmodi criminum obseruanda sunt; tum deinde generaliores quasdam difficultates, quæ circa processum in causa Veneficarum seu strigum occurrunt, & hodie inter doctos enixius ventilantur, expendere: prius hoc dubio, alterum sequentibus quatuor dubitationibus exequemur.

Est verò hæc tractatio eo minus à Theologi professione aliena, quod ea non tam dependet à legibus humanis, quam ipso iure naturali, vt inferius patebit. Et quia mihi quoque adhuc Monachij Theologiam moralem docenti, iam ante annos 24. ea ipsa quæsita circa hanc materiam resoluenda proposita fuerunt, quæ postea ad Martinum Delrium delata, & ab eo *in appendice 2. operis* resoluta exstant; existimaui nihil à professione mea alienum me facturum, si meam hac de re sententiam breuiter & quasi summatim exponerem; non vt receptæ & approbatæ vspiam praxi, doctiorumque sanioribus iudicijs præiudicarem, sed vt eorundem, ac præcipuè summorum Magistratuum sapientissimo iudicio rem omnem maturius discutiendam relinquerem.

2. Quod igitur ad præsentem dubitationem attinet, *primum in hac re principium* esto: neque in crimine Veneficij, nec in aliis criminibus extraordinariis, seu exceptis, obligari iudicem, ad communem ordinem publicorum iudiciorum seu antiquum, quem iam exoleuisse scribit Paulus Iureconsultus *lege* 8. *ff. de publicis iudiciis*, seu posterioribus legibus communibus præscriptum: seu etiam ad communem aliorum criminum praxin vndequaque obseruandam. In hoc principio omnes Doctores consentiunt. Quare etiam plærique notant, in eiusmodi criminum inquisitione (nisi quid peculiare obstet) admitti etiam socios criminis, saltem cum aliis indiciis, quamuis non vsque adeo manifestis: neque in his prærequiri infamiam: cum ea plerumque sint natura sua occultissima, vt notant Syluester V. *Inquisitio* 1. §.10. Sotus *lib. quinto de Iust. q.* 6 *a.* 2. Nauarrus *cap.* 18. *man. n.* 58. *& cap.* 25. *n.* 27. & 33. licet dubitet Valentia *q.* 14 *pun.* 1, *de Iust.* eo quod Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. vniuersim infamiam requirere videatur, quando alij præter reum interrogandi sunt. Quam rem inferius examinabimus. Ratio sumitur tum à difficultate consuetæ probationis: tum ab enormitate ac ingenti pernicie, quam eiusmodi crimina Reipub. adferunt: quibus proinde nisi efficacioribus medijs ac modis obsistatur, facile sui contagione vniuersam communitatem inficiunt ac pessundant. 3.

Atque in his criminibus potissimum esse videtur veneficium seu magia strigum: cum quo crimine ordi- 4.

ordinariè alia crimina quam plurima, eaque grauissima tum in Deum, tum aduersus homines solent esse coniuncta: de quibus proinde etiam, vbi opportunum est, à Confessariis & Iudicibus sunt interrogandi, vt post alios rectè etiam notauit Lessius *lib. 2. de Iustit. cap. 44. dub. 4.* Talia sunt I. *Hæresis seu infidelitas.* Plerique enim à fide Christiana & Catholica, nonnunquam etiam ab ipso Deo, & SS. Trinitate, per manifestam apostasiā deficiunt, Deū, aut saltē Christū, fidemq; Christi abnegantes, ac fidei in baptismo susceptæ abrenuntiantes: aut certè non credentes diabolum esse malum & fallacem spiritum, cumque vna cum suis asseclis pœnas æternas subire. Vnde Prosper Farinacius *tractatu de hæresi*, qui habetur *parte 8, operum criminalium q. 181. §. 1, num. 46* ex Delrio *disquis. mag. lib 5. sect. 5,* refert, lamias esse *suspectas de hæresi, & rarò hanc suspicionem fallere.* Et Sect. 15. ait, *lamiarum seu strigarum crimen cum hæresi coniunctum esse.* II. *Idololatria* in cultu diaboli, cui totas se mancipant, & sacrificia offerunt, aliosque deferunt honores. III. *Blasphemia* in Deum, Christum, B. Virginem, & omnes Sanctos.. IV. Omnis generis *sacrilegia*, quæ per abusum Sacramentorum, rerumque sacratum, & ipsius sacratissimæ Eucharistiæ nefandam dehonestationem, sæpissime committunt. V. *Luxuria* infanda, ac nefariæ cum dæmone commixtiones. VI. *Damna* proximorum, vt homicidia, mortes animalium, vastationes segetum, aliaque similia, quæ fusius etiam referunt Binsfeldius *Commentario ad legem, Nemo Cod. de maleficis & Mathematicis, in principio;* & Delrius *disquis. magic. libro, 5. sect. 16.*

Ex quibus patet, veneficos & sagas tanquam non solum in DEVM ac religionem impios & blasphemos, sed etiam omnium pessimos, ac nocentissimos salutis humanæ hostes, vti loquitur Imperator *L. fin. Cod. de maleficis & Mathemat.* dignos esse morte, & extremis supplicijs, ac omnino è Republica, quoad fieri potest, exterminandos, iuxta illud *Exodi 22. v. 18. Maleficos non patieris viuere.* Accedit, quod hoc crimen sua natura admodum est contagiosum: ita vt instar hæresis, velut cancer serpat, semperque plures in societatem pertrahere moliatur: item quod clam & proditorie, in locis solitariis, & plerumque nocturno tempore, absque omni teste, qui particeps criminis non sit, idque continuato quasi studio, perpetrari solet: quæ omnia planè conuincunt, ordinarium processum in hoc crimine inquirendo & puniendo vndequaque locum habere non posse: neque à grauissimo peccato excusari Magistratus qui eiusmodi crimen, quantumuis sæpe apertis indicijs satis sese prodat, per oscitantiam dissimulant: neque ferendos. 5.

dos illos, qui pleraque eiusmodi strigum crimina, ac speciatim corporalem translationem, & consuetudinem cum dæmone, negant: de qua re satis prolixè egimus *tom 1, disp. 5. q. 6. dub. 7.*

6. *Secundum principium est,* nihilominus Iudicem, tum in hoc crimine, tum in cæteris criminibus exceptis, sequi debere eum iudicii ordinem ac processum, qui rationi & æquitati naturali cõsentaneus est, quemque in criminibus priuilegiatis siue exceptis, tum iura communia, tum particularia statuta locorum, si quæ de his extant, præscribunt: adeo vt si quis eum turbet, aut negligat, eius iudicialia acta nulla forent, iuxta *legem 16. Cod. de pœnis.* Quod ex communi omnium Doctorum sententia tradunt etiam Binsfeldius *de confess. malef* & Delrius *lib. 5. sect. 1.*

Tertium principium est: non solum contra ordinaria, sed etiam contra extraordinaria & excepta crimina, adeoque etiam in causa strigum & sagarum, ita procedendum à iudicibus esse, vt ne ex eo processu, secundum prudens iudicium, morale & frequens creetur periculum ipsis etiam innocentibus. Patet hoc ex Christi præcepto *Matthæi 13. v. 29.* vbi seruis ad eradicanda zizania suam operam intempestiuè quasi obtrudentibus: *Vis imus & colligimus ea*, respondet paterfamilias: *Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.*

Vbi generalis regula præscribitur omnibus Magistratibus, vt si quod crimen puniri & extirpari non possit, non solum absque certa pernicie, sed etiam morali periculo innocentum (quod nempe significatur per particulam *Forte*) abstinendum potius sit ab eius criminis punitione, idque diuinæ vindictæ in extremo iudicio relinquendum, quàm vt intempestiuo ac pernicioso zelo innocentes simul cum nocentibus perimantur, vt ex communi Doctorum sententia fusiùs docuimus *tom. 2. disp. 5. q. 1. dub. 3.*

Id vero cum in omnibus criminibus puniendis, tum maximè etiam in veneficii crimine diligenter obseruandum est, ob grauissima incommoda: quæ ex illegitimo, incircumspecto, ac periculoso processu aduersus hoc crimen, toti communitati accidere possunt. E quibus *primum* est ipsa infamia, & grauissima tormenta ac supplicia ipsorum innocentum: eorumque, vti in diuturno, ac pluribus sæpe annis continuato processu, euenire necesse est, quam plurium vita, vt si vel denunciationes illegitimè extorqueantur: vel nimium deferatur denunciationibus, non absque præiudicio & morali periculo innocentum, fieri non possit, quin si processus eiusmodi diu continuetur, toti communitati periculum immineat, ne simul 8.

inno-

innocentes cum nocentibus, eodem supplicio, quasi generali quodam incendio, aut diluuio, omnes inuoluantur. *Videmus* enim, inquit Farinacius *lib. 1 prax crim. tit. 5. q. 43. n. 22, quod aliqui reperiuntur adeo in tortura impatientes: vt potius mori, ac de se & aliis mentiri deliberent, quam tormentorum cruciatus & dolores sufferre iuxta tex. in l. 1. § In causa tributorum. ff de quaest cum aliis adductis per* Foller. *in pract. crim canon. cap. 31. num. 2. & 13.* Quod in hoc crimine facilius accidere, ipsa acerbitas & frequentatio consueta tormentorum persuadet.

9. *Secundum* incommodum, est infamia ac perpetuum probrum honestissimarum, ac etiam nobilium familiarum: quod etsi ita quidem nũc à nonnullis eleuari videatur, ac si ob frequentiam quasi pro nihilo æstimandum sit: nemo tamen adeo væcors est, qui cum id sibi, suæque familiæ acciderit, non vehementer sentiat, ac pro graui nota ac probro habeat, pro quo redimẽdo magnam etiam pecuniæ summam facile sit expositurus.

10. *Tertium est* probrum quasi quoddam ac dedecus ipsius Catholicæ Religionis: quod ex eo oriri solet, dum sæpe maleficii crimine damnãtur, etiam illæ personæ, quę tum morum, ac totius vitæ, quatenus constare hominibus poterat, honestate, tum etiam diuinorum Sacramentorum frequenti vsu, ante infamationem & publicationem criminis, bono omnibus exemplo fuerant: è quibus cum dubitari quidem non possit, nonnullas etiam subinde hypocrisis velo inductas, fucum alijs facere, ac interim re ipsa veneficii crimine infectas teneri: non parum tamen Catholicæ Religionis nomini & existimationi obest, nocentum numerum, adiectione innocentum, multiplicari & cumulari.

11. Quibus rationibus planè adducor, vt si quo processu fori criminalis, salutem inter decem, aut etiam viginti nocentes, vel vna simul persona innocens eiusdem pœnæ infamiæque communione sit inuoluenda, ab eiusmodi processu, ipsaque adeo etiam, si aliter fieri non possit, punitione ac inquisitione ipsarum etiam nocentum abstinendum censeam: idque maximè, quia inchoato semel eiusmodi processu, adeo numerus puniendorum multiplicatur, vt nullus propemodum sit finis ac numerus eorumdem, vt dictum.

Adducor in hãc sententiã ipsius inprimis Dei, æquissimi Iudicis, sententia ac præiudicio: qui ipsi etiam Sodomæ integræ ciuitati, quamuis grauissimo ac infando scelere infectæ, se parsurum esse spopondit, non solum si ex eo toto numero, inter homines adultos, quinquaginta, vel quadraginta, vel triginta, vel viginti, sed etiam si vel ex omni numero decem iusti fuissent inuenti, ipso Abrahamo ita pro salute populi Deo supplicante, *Genesis 18. v. 25. Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius: non est hoc*

tuam, qui iudicas omnem terram : nequaquam facies iudicium hoc.

12. Consentit his etiam ipse Delrius *disquis. lib. 5. sect. 5. num. 4.* vbi ait : *Esto sit probatio criminis admodum laboriosa, progrediatur ergo hoc ad torturam : si ad necem insontis extendis, nonne durus, & saeuus merito dicare ? Sit crimen atrox natura: quid tum, si reuera non commisit ? Sic aliqui noxij elabentur: praestat decem elabi, quam vnum innoxium condemnari. Si tortus fuit innocens, potest ei solatii aliquid impendi? si damnatus & necatus, quod tu mortuo prabeas cataplasma ?* vbi vides, ipsum etiam Delrium sollicitum esse, ne si incircumspectus ac nimis rigidus sit Iudicum processus, innocentes simul cum nocentibus periclitentur: cum tamen *praestet decem potius nocentes elabi, quam vnum innoxium condemnari.* Nec obstat, quod in bello saepe innocentes cum nocentibus magno numero perimuntur. Nam & hoc quoad fieri potest, vitandum: & aliud est indirectè, & absq; infamia: aliud, directè ac tanta cum infamia innocentes perimi.

13. *Quartum principium* est. Etsi quidem Deus malorum auctor & causa non sit, & verò ea suo nutu facillime tollere ac impedire possit omnia: iustas tamen ob causas tum caetera mala, quae fieri videmus omnia, tum ipsorum saepe etiam innocentum iniustam cedem ac punitionem, tam in iudicio, quam extra iudicium nonnunquam permittere : vt hoc proinde velut pro axiomate haberi neutiquam possit, *Deum non permittere, aut permissurum, vt in hoc processu aduersus striges, multi innocentes à Magistratu damnati pereant*, vanumque esse timorem suspicari, aut formidare, ne sicubi debitus processus fortè non seruetur, in tanto maleficarum numero, quae ob id crimen damnantur, multae etiam personae innocentes simul inuoluantur.

Axioma hoc falsum esse, & oppositum principium esse verum, 14
nempe si processus non rectè ac debito modo instituatur, facile fieri posse, Deo permittente, vt inter plures nocentes, etiam multi innocentes pereant, *patet.* I. ex persecutionibus Tyrannorum à quibus iam olim ab initio Ecclesiae innumerus pene innocentum Martyrum numerus peremptus fuit.

II. Ex tot bellis ac stragibus, in quibus etiam ex parte exercitus iustam causam propugnantis, tot millia saepe perire solent : & nonnunquam etiam integri exercitus funduntur, & ad internecionem delentur.

III. Ex ipsis confessionibus & factis sagarum & strigum, quibus tot innocentes, saepe etiam ipsos parentes & filios, à se fuisse peremptos, & quotidie perimi, vnanimi consensu profitentur.

IV. Sensu & experientia prudentum & doctorum virorum, ac quorundam etiam Theologiae Professorum: è quibus aliqui cum non paruo tempore, in foro conscientiae, has

cau-

causas sagarum tractassent, magnopere se timere professi sunt, ne quo forsan inordinato procedendi modo, multis etiam innocentibus fiat iniuria: alii vero ita perplexi fuerunt redditi, vt nescirent demum, quid crederent.

V. Ex multis historijs, quibus in omni scelerum genere, constat subinde etiam innocentes easdem cum nocentibus pœnas luisse: idque si in aliquibus accidit, cur non etiam in pluribus accidere possit, si quo in crimine, & frequentius, & minus, circumspectum soleat exerceri mortis iudicium.

VI. Ex ipsa huius temporis experientia, qua constat, eos qui talibus causis iudicandis præerant, minus integrè nonnunquam in suo officio versatos fuisse. Certe proximis his annis, in locis non admodum dissitis Germaniæ, constat, duos latrunculatores, qui causas sagarum tractauerunt, ob processus illegitimos cum periculo innocentum adhibitos, capite damnatos & extremo supplicio fuisse affectos.

16. Dicere ergo, Deum nunquam permittere, aut permissurum, vt in processu aduersus maleficos multi innocentes cum nocentibus inuoluantur, non habita interim in particulari ratione ipsius processus, seu modi procedendi, inane axioma, imo falsum pronunciatum est, quod nec ratione, nec autoritate fulcitur.

Qua de causa etiam non probatur, quod nimis generatim cū Binsfeldio *tract. de confess. malef. memb. 2. post concl. 7.* ait Delrius *lib. 5. disquis. append. 2. q. 1. Vix vnquam permissum reperias, innocentes nominari. Quod si nominati, mox eorum innocentia, Deo sic disponente, palam fit* Quod repugnat ipsi Delrio *eod l. 5. sect. 5 n. 4.* vbi ipsemet timet; ne si indebitus processus & nimia credulitas denuntiationibus adhibeatur, passim cum nocentibus etiam pereant innocentes, vt superius retulimus. Scilicet Deus tot alia, eaque immanissima scelera singulis momentis, idque iustissimis de causis permittat, vt dictum cum Sancto Thoma 1 *part. disp. 3. q. 1. dub. 2.* & in solo hoc processu aduersus sagas, signato quasi codicillo sponsionem fecerit, non se permissurum, vt innocentibus fiat iniuria, qualis qualis denique processus ille futurus sit.

Quintum principium est, eos, qui magiæ seu veneficii nomine capiuntur, ordinariè non esse, aut habendos esse, velut de crimine iam sufficienter conuictos; quin & iure & facto existimandum, fieri posse, vt re ipsa sint innocentes Ex quo sequitur, iisdem, quamuis iam captis, locum & facultatem esse concedendum, quo se ab obiectis & impositis criminibus purgare, atque ita in libertatem restituere possint. Patet hoc euidēter ex eo, nō solū quod pleræque sagæ solum capiuntur ob denuntiationes cōplicū, quas ad cōuincendū aut damnandum reū, per se non 17.

se non sufficere, inferius ex communi Doctorum sententia dicetur, sed etiam quod captis torturæ primū, & ea sæpe multiplices ac frequentatæ adhibentur, ad exprimendam veritatem, certitudinemq; patrati sceleris comparandam: quod rectè non fieret, si iam antea essent de crimine sufficienter conuictæ.

18 Nam legitimè conuictum, ad eiusmet confessionem exprimendam, torquere non licet, vt cum Nauarro *cap.18 dub.17 n.59.* & Iulio Claro *q 64 n.8* docet Lessius *lib. 2. de Iust. c 29 dub.17 n. 152.* & habetur in *Constit. crim. Carolina art* 69. Ratio est, quia cum tortura adhibenda sit in subsidium, ob defectum plenæ probationis, frustra inferretur reo conuicto; quia confessio non est necessaria ad condemnandum. Eamque sententiam Nauarrus vocat communem Theologorum & Iurisperitorum, quam tradit etiam Couarruuias *pract. quæst cap.23 conclus.* 1. vbi plures citat. Addit Clarus *loc. cit.* contrariam praxin esse iudicum ineruditorum.

19 Et vero consentiens omnium Doctorum sententia est, per insufficientem torturam purgari præsumptiones & indicia quantumuis vrgentia & violenta, imo verior & communior sententia est, purgari etiam plenas probationes, et contra nonnullos fusè docet Farinacius *prax. crim. lib.1 tit.5 q.40.* itemque sequitur Delrius *lib.5. Disquis. sect.* 11.§. *Cæterum.*

Sextum principium est, si per torturam, non præuiis sufficientibus indiciis admotam, extorta fuerit confessio criminis, eam habendam esse nullam, etiamsi postea ratificetur, ipsamque sententiam in ea fundatam esse irritam Ita ex communi docent Nauarrus *in Rubrica de iudiciis nu* 86. Clarus *q. 64.* & Lessius *loc. cit n* 155 iuxta *legem penult ff. de quæstionibus* & *leg. Non dubium Cod. de legibus* Ratio est; quia confessio fuit per iniuriam extorta, & consequenter etiam ratificatio, quæ ex illa sequitur. Vt proinde hoc velut axioma habendum sit, confessionem factam in tormentis, non præcedentibus indiciis, esse nullam, etiamsi sequatur ratificatio.

His veluti fundamentis suppositis, resoluendæ sunt breuiter generaliores aliquæ difficultates, quæ in processu aduersus sagas hodie studiosius ventilari solent; quod sequentibus dubitationibus seu quæstionibus faciemus.

QVÆSTIO II.

[illegible] sola denunciatio com-[illegible] aliis indiciis, sufficiat [illegible] torquendas personas [illegible] etiam bona alio-quin fama.

Ad S. Thomæ 2.2. q.67. a.8.

Est hæc prima, ac fere præcipua difficultas, ex iis, quæ hodie circa processum aduersus sagas in quæstionem veniunt; & est hac de re *duplex* 20

• Doctorum principalis *sententia Prima* abs-

absolutè affirmat, sufficere ad eum finem, solam denuntiationem plurium sagarum. Hanc sententiam fuse tuetur Delrius *lib. 5. disquis. Sect. 3.* & *in append. 2. eiusdem libri sq. 1. conclus. 2.* vbi cum antea dixisset, *nõ satis tutam videri sententiam multorum grauium scriptorum, volentium, in criminibus exceptis, sufficere ad torturam, si denominatio sit facta ab vno complice;* nihilominus postea subiungit; si quando *reus à pluribus complicibus debite interrogatis fuit denuntiatus etiam absque aliis indiciis, vel adminiculis, licere Iudici procedere ad torturam in nostro* (magiæ seu veneficij) *crimine.* Quod tradunt etiam apud eũdem citati, Nicolaus Boerius *decisione Burdigalensi 319. num. 4 & 17.* Paponius *lib. 22. tit. 13.* Iulius Clarus *q. 21. n. 11.* Farinacius *q. 43. n. 37.* Lanfrancus *in praxi n. 72. c. 8.* Binsfeldius *de confess. mal. post prælud. conclus. 6.* itemque Friburgenses, Patauini, & Ingolstadienses Doctores consulti; quos sequuntur multi recentiores, speciatim Valentia *tom. 3. disp. 6 q. 13. pun. 4 § 2. & 3.* Idem à fortiore sentiunt illi, qui etiam vnius complicis denuntiationem in exceptis criminibus, ad torturam sufficere asserunt quales apud Delrium citantur Cynus, Imola, Abbas, Ambrosius de Bononia, Antonius Gomez, Fridericus Scotus, & alij.

21 Addit tamen simul idem Delrius *sub finem eiusdem quæstionis conclus. vlt.* limitationem, nimirum eam sententiam procedere, *si ex verisimilibus coniecturis, & numero testium, vel ex qualitate deponentium, vel ex personis eorum, contra quos deponunt, præsumantur nominantes falsum non dicere.* Hancque limitationem ait esse Collegij Patauini, illam desumentium *ex capit. In fidei & capit. Accusatus, de hæreticis in 6.* itemque Aretino, Marsilio, Rolando, & Sprẽgero in *malleo q. 4.* & alijs. Simulque ad hæc capita reduci posse ait conditiones alias, requisitas à Binsfeldio *loc. cit.* Sed nihilominus speciatim Doctorum Friburgensium has conditiones refert. 1. Si in denuntiatione constanter perseuerent. 2. Si pœnitentes ad iudicium accedant. 3. Si cum contritione moriantur. 4. Si nulla mendacii, aut odii, aut inimicitiarum sit suspicio.

Addunt ex Iureconsultis nonnulli, plurium denuntiationes etiã sufficere ad condemnationem: pro qua sententia à Delrio *loc. cit.* & à Farinacio *prax. crim lib. 1. de ind. & tort. tit. 5. q. 43. num. 71. tom. 1.* citantur. Antonius Gomez. *tom. 3. var. resolut. rub. de probat. delict. num. 18.* Ludouicus Peguerius *decis. crimin. 5. num. 18.* itemque Castrensis, Decianus, & Aymõ; quibus consentit etiam Lessius *lib. 2. cap. 30. num. 39* vbi ait; *in huiusmodi exceptis criminibus, depositionem socii non solũ esse sufficiens indicium ad torturam, sed etiam esse semiplenam probationem: & accedente alio socio, qui idem deponat, esse plenã probationem, & posse reum condemnari,* vt docet Cynus *in leg. vlt. Cod. de accusationibus,* & Panormitanus *in cap. 1. de confess. Debet tamen,* inquit, *hæc depositio fieri, tanquam à teste, nempe cum iuramento* 22

to, & citata parte, cui etiam danda est copia depositionis, vt possit se defendere.

Hi verò omnes authores cum in eo consentiant, solas denuntiationes plurium complicum, in criminibus exceptis, sufficere ad capiendas & torquendas personas denuntiatas; aperte tamen ijs locis non loquũtur de personis bonæ & integræ famæ à strigibus denuntiatis, de quibus nonnulli aliter loquuntur, vt videbimus.

23 *Altera sententia* principalis est propter solam denuntiationem sagarum, seu maleficarum, quantumuis illa multiplicetur, nec torqueri, nec condemnari posse eas personas, quę alioquin ante eiusmodi denuntiationes, & indicia ex ijs orta, probæ & integræ famæ erant: quam sententiam vti veriorem & tutiorẽ sequẽtibus assertionibus declaro & cõfirmo.

24 Assertio I. Propter solas denuntiationes sagarum, siue strigum quãtumuis multiplicatas, nunquam potest vlla persona denuntiata, quæ antea, vt supponitur, bonæ & integræ famæ, nec ex specialibus indiciis de crimine suspecta erat, non confessa damnari, aut extremo supplicio affici. Ita contra quosdam Doctores superius relatos, habet communior Doctorum sententia, quam ex instituto in hac ipsa materia defendit etiam Delrius *lib. 5. disquis. sect. 5. num. 4.* vbi ait: *Quantumuis multiplicentur depositiones personarum infamium & complicum, non est producendum iudici ex his solis ad condemnationem.* Idem repetit *append. 2. q. 1.*

Idem tradit Prosper Farinacius *prax. crim. lib. 1 tit. 5. q. 37. num. 16.* & *num. 62* & *q. 43. num. 29.* & *75.* vbi ait: *Nec verum est, quod in delictis occultis & difficilis probationis socii criminis tanquam omni exceptione maiores si vnus sit, sufficiat ad torturam, etiam sine adminiculis; si verò plures, ad condemnandum, quicquid in contrarium dixerint Doctores citati. Veritas est, quod etiam in occultis, vnus testis non facit indicium ad torturam, nisi sit omni exceptione maior, vel nisi adiuuetur aliis adminiculis. Non etiam verum est, quod tales socii criminis, tanquam testes omni exceptione maiores, plene conuincant.* Idem *num. 39.* eandem vocat communem Doctorum opinionem, pro qua speciatim adducit Marsilium, Boerium, Baldum, Clarum in *practica §. finali q. 21.* Idem à potiori tradunt, qui negant, etiam complurium complicũ denuntiationem, absque alijs indiciis vel adminiculis, sufficere ad torturam denuntiati, quos inferius referemus.

Ratio, præterea, quæ assertione 3. dicentur, petitur ex ipsa natura rei, & infirmatione contrarii fundamenti, cum aiunt, ex multiplicatis indiciis debilibus resultare indicia indubitata. Quod argumentum inquit Delrius, *valde debile est, nec in rigore verum.* Nunquam enim quæ natura sua sunt dubia, possunt rem facere indubitatam (adeoque nec multa argumenta probabilia, quantumuis conglomerata, parere certitudinẽ) sicut nec multa venialia peccata vnum mortale; nec multa ægra vnum sanum; 25

fanum; nec multa non alba vnum album; nec multa tepida vnum calidum &c. quando nimirum res non sunt subordinatæ ad vnum finem natura sua, sicut vna depositio natura sua non subordinatur alteri. Cum igitur denuntiationes sagarum singulæ planè incertæ, imò suspectæ sint, nec cum alijs subordinatæ, fieri non potest, vt eæ quantumuis multiplicentur, vllam certitudinem pariant, qualis ad condemnationem requiritur; esto plurium denuntiationum multiplicatione crescat probabilitas; eo quod singulæ nonnihil probabilitatis habent.

26 Nec obstat *primo*, quod in criminibus exceptis, etiam socij criminis pro idoneis testibus habeantur, vt ex communi tradunt Syluester V. *Testis q.*1. Clarus *q.*21 *num.* 3 Sa. V. *fœmina num.*3 Lessius *cap.*30. *num.* 41. alijsque citati *ex capit. finali de testibus cogendis*, & *Gloss. ibidem.* Sunt enim illi idonei quidem testes ad probabilitatẽ conciliandam, sed non ad pariendam certitudinem; præsertim in hoc crimine magiæ, vbi, ob specialem conditionem personæ delinquentis, singularum, imo etiam plurium denuntiatio merito de falsitate suspecta haberi potest, vt inferius dicam.

27 Nec obstat *secundo*, quod testes omni exceptione maiores, si duo sint, pariant moralem certitudinem, quam vnus testis non parit: quia tales testes non sunt suspecti de falsitate, sicut testificatio complicum: quare illi pariunt moralem certitudinem; ita vt vnius testimonium confirmet alterum, quando singula sunt in suo genere firma; hæc non item.

Nec obstat *tertio*, quod socii criminum solum iure positiuo repelluntur à testificando: reuera enim ipso naturalis rationis dictamine inepti sunt ad conuincendum, idque præsertim in magiæ crimine, vt *assert.*3 patebit.

Qua de causa oppositam sententiam, ex principijs quidem intrinsecis, quidquid sit de auctoritate, practicè probabilem existimare non possum: eo maxime, quod iudex *sequi debeat securiorem interpretationem* iuxta *capit. Ad audientiam*, & *capit. Significasti* 2. de homicidio; quodque *cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori*, iuxta regulam 11 *iuris in* 6. Nec ideo necesse est, elabi multos noxios, quando præter denuntiationem, etiam suppetunt alia media veritatis eruendæ, vt tortura, infamia, aliaque indicia Nec oppositum vspiam, quod sciam, in hoc crimine est vsu receptum; idque si reciperetur, non dubito, quin ea certissima futura esset ad exitium plurimorum innocentum via: quo argumento etiam vtitur Delrius: cuius verba retulimus *quæst. præced. n* 12. 28

Quare nec vndiquaque probatur, quod ex Binsfeldio, & aliis notauit Valentia *disp* 6. *q* 13 *pun.* 4. §. 4. in

huiusmodi criminibus atrocibus, natura sua secretis, probationem per coniũcturas, & indicia (nisi forte admodum manifesta sint) & denuntiationes complicum, etiam sine propria rei confessione, sufficere quidẽ ad condemnandum, sed pœna mitiori, quam ordinaria.

29 Assertio II. Nunquam etiam vnius sagæ, siue strigis denuntiatio, quantumuis per iuramentum, aut torturam confirmata, absq; aliis indiciis, sufficit ad torquendam personam denuntiatam, Ita ex communi sentẽtia cõtra Cynũ, & quosdã Doctores superius relatos, docent Delrius *disquis. l. 5. appẽd. 2. q. 1 concl. 1.* & Farinacius *prax crim. lib 1 tit. 5. q 43 num.* 76. qui citant etiam Glossam *in leg fin. Cod. de Accus.* item Bartholum, Baldũ, Bossium, Salicetum, Marsilium, Mascardum, Socinum, Decium, Crauettam, Rolandum, Boerium, item Clarum *lib. 5 § finali q. 21 num. 2.* Menochium *lib 1. de præsumpt. q 88. num* 12. & 13 & alios. Addit Delrius auctoritatem clarissimarum Academiarum, Bononiensis, Patauinæ, Friburgensis, & Ingolstadiensis, quæ anno 1602. ita consultæ responderunt. Colligitur ex *l. 1. in princip. ff. de quæst.* & *leg Milites Cod. Eodem titulo*, vbi habetur, nec in atrocissimis quidem delictis absque legitimis indiciis, iudice à tortura inchoandum: legitima vero indicia non sunt vnius complicis denuntiatio, vt constat ex *lege final. Codice de accusat.* & *cap. Veniens de testibus*, Scilicet, quia facile accidit, vt complex criminis, *aut denuntiati priuilegio veniam speret, aut eius odio, cupiat illum eodem supplicio perire*, vt habetur *cit. lege finali* Accedit, quod testis infamis iure inhabilis censetur ad probandum; & fulciri debet aliis adminiculis, vt indicium faciat, etiam in criminibus exceptis, vt ex textu *l Sicuti Cod de quæstionibus*, cum Bartholo in *legem 1 § Idem Cornelio, ff. de quæst* Baldo *consil* 359 *lib. 1.* & multis adductis à Farinacio *quæst.* 37. *numero* 58 & *quæst.* 36 *numero* 68. & 70 docet Delrius *cit. lib 5. append. 2. quæst 1.*

30 Et addit: *Quæ sententia communis cum sit iuri & rationi magis consentanea, meo iudicio iudici sequenda est, in vtroque foro. Si quis tamen illam contrariam Cyni & aliorum sequutus esset, putarem eum Syndicatui non subiacere: facit enim tot Doctorum, quos sequutus est auctoritas, vt dici nequeat, ex capite suo vel temere fecisse aut processisse. qui grauium Doctorum, & quorundam Iudicum praxin doctrinamque amplexus sit, licet minus probabilem, vel tutam* Ita Delrius, cuius moderationem vt in aliis criminibus exceptis tolerabilem. ita in crimine veneficii nullo modo tutam aut ferendam existimo, vtpote receptæ iam tribunalium praxi repugnantem; idque ob peculiarem præsumptionem falsitatis, quæ in hoc crimine infectis interuenit, vt mox inferius dicetur.

31 Assertio III. Quinimò longe probabilius videtur, nec ob pluriũ sagarum siue strigum, velut compli-

plicum denuntiationes, sine alijs indicijs vel adminiculis, contra personam alioqui probæ ac integræ famæ procedendum esse ad torturam. Hæc assertio videtur quidem contra multos Doctores superius *n.* 20. *&* 21. relatos, & contra praxin Iudicum quibusdam locis receptam; sed quæ nihilominus tum auctoritate, tum ratione, & argumentis optime fundata est. Ita enim præter Gomezium *cap.* 12 *num.* 20. citatum à Lessio *lib.* 2. *de Iust. cap.* 30 *dub.* 5. *n.* 40. docent vniuersim, de criminibus etiam exceptis Marsilius *consil.* 79. *numer.* 13. *&* *consil.* 106. *num.* 10. Ancharanus *consil.* 246. Alexander *lege. Si quis ex argentarijs §. Cogentur n.* 1. *ff. de edendo*, Cornelius *cons.* 333. *l.* 1. Felinus *in c. Testimoniũ*, *lib.* 5. *de testibus*, Crauettus *consil.* 99 *n.* 10. Bartholus *in leg.* 1 *ff. de q. §. Idem Cornelio.* Rolandus *consil.* 16 *num.* 18. *&* 23. *lib.* 1. Barsatus *consil.* 201. *num.* 61. Bertazzolus *consil.* 28. *num.* 3 *consil.* 116. *nu.* 21 quos omnes citat Delrius *libr.* 5. *disquis. append.* 2. *q.* 1. *post conclus.* 2.

32. Qui etiam *q.* 5. eandem sententiã, quoad personas bonæ famæ, indicat esse communem, & valde probabilẽ, cum ait: *Plerique censuerunt contra constantẽ, & non vulgarem denũtiati famam bonã, nihil ad torturam valere plurium complicum nominationem: idque ne sit in potestate & arbitrio istorũ tam infamiũ, grauare & denigrare bonum nomen, existimationem, & personam hominum proborum. Citantur pro hac sententia Raphael Cumanus consil.* 1. 6. *act.* 1. *Alexander consil* 89 *num.* 13 *lib.* 3. *Marsilius consil.* 74. *num.* 25. *&* *in crimine nostro maleficij consil.* 109. *num.* 27. *Paris consil.* 151 *num* 13. *lib.* 4. *&* *in* [illegible] *consil.* 21 *num.* 8. *consil.* 35. *num.* 37. *& decisione* 28 *num.* 17. *&* 18 *post Andream de Isernia, & alios ab eo allegatos; item Socinus iunior consil.* 39. *num* 66. *lib.* 2. *Rolandus à Valle consil.* 16. *num.* 24. *& consil.* 13. *num.* 35 *libr.* 1. *Menochius de Arbitris casu* 474. *num.* 42. *Bertazzolus consil.* 59. *nu.* 8. *& consil.* 61. *num.* 16 *Vincentius Ondedus consil.* 100. *num.* 40. *lib.* 1.

Hæc communiter recepta sententia, inquit Delrius loc. cit. *Valde probabilis est quando bona fama tam constanter & plene probata est vt dubitare iudex non possit, aut debeat, communi eius loci eius loci hominum existimatione, denuntiatum, propter mores ante acta vita haberi pro viro probo, & ab hoc crimine alieno, arg. leg. De minore §. Plurimum ff de quæst.*

Huc spectant etiam illi, qui indicium hoc plurium denuntiantium, per certam & constantem bonæ famæ exceptionem tunc saltem elidi tradunt, quando ad bonam famam accedunt alia indicia ad exculpandum reum denuntiatum; vel quãdo etiam reis denuntiãtibus plures defectus objiciuntur, qui eorum personas vel dicta debilitant; vt quod sint viles personæ, aut alias alijs criminibus scelerosi: quandoquidem semper duplicata materia exceptionis, plus debet valere, ad augendum & detrahendum. *Quod in terminis*, inquit Delrius *cit quæ.* 5. *ad liberandum à tortura nominatos, annotarunt non pauci.* Gigas *de crimine læsæ Maiestatis tit. Quomodo, & per quos quæst.* 7. *num.* 7. Farina- 33.

b 3 cius

cius *q.4*?.*num.*179. Et rursum *qu.*17. *Plurimi*, inquit *tenuere, quod etiam in criminibus exceptis, (vt sunt maleficium, heresis, sodomia, &c.) socij criminis, qui plures defectus patiuntur, verbigratia, quia multis alijs criminibus implicati, etiamsi, aliter veritas haberi non possit, quàm per illos, nec ad torquendum, nec ad inquirendum admitti à iudice possint*, &cæt. Vbi mox etiam supra viginti authores pro eadem sententia velut communi refert, licet ab ijs ipse dissentiat.

34 Sed & ipse Delrius, licet pro ea sententia, nempe sufficere denuntiationes plurimum infamium, & sagarum, ad torturam denuntiati, referat Doctores Ingolstadienses in scripto suo Anno 1590. (quos tamen postea aliter arbitratos fuisse constat) & Doctores Friburgenses in Consilio Anni 1601. post Bossium, Clarum, Baiardum, Binsfeldium, & alios; ipse tamen denique id, pro diuersitate circumstantiarum iudicis arbitrio dijudicandum relinquit: *Igitur aliquando inquit, plurium sociorum testimonium non eliditur per bonam famam solam, quantumuis certam; aliquando eliditur: & mea quidem sententia, à iudicis arbitrio dependet iudicare, quando elidatur, quando non: quia à iudicis arbitrio pendet decidere in animo suo, quodnam certius in indiuiduo sit indicium, bonæ famæ an denuntiationis plurium.*

Quando certius illi videtur indicium bonæ famæ, tum abstinere tenetur à tortura, iuxta Bartholum in leg. 1 §.1 ff. de quæst. Angelum de malefìcio in vers. Quod fama publica n 34. Marsilium in §. Diligenter n. 190. Alexandrum [illegible] *cons. 180 n. 9. l. 2. Gramaticum vota 3 n. 20. Vbi etiã adducit Ioannem Andream, & Baldum. Sic etiam Farinacius q. 38. num. 110.*

Sin verò vrgentiores & firmiores iudicet complicum denuntiationes, procedat ad torturam saltem leniorem. Dependet ergo res à pondere indiciorum, vt praualeant grauiora, vt olim docui lib. 5. disquis. sect. 3. v. Conditiones autẽ, cum Prospero Farinacio praxi criminali q. 47. & est ad mentem Carolinæ. Hæc Delrius.

Ex quibus omnibus patet assertionem positam, in his terminis, quos expressi, non solum non esse nouam & singularem, sed potius cõmunem Doctorum sẽtẽtiam; quãdo in crimine hoc magiæ, nõ vnum sed quàm plurima, eaque grauissima scelera solent concurrere, quæ contra denuntiantes, pro persona alioqui bonæ famæ, pariunt iustissimam exceptionem, vt inferius dicetur. 35

Probatur assertio primo ex iure ciuili. Nam ne plures inhabiles testes ad torturam vel quæstionem iungantur, videtur generaliter quoad crimina [illegible] *leg. 1 §. Idem Cornelio, ff. de quæstion.* Certe in *constitutione Carolina*, vbi indicia malefìcij commemorantur, non ponitur duorum vel plurium complicum denuntiatio: nempe, quia ea sola, alijs adminiculis destituta, ad conuincendum non sufficiat. 36.

Secundo probatur assertio rationibus. I. Nam aut denuntiantes verè, vti de se profitentur, sunt striges & maleficæ, aut non sunt: si non 37

sunt,

sunt, tunc & de se ipsis mentiuntur, & de alijs complicibus nihil sciunt; præsertim quia hoc crimen occultum est, & solis complicibus notum esse solet. Si autem sunt, vt supponitur, tum & re ipsa (saltem ante seriam pœnitentiam criminis, de qua in foro externo vix satis constare potest, vt dicetur) & secundum iustam præsumptionem, ex ipsa vi ac natura criminis, tales personæ sunt, quæ cum omnibus, tum præcipue innocentibus, quouis modo nocere; adeoque vel maximè falsa etiam denuntiatione, supplicium parere cupiunt. Sicut enim *fidelis testis non mentitur*: ita *profert mendacium dolosus testis*, *Prouerb.* 14. *v.* 5. Quomodo ergo earum denuntiatio tanti momenti esse possit, vt valeat ad capiendos, & grauissimis torturis afficiēdos eos, qui ante hac semper bonæ ac integræ famæ extiterūt?

38 II. Secundum oppositam sententiam, graui & morali periculo exponuntur personæ etiam innocētes, ne tum ad torturam adeò grauem & infamem: tum, quod ob magnitudinem torturæ ferè consequens esse solet, ad ipsum denique vltimum & grauissimum mortis suppliciū pertrahantur, non paruo damno ipsius Reipublicæ, vt dictum quæst. prima princip. 3. & 4. Est enim hac ratione in potestate sagarum, quoslibet innocentes denuntiare, eosque ita ad communionem eiusdem pœnæ pertrahere: & cum ex altera parte voluntas hac faciendi ijs non desit, aut certè non deesse merito præsumatur, vt dictum, quam facilè est, vt per tales processus in præsentissimum periculum etiam innocentes conijciantur. Vno verbo, secundum hunc procedendi modum, sagæ & possunt facilè nocere, quia possunt mentiri & innocentes nominare: id. que in foro externo innoxiè, quia mendacia hæc occulta sunt: & volunt nocere, quia sagæ, & diaboli mancipia & instrumenta sunt. Quid ergo superest, nisi manifestissimum innocentum periculum?

Nec obstat, quod plures in eiusdem personæ denuntiationem conueniant. 39 Nam *primo* facilè hoc fieri potest, dæmone suggerente: aut si sagæ antequam caperentur in hoc ipsum conspirauerint. *Deinde* cum tanta sit multitudo sagarum, quæ quotidie in tribunalibus per torturas ad denuntiandum adiguntur, nec in certo numero denuntiatorum facile sistatur, fieri non potest quin vel casu aliquando in eiusdem personæ, quamuis innocentis, plurium denuntiationes conspirent. Idque vel maximè, quando vel paucæ iam fœminæ, vti nonunquam accidit, in aliquo loco eiusmodi indicijs non absumptæ supersunt; vel quando suppositis iam duabus vel tribus denuntiationibus, particulatim de hac vel illa persona, vti fieri nonnunquam solet, fit inquisitio.

Denique experientia satis constat: ex ipsis confessionibus sagarum, nonnunquam siue officialium iusti-

40 iustitiæ, siue aliorum, qui rerum gestarum conscij sunt, loquacitate, etiã multo antea quã personæ delatæ capiantur, in vulgus spargi indicia de ipsis personis denuntiatis, quæ idcirco hac de causa palam infamãtur; quàm pronum est ergo de ijsdem multiplicari indicia ab ijs, qui suis denuntiationibus vtcunq; verisimilitudinis speciem habẽtibus, se à grauissimis torturis quàm primum liberare & expedire, atque interim tamẽ sine discrimine omnibus promiscuè nocere cupiunt? Neque hic recurrẽdum est ad diuinam prouidentiam: nam si qui processus per se ac suâ naturâ in periculum innocentum vergant, nihil obstabit quo minus diuina prouidentia malum illud permittat, vt *dub. præced. princ.* 4. dictum.

41 *Eadem prope ratio est inquisitionis & experientiæ*, qua confessa per torturas indicia damnorum alijs illatorum cognoscuntur & explorantur. Siquidem ex duobus viris grauibus & doctis, in hoc negotio versatis audiui, à personis quas ipsi pro innocentibus habebant, sibi planè fuisse persuasũ, eas cum in torturis similia inquirenda probè nouissent, iã prius ea, quæ verisimilitudinis speciẽ habere possent, quęq; iam antea hinc inde dãna illata audiuissẽt, animo præmeditata sponte sibi ipsis imposuisse, vt torturas eo citius euaderent: certè hoc fieri posse nemo negauerit, & factũ esse aliquando in tanta tormentorum acerbitate, non est incredibile.

42 *His accedit*, quod sæpè solum agitur de intẽtatis maleficijs, quæ quod effectu carerent, ab effectu explorari non possunt. Nonnunquam aut exploratio penitus negligitur, aut manifestè falsa conuincitur; vti in quadam ciuitate ad Rhenum nõ ita pridem accidisse, certa relatione ad Facultatem Iuridicam Ingolstadiẽsem delatum constat, vbi cum damnatarum velut strigum confessio publicè prælegeretur, & inter alia varia homicidia & maleficia certis ac nominatis ibidem personis illata referrentur, illæ ipsæ personæ, tunc præsentes, saluæ & incolumes falsitatem prælectę confessionis redarguerunt.

43 III. *Certum est*, sagas non raro in somnijs à dæmone deludi, dum se putant ad hunc vel illum locum transferri, & cum his vel illis personis versari, imò valde credibile est, eiusmodi translationes sæpius tantum esse phantasticas, non veras & reales, vt docui *tom. 1. disput. 5. quæstione 6. dub. 7.* Cum ergo tam pronum & frequens sit illusionis periculum, adeo vt nec illæ ipsæ, quæ talia patiũtur, partim ob simplicitatem, partim ob phantasiæ & imaginationis firmitatem, partim ob dæmonis vafriciem, satis aliquando inter veras & falsas eiusmodi translationes & negotiationes distinguere possint; quomodo eiusmodi denuntiationes per se solæ haberi pòssint pro claris probationibus, quales ad torturam requiruntur?

Licet enim ad eam non requirantur probationes luce promeridianâ clario.

clariores, quales ad condemnãdum requiruntur; & verò ad capturam seu incarcerationem leuiores sufficiant; ad torquendum tamen requiruntur vrgentiores, adeoque firmæ & claræ, vt merito prudens quisque ijs multum fidere possit, vt cum Iulio Claro *lib.5.§.finali quæst.20.* & Menochio *libr.1. præsumpt. quæstion. 88. & 89. & de arbitriis casu 90. numero 9. & casu 270. numero tertio.* fatetur Delrius *cit. append.2. quæstion.1. post conclus.2.* & generatim docui *in 2. 2. S. Thom. disput. 4. de Iustitia, quæst.4. dub.4. n 83.*

44 IV. Illi ipsi qui strigum plurium denuntiationes ad torturam denunciati sufficere asserunt, ex veriori requirunt hanc conditionem, vt *pœnitentes* denuntient: ita enim docent Binsfeldius *libro tertio, conclus. 6.* & Doctores Friburgenses apud Delrium *l.5. app.2. quæstion.1. in fine*, & eodem teste, olim ipse Delrius *lib. quinto, disquis. sect.3.* At verò ista conditio nec seruari hodie solet in multis tribunalibus, in quibus ante cõfessionẽ & pœnitentiã, striges ad denuntiandum torturis compellũtur; neq; de ea satis ferè cõstare in indicio potest: quomodo ergo solis eiusmodi denũtiationibus aduersus honestas & bonæ famę personas tutò fidetur?

45 V. Constat exemplis quibusdam, in conuenticulis sagarum nonnunquam à dæmone repræsentari eas personas, quæ reuera tunc pręsentes non sunt; nec potest certo constare, id Deo extra ordinem permittente, nó aliquando etiã circa personas innocentes accidere posse; quando id re ipsa accidisse, plures fide dignæ relationes habent; & in vita B. Bethę Reuttensis, quę quotidianis hodie, maximisque miraculis claret, legitur, dæmonem cum eius incredibili abstinentiæ detractum ire vellet, eius persona indutũ omnis generis, cibos furtim subduxisse; quasi ficta tantum & simulata non vera esset ea à Virgine repræsentata abstinentia. Vbi etiam aduertendum est, ad hoc, vt diabolus aliquam personam repræsentet, non opus esse speciali & miraculoso Dei concursu; sed id diabolum facere posse per se ipsum ac naturali virtute, nisi speciatim à Deo inhibeatur, vt suo loco de Angelis dictum, *tomo 1. disputat.5. quæst.6. dub.7.*

Quare etiam ex alijs historijs cõstat, diabolum subinde ad decipiendos simplices, etiam Sãctorum, imò ipsius Christi, aut B. Virginis personas repræsentasse; & alijs modis nonnunquam pios iustosque viros dæmonibus cruciandos fuisse permissos, tradit Chrysostomus *de prouid. Dei.* Ergo etiam ex hac parte, non satis firmæ & certæ, sed potius dubiæ & suspectæ sunt eiusmodi denuntiationes.

VI. Experientia iudicum, & ipsarum strigum confessione cõstat, hoc crimen solis per se criminalibus eiusmodi processibus, quantumuis rigidis, non extingui: imò vix diminui: etsi quidẽ nihilominus processus illi prorsus necessarij sint, tũ ad 46

iustitiæ exemplum; tum ob scandalum tollendum. Ergo cum ex vna parte tantæ vtilitatis non sint: ex altera parte, si tantum solis denuntiationibus deferatur, facilè possit periculum creari innocentibus, ita moderandi iure videntur, vt saltem morale periculum innocentum absit; quod fiet, si solis per se denuntiationibus sagarum non admodum fidatur, saltem aduersus personas bonæ & integræ famæ, nulloque alio indicio de scelere notatas.

47 VII. Denunciationes eiusmodi per se solæ non sufficiunt ad condemnationem, vt *assert.* 1. dictum: Ergo in hoc processu, nec ad torturam. Consequentia probatur: quia moraliter quasi certum est, ob acerbitatem & frequentiam torturæ, quæ in hoc crimine adhiberi solet, reos vi torturæ adactum iri ad confessionem; adeò vt à viro non solum cordato, sed etiam docto, pio ac prudēte, qui in his negotijs multo tempore versatus erat, ipse audiuerim, se tātum sibi roboris polliceri non posse, vt pro tuenda innocentia eiusmodi torturas sustineat: & frequens denuntiatarū sermo auditur, malle se mori, quā eiusmodi torturas perferre, præsertim nō tātum corpori acerbas, sed nonnunquam etiam pudori ac honestati naturali parū cōsonas.

48 VIII. Communis Doctorum sententia est, quàm tradit etiam Delrius *lib.* 5. *disquis. sect.* 3. saltem tunc elidi indicium plurium complicum seu infamium personarum, per certam & constantem bonæ famę exceptionē, quādo ad bonam famā personæ denūciatæ, accedūt alia indicia, ad exculpandum denunciatum; vel quādo etiam rei denuntiantibus plures defectus objiciuntur, qui eorū personas vel dicta debilitant, vt quod sint viles personæ, aut alias alijs criminibus scelerosi, vt superius dictū *n.* 33. etsi posterius contra communē neget idem Delrius *append.* 2. *q.* 17. At verò eiusmodi exceptiones defectuum in omnibus sagis & veneficis vel maximè locum habēt: sunt enim 1. personæ plerunque viles. 2. sunt mulierculæ rudes, & nonnunquam semifatuæ. 3. sunt præter magiam, omnibus quasi sceleribus contaminatæ, vt dictum *n* 4. *q.* 1. Et quidem 4. eo, quod vel vnicum sufficiat, & in hac re comprimis consideratione dignum est, vniuersali odio erga totum quasi humanum genus, suosque adeo etiam vel proximos consanguineos, puta, parētes, filios, fratres, sorores, &c. laborant.

Quod si ipso iure naturali probatū, aut iure præsumptū odiū accusatoris vel testis, denuntiationem seu indicium eneruat & elidit, quidni etiā præsumptum illud odium, quod sagæ aduersus quoslibet animo fixum gerere censentur, & à quo etiam apud Germanos nomen Vnholden accepisse videntur, saltem eatenus eneruabit, ne sola denūtiatio ad torquendam personam denuntiatā valeat, si bonæ alioquin famæ, & alterius indicij expers fuerit? 49

IX. Ipse-

50 IX Ipsemet Delrius *cit.q.5.* nō audet vniuersim absolutè affirmare, indicium plurium complicum & infamium præualere aduersus bonā famam personæ denuntiatæ; sed iudicis arbitrio permittit iudicare, quando eiusmodi testimonium elidatur, quando non; ita quidem, vt si certius ei videatur indiciū bonæ famæ, quàm denūciatio plurium, tum iudex teneatur abstinere à tortura, vt *superius n 34.* retulimus: at verò in hoc crimine, quidquid sit de cæteris exceptis criminibus, moraliter loquendo, & secundum prudens iudicium, nunquam non certius merito haberi potest indicium bonæ famæ, quàm denūciationis complicū, cum hoc omnibus prudēter spectatis, sit incertissimum, vt ex dictis constat; illud verò firmam & constantem innocentiæ præsumptionem afferat. Ergo bonæ famæ indicio potius stādum, quā lubricis & periculosis eiusmodi denuntiationibus, si solæ sint.

51 *Ex quibus argumentis colligitur*, specialem in hoc crimine causam esse, cur complicum denuntiationes per se solæ tanti roboris habendæ non sint, vt ad personas bonæ famæ torquendas sufficiant; adeò vt etiamsi vel auctoritate Doctorum, vel rationes adferantur, quibus alioqui indefinite docetur, in criminibus exceptis plures cōplicum denuntiationes ad torturam denuntiati sufficere, illæ tamen ad hunc casum nō sint accommodandæ. Non enim quia v.g. aliquis hæreticus est, aut reus læsæ Maiestatis, ideo præsumitur vniuersali quodam odio erga humanū genus teneri, quo omnibus nocere, modis quibus potest omnibus, cupiat, sicut de strigibus merito præsumitur, vt dictum. Neque in alijs criminibus interuenire solent eiusmodi delusiones & fraudes dæmonum, quales in hoc non raro euenire demonstrauimus.

Neque ad præsens institutum refert, etiamsi striges pœnitentes iam, & in speciem Sacerdoti confessæ, eiusmodi denuntiationes faciant, aut saltem ratas habeant. Quamuis enim hæc conditio aliquid momēti habeat, ad firmandam denuntiationem, vt *assert. sequenti* dicemus; non tamen tantū ei roboris cōfert, vt idcirco solæ denuntiationes ad torturam aduersus personā bonæ famæ sufficiant. Tum quia suspicio & periculum falsitatis, circa eiusmodi denuntiationes, non solum oritur ex malitia denuntiantium, sed etiam ex alijs causis, puta illusionibus diaboli, &c. vt *superius* dictum, ad quas detegendas pœnitentia denunciantis nihil momenti habet. Tum quia ratificatio post confessionem fieri solet ex metu, ne si negent denuntiationes factas, denuò ad torturam rapiantur. Tum quia iudici in foro externo vix satis constare potest, de vera pœnitentia, in tali scelere, quod tā difficulter sanatur, vti agnoscit etiam Delrius *append. 2. quæstio.3.* Tum quia iuxta oppositæ sententiæ authores pœnitentiæ non 52

habetur tanta ratio, vt idcirco per reuocationem subsequentem censeantur elidi denuntiationes antea factæ: Ergo nec tantum momenti ea habere debet, vt denuntiationibus eiusmodi infamium personarũ coniunctæ, aduersus bonã famã personę denuntiatæ præualeat: quãdoquidẽ hæc non minus roboris & firmitatis ad fidem innocentiæ faciendam habere debet, quàm denuntiatio sagarum, ad præsumptionem criminis, vti probauimus.

53 Imò si iusta est ea praxis iudicum, vt reuocationis etiam in ipso extremo vitæ factæ nulla habeatur ratio, tunc quia talis reuocatio inutilis & superuacanea est, neque necessaria quidem erit quantumuis denuntiatio complicũ falsa fuerit, vt ex quorundam Doctorum sententia quæstione vltima dicetur: Ergo ex prætermissa reuocatione, nullũ sumi potest argumentũ, pro veritate denuntiationis, Præterquam quod per se ęquum videtur, vt positiua actio reuocationis plus momenti habeat, ad exculpandum denuntiatum, quàm omissio reuocationis (quæ etiã per obliuionem vel incogitantiã omitti potest) ad eum torquendum, si quidem ille alias interueniente reuocatione, torqueri non potuisset.

54 Quæ omnia si prudens iudex, sine affectu sinistro expenderit, non dubito, illum in hanc sententiam facile inductum iri, vt solas denuntiationes strigum, quantumuis multiplicatas, sine omnibus alijs indicijs & adminiculis, ad capiendas & torquẽdas personas alioqui bonę & integræ famę non arbitretur sufficere: quando hæc sentẽtia & auctoritate, & ratione optime fulcitur: adeò vt pauci admodũ sint, & quantũ mihi quidem constat, præter Delrium vix vllus, qui particulatim & apertè, in hoc, de quo agimus, veneficij crimine, solam denuntiationem sagarum siue strigum, etiam ante pœnitentiam, & confessionem Sacerdoti factam, ad capiendas & torquendas personas, quæ alioqui bonæ & integræ famę erãt, sine omnibus alijs adminiculis sufficere docuerit: qui nec ipse tamen constanter & absolutè eã sententiam defendit, vt vidimus. Certè Lessius, Binsfeldius, & Doctores Friburgenses pœnitentiæ conditionem requirunt, vt dictum.

Et cum alioquin iudex in dubio mitiorem partem sequi, & reo potius, quàm actori fauere debeat, & iuxta *regulam 30. iuris in 6. de reg. Iuris. In obscuris minimum sit sequendum: & reg. 49. In pœnis benignior sit interpretatio facienda*: nulla causa est cur Iudices non in hãc potius, quam oppositam sententiam inclinent: considerãdo potissimum, quod etsi opposita sentẽtia zelo iustitiæ & boni communis ferri videatur: tamen spectatis rerum circumstantijs, & spes illa publici commodi non admodum sit magna: contra verò periculum innocentum pręsens ac certum ex oppositæ sententiæ praxi sequi videatur, vt probauimus.

Neque

55 *Neque vero hoc est sagarum*, sed potius innocentum aduersus sagas, illis malitiose insidiantes, patrocinium sumere; ne sicut extra iudicium, etiam cum amissionis vitæ, ac bonorum suorum periculo, ita in iudicio, hoc periculo & metu solutæ, in eorundem vitam, famam, & fortunam eo nocentius, quo liberius grassentur.

Neque idcirco obstruitur via ad procedendum aduersus hoc crimen; quando præter denuntiationes sagarum, alia quam plurima suppetunt indicia, eaque sæpe admodum firma, ipsaque publica fama prodita; etsi malè nonnunquam à Magistratibus dissimulata; quæ vel sola, vel accedentibus eiusmodi denuntiationibus sagarum, ad torturam inferendam sufficiant; de quibus præter Malleum malef. *part.* 3. & Binsfeldium, tractant Delrius *lib.* 5. *Disquis. sect.* 3. & nonnihil *append.* 2. *q.* 4. & multo plenius Farinacius *prax. crim. lib.* 1. *tit.* 5. *tomo* 1. edit. Francofortensis.

Possum ego ipse exempli causa, ex fide dignis relationibus, aliqua eiusmodi, quæ alicubi acciderunt, referre. V. G. oblato haustu subitum & insolitum viscerum dolorem ac stomachi euersionem alicui conciliasse, &c. Vetulam tempore nocturno inuentam fuisse in clausa cella supra vini dolium considentem, &c. Ex demulsione quasi blanda corporis, sed insolita, mox grauissimum & incognitum morbum in persona attacta consecutum: post afflatum vetulæ, infantem mox lenta tabe fuisse consumptum, &c. Post nocturnos concursantium & colludentium strepitus, in alienis ædibus concitatos, mane puluinar pectorale alicuius fæminæ fuisse inuentum; si quando ex eiusmodi spolio agnosci persona spoliata possit, &c. Quo spectant ea, quæ ex Bodino *lib.* 4. *Dæmonom. cap.* 2. refert Valentia *disp.* 6. *q.* 13. *pun.* 4. §. 2. si minata fuerit mulier alicui malum, & deinde quis reperiatur morbo ac fascinatione seu maleficio correptus. Item, si testes aliqui testentur, se vidisse quampiam veneno aut vnguento quopiam linire animalia, quæ postea mortua reperta sint, aut infantes, aut alios, &c.

Dixi vero *contra personas alioqui bonæ & integræ famæ*; nimirum, quæ alioqui ante eiusmodi denuntiationes sagarum, nulla infamia laborabant, sed bonæ apud omnes famæ erant. Nam si quæ primum post denuntiationes sagarum factas, peruersa loquacitate Officialium iustitiæ, alijsue modis in publicum editas, infamia asperfæ fuerint, vt sanè fieri nonnunquam videmus, ea infamia denuntiationibus momentum addere nullum potest, vtpote ab ipsis denuntiationibus inique causata; cuius proinde etiam in iudicio ratio nonnulla habenda est. 56

Assertio IV. Sola denuntiatio plurium sagarum, facta ante pœnitentiam criminis, parum admodum 57

momenti habere censenda est: qua de causa consultum est, vt reus post confessionem de se ipso factam, & sententiam condemnationis latam, disponatur per confessarium, ad seriam pœnitentiam & dolorem criminum, sicque pœnitens indicatur, vt sponte reuelet omnes socios criminis, quos putat à maleficis non cessaturos. Hæc est doctrina Lessij *de iust. cap. 29. dub. 17. n. 162.* vbi ait. *In hoc tamen casu consultissimum esset, vt reus ante condemnetur, & post sententiam disponatur per Confessarium, vt reuelet sponte omnes socios, quos putat à maleficiis non abstenturos: sic enim ad socios eliciendos, non erit magnis tormentis opus.* Quod cù ipse generatim tradat in criminibus, quæ absque socio non committuntur, tum maxime verum est in hoc crimine veneficij, in quo alioquin ob ipsam conditionem criminis, persona denuntians paruæ aut nullius fidei est

58 *Idem colligitur ex doctrina Binsfeldii, & Doctorum Friburgensium*, qui docuerunt, denuntiationes sagarum ad torquendos denuntiatos non sufficere, nisi à pœnitentibus profectæ fuerint: tametsi Delrius postea *lib. 5. append. 2. q. 3.* oppositum docuerit; quasi eiusmodi pœnitentia non sit necessaria, cum ante sententiam soleat esse ficta; & postea possit esse simulata, ad pœnam mitiorem obtinendam. *Igitur si pœnitentiæ signa*, inquit, *etiam citra confessionem in illis apparerent, bonum id foret & optandum iudici: sed citra illã vix est, vt pœnitentiæ signa censeri debeant. Certe super pœnitentiæ signis exterioribus an essent sufficientia, nec ne, sẽper Aduocati sine fine litigarent. Quare ista sententia noua mihi videtur, satis noxia iudiciorum expeditionis.* Ita Delrius.

Sed probatur assertio ex dictis; quia seclusa pœnitentiæ, sagæ censendæ sunt retinere affectum criminis, adeoque animum obsequendi diabolo, nocendique omnibus, qui affectus in eo crimine includitur; iuxta *reg. 8. Iuris in 6. Semel malus semper præsumitur malus*: Ergo non minus, imo magis cupiunt nocere innocentibus quam nocentibus: Ergo earum depositio ante pœnitentiam criminis de aliis facta, non est censenda magni momenti, quia personæ, quæ præsumitur, ac præsumi debet, mentiendo velle nocere, nulla aut parua fides habenda est, vt ex ipsa ratione naturali constat. Neque sola tortura sufficit ad hanc præsumptionem tollendam; cum enim eam æque perferre debeant, nec minus euadere possint, siue nocentes, siue innocentes deferant, nõ est credendum, eam per se solam valere ad inclinandum maleficæ animum, vt nocentes solũ, nõ etiã innocẽtes denũtiet; ad quod à diabolo, cui se obstrinxit, vel maximè instigatur. Qua de causa etiã superius dixi, à strigibus impunè & innoxiè in iudicio æquè deferri posse innocentes, ac nocentes. 59

60 Quod si ea Binsfeldij notatio olim noua fuit, parum refert, quando res hæc à Theologis nunquam, vel parum antea tractata fuit; qui plerun-

runque accuratius res à sola naturali ratione pendentes expendere & diiudicare solent: ac proinde etiam recte monere quædam in conscientia seruanda possunt, quæ alioquin à communi Iurisperitorum plebe parum fuerant animaduersa: præsertim cum res hæc nec iam quidem ita sit explicata, quin nouis curis & considerationibus illustrari magis possit, vt ex ipsa praxi, & difficultatibus quotidie emergentibus patet. Certè hoc tempore ea Binsfeldii & Lessii notatio communiter à Theologis, & merito probatur: præsertim in hoc crimine, vbi peculiaris ratio est, de fide denuntiantium dubitandi, vt dictum.

61 Quæ causa etiam est, cur existimem, ob solas denuntiationes sagarum præsertim ante pœnitentiam criminis factas, nec capi quidem cum infamia posse personas, quæ alioqui antea bonæ & integræ famæ erant: esto consideratis circumstantiis personarũ, prodesse aliquando eiusmodi denuntiationes possint, ad inquisitionem formandã contra nominatum, & vt inquisitio nominato transmittatur, vt personaliter compareat, vt in casu vnius denuntiationis docet Delrius *lib. 5. disquis. append. 2. q. 1. ad conclus. 1.* post Baldum *in leg. Seruorum Cod. de testibus*, & *in leg. 1 Cod. De Summa Trinitate num. 5.* Bossium *tit. de inquisit. num. 4 & 61*, Clarum *lib. 5. § finali. q. 21. num. 2.* Menochium *lib. 1. de præsumpt. q. 88. num. 12. & 13.*

QVÆSTIO III.

An in processu aduersus Sagas, expediat, tam multa Iudicis arbitrio relinqui: & quid in particulari, de quibusdam eiusmodi arbitrationibus sentiendum.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 67. a. 3.

NOn est animus, vt dixi, particulatim omnia persequi, quæ ad processum in causa sagarum pertinent, sed solum vniuersaliora capita, ex quibus fere cætera dependent, quale est etiam hoc quæsitum secundũ, *an expediat, in hoc processu tam multa iudicis arbitrio relinqui.* Etenim fatẽdum quidem est, cum hoc crimen sit exceptum, imo inter excepta, vt ita dicam, *exceptissimum*, ob ipsam scilicet eius enormitatem, pernitiem & obscuritatem; id communibus regulis aliorum criminum inquirendorum & diiudicandorum non ita comprehendi, quin pleraque sibi peculiaria vendicet: ex altera tamen parte, non admodum expeditum, sed periculosum videri potest, pleraque iudicis arbitrio relinqui: quæritur igitur quid facto opus. 62

In hac re Delrius, alijque recentiores eum sequuti, pleraq; demum in hac causa ad iudicis arbitrium reuocant. Ita enim scribit Delrius *lib. 5. append. 2 q. 1. post conclus. 2. respons. ad 4.* contra quosdam aliter sentientes: *Longe verius est, in criminibus exceptis (quale est magia) primo etiam tor-* 63

turæ quantitatem & qualitatem à iudicis arbitrio pendere iuxta legem 1.& leg Quæstionis modum,ff. de quæst. (adde etiam *constit. Carolinæ art.* 58.) *post Baldum, Gandinum, & alios. Menochius de arbitrio casu* 171.*num*.2.

Item secundo *an, & quando iteranda quæstio, Baldus in leg.2. Cod. Quod metus causa, Marsilius in dictam legem, Quæstionis modum , Menochius casu* 272. *num*.4.

Tertio *arbitrari, quæ indicia sint idonea ad torturam, post alios ibidem cas*.270. *num* 3.

Quarto denique, *vt procedat in hoc crimine, quo sibi modo procedendum putat. Sic ibi Menochius cas.* 474.*n*.34.*referens ad hoc Baldum, Salycetum, Boerium, aliosque*. Similia habet Delrius *quæst*. 24. *&* 26.

64 Huc spectat, quod idẽ scribit *q*.5. sub finem: *Mea quidem sententia*, inquit *à iudicis arbitrio dependet iudicare, quando eludatur plurium sociorum testimonium per bonam famam denuntiati, quando non.* Hactenus Delrius, ex quo patet, amplissimam in hoc crimine relinqui iudici arbitrandi facultatem. Nam si in hoc crimine potest procedere, *quo sibi modo procedendum putat* , vt ait Delrius , quid quæso restat ab eius arbitratione exemptum?

Hoc autem principio posito , sicut liberum est viro docto cuique suo arbitratu, incidentes in hoc processu difficultates resoluere, ita etiam Delrius ipse eadem arbitrandi facultate vsus, complura definit non ab omnibus approbata. Qualia sunt hæc sequentia.

I. In hoc crimine admittendos testes singulares in circumstantiis; dummodo concordent in effectu, substantia, & fine; eosque fidem facere ad torturam. Ita arbitratur Delrius *cit. append*.2.*q*.10. post Mascardum *volum*.2. *conclus*. 856. Binsfeldium *memb*.2.*conclus*.6. licet alijs multis contrarium sentientibus.

Intelligere autem eo loco Delrius per substantiam criminis videtur , non vnum aliquod & indiuiduum consummati criminis factum, puta vnum homicidium seu maleficium certum, vnam certi alicuius conuentus veneficarum, per præsentiam in propria persona, participationem; sed solum ipsam speciem criminis veneficii & Magiæ in genere & abstractè acceptam ; seu quod idem est, plura facta particularia eiusdem generis : cum tamen ipsemet paulo antea dixerit , testes singulares , qui de diuersis actibus non subordinatis deponant, ex probabili valde sententia & communi, non admittendos, etiam quoad crimen in genere probandum , in ordine ad condemnationem. Et addit; *Et quoad istam singularitatem strictam, & quoad omnia, idem censeo, quoad torturam.* Certum autem videtur, plura ac diuersa maleficia, vel etiam præsentationes in conuentibus sagarum, non esse actus magis inter se , vel ad vnum crimen perpetrandum subordina-

dinatos, quam diuersa furta, aut latrocinia ad idem eiusdem generis crimen probandum subordinentur. Vt proinde non videam, qua ratione Delrius in hac re, vel secum ipse, vel cum ea, quam communem sententiam vocat, satis consentiat. Plura q. 4. dub 6. n. 119. sed pergamus modo in aliis quibusdam eiusdem Delrij arbitrationibus referendis. Nimirum:

66 II. In hac denuntiatione, quod hæc vel illa persona interfuerit conuentibus sagarum, non requiri ad torturam, specificationem, seu additionem loci & temporis; sed sufficere generalem denuntiationem plurium absque huiusmodi circumstantiis, ad inquisitionem & torturam. Ita docet & arbitratur ipse, cum Doctoribus Friburgensibus, & quibusdam alijs: etsi contratium multi sentiant, & olim ipsemet docuisse videatur *lib. 5. sect. 3.* vbi ait: *Tertio requiritur ex parte criminis, vt nominans diligenter sit interrogatus de omnibus circumstantiis, quis, quid, quando, vbi, cum quibus, quomodo? Nec enim aliter posset procedere ad inquisitionem & torturam, ex tali nominatione. Est omnium, & dicta constitutionis Carolinæ.* Ita Delrius, qui tamen postea *loc cit.* seipsum explicare conatur, quasi id tantum ad bene esse pertinere existimauerit: rectius dicere poterat, se priori loco solum egisse de vnius testis nominatione. Vide etiam hac de re doctrinam S Thom. cit. q. 4. dub. 6. n. n. 119. relatam.

67 III. Posse nonnunquam vnius infamis ac malefici depositionem esse tam verisimilem, vt sufficiat ad torturam, arbitrio iudicis. Ita arbitratur ipse *cit. append. 2. q. 16.* aitque, hoc vt probabile tenuisse Doctores Patauinos; quamuis alioquin in contrariū stet communis doctrina ipsius etiam Delrij vt *quæst. praeced. retulimus n. 29.*

IV. Per extraiudicialem reuocationem, post sententiam mortis, in rigore non infirmari aut tolli, iudicialem & legitimam denunciationē; ita quidem, vt iudici arbitrarium sit, adhuc credere denuntiationi, & cūctis perpensis statuere, cui velit stare, inculpationi an exculpationi. Ita Delrius *cit. append. 2.* cum Binsfeldio, & Doctoribus Ingolstadiensibus consultis Anno 1590. quamuis non paucis Doctoribus repugnantibus, speciatim Marsilio *cons.* 109. *num.* 31. Farinacio *q.* 46. *num.* 73. Quam sententiam etiam tutiorem vocant Doctores Patauini itidem consulti: quia moriens præsumitur non mentiri, & facit indicium innocentiæ pro reo, Baldus *consil. 25. Col. 2 vol. 1.* De qua re præterea, quæ diximus q. 4. dub. 5. n. 99. plura dubio sequenti. 68

V. In hoc processu, contra negantes, generatim ac vniuersim ter iterari posse torturam, super eodem crimine, sine nouis indiciis. Ita cum nonnullis arbitratur idem Delrius. *lib. 5. sect 9. & cit. append 2. q. 29. & 30.* cum tamen alioqui communis sit doctrina, si reus sufficienter semel tortus nihil fateatur, non posse nec semel quidem repeti torturam, nisi 69

noua indicia habeantur, quæ ad nouam torturam sufficiant. Ita Clarus *tom.5.sentent.§. finali q. 64. num.46.* Menochius *de arbitrio iudicum lib.2. centur,5.cas.272.* Gregorius Tholosanus *lib.48.cap.12.num. 26.* Farinacius *prax.crim.lib 1.tit.5.quæst. 38.num. 79.* &88. alijque Iureconsulti; & ex Theologis Syluester *V. Tortura*, Azor.*part.3.l.13.cap 26.*circa finem, Lessius *lib.2 de iust.cap.29.num.*168.& ipse Delrius *lib.5.Disquis.sect.9.* à quibus etiam citantur Dynus, Albericus, Alexander, Villalobius; Antonius de Rosellis, &alii: eo quod sufficiens tortura purget indicia.

70 E quibus tamen Clarus, Tholosanus, Farinacius, Lessius *loc.cit*. excipiunt, nisi indicia sint grauissima; quia tunc prima tortura, respectu indiciorum, videtur leuis fuisse; quo casu eam repeti posse, communiter docetur, non tamen supra tertiam vicem.

Vnde Lessius *loc.cit. Aduerte*, inquit, *ne in actu tam odioso procedatur absque termino, in hoc casu* (retractationis) *reum non debere subijci quæstionibus plusquam ter. Itaque si tertio tortus, & in tormentis confessus, tertio etiam ductus ad ratificandum, recusauit, non potest condemnari, imo debet absolui, vt docet Gomezius numero 27.*

Et Farinacius *prax.crim lib. 1. tit. 5. q. 38. n. 105. Aduertat*, inquit, *pariter Iudex, ex quibuslibet indiciis, quantumuis vrgentissimis & indubitatis, ne reum torqueat vltra tres vices; quia hoc est omnino reprobatum communiter.*

Quod si in præsenti causa quæras, *quæ nam sint illa indicia vrgentissima & grauissima*, sæpè forte alia non inuenies, quam denuntiationes multiplicatas fictigum; quæ quanti facienda sint, *quæst.* præcedenti dictum est. Pone ergo, vti fieri potest, personam eiusmodi denuntiatam esse innocentem, ac simul ternas illas, easque acerbissimas torturas singulas, vti iuris esse dicunt, per horam continuari, annon tali processu, præsertim si subsequens ampliatio accedat, pene impossibilis redditur, in sexu præsertim infirmo, facultas sese expurgandi? quam tamen integram consistere debere *quæst.1.princip. 5.diximus.*

VI Quod si reus tot delicta commisisset, vt examen vno die absolui non posset, posse eum vltra tres vices torqueri; adeo vt si quis de quinque diuersis criminibus foret delatus, & ex indicijs grauibus suspectus, & de tribus tantum delictis tres quæstiones (seu torturæ) & examina cõsumpta, de reliquis toties torquẽdus sit, donec examen de ijs fuerit perfectũ & absolutũ. Sicut reus sufficiẽter, hoc est, bis aut ter tortus atq; cõtra se crimẽ confessus, quarto aut quinto torqueri potest, ad detegendum socios; quia ratione sociorum nunquam fuit tortus. Ita cum Binsfeldio *l.7.q 1.conclus.13.* & Doctoribus Friburgensibus, Delrius *lib.5. append.2.q 34.* 71

Sed hoc, (præterquam quod viam aperit, in hoc crimine magno numero multiplicandi torturas,

rass.

ras, vbi tot crimina solent esse connexa) videtur propemodum nouum, & cæteris Doctoribus incognitum, parumque consentaneum Constitutioni criminali Caroli quinti *artic.* 58. vbi cum decretum fuisset, torturam, pro ratione indiciorum, multum, sæpe vel parum, mitius vel acerbius adhibendam, pro arbitratu boni & prudentis iudicis, subijcitur: vnnd soll die Sag deß gefragten nit angenommen oder auffgeschriben werden / so er in der Marter / sonder soll sein Sag thun / so er von der Marter gelassen ist. *Et confessio rei interrogati non acceptetur nec inscribatur, dum is in tortura versatur, sed confessionem suam edat ex tortura demissus.* Quod si verum, non video, cur ad plurium etiam criminum examen vna tortura non sufficiat; præsertim vbi crimina solent esse connexa.

Præterquam, quod graues Doctores sentiunt, actualem torturam non esse necessariam, sed sufficere torturæ metum. Vnde Binsfeldius *memb. 2. conclus.* 5. *Aduertendum*, inquit, *pro praxi, non esse necessarium, vt confitens actu tractus sit ad torturam; modo metu tormentorum confiteatur. Quia confiteri in tormentis, & metu tormentorum, æquiparatur in iure.* Quod Binsfeldij dictum probat etiam Gregorius de Valentia *tom.* 3. *d.* 6 *q.* 13. *p.* 4. §. 3. Quando autem dicatur confessio metu tormentorum facta, explicant Delrius *l.* 5. *sect.* 11. Farinacius *l.* 1 *tit.* 5. *q.* 41.

VII. Idem Delrius *q.* 27. cum Farinacio *q.* 38. *num.* 54. alijsque nonnullis Doctoribus concedit, in atrocissimis eiusmodi delictis, reum torqueri posse ad vnam horam, aut paulo amplius; cum tamen vt ijdem referunt, in Bulla quadam (*num.* 58) Pauli III. sapientissimi Pontificis prohibeatur, ne reus in tortura teneatur *per longum temporis spatium, veluti vnius, aut plurium horarum.* Equidem fauores potius, quam rigores ampliandos putarem. 72

VIII. Non necessario dandam esse reo copiam indiciorum: & processus informatiui, in hoc, alijsue criminibus exceptis, sed sufficere indicia reo proponi, eumque in continenti cum suis defensionibus audiri. Hanc praxin quibusdam locis receptam approbat Delrius *loc. cit. q.* 37. tametsi & Patauini Doctores oppositū cōsuluerint, & cōmuni iure statutum sit, vt reis detur indiciorum copia, idque etiam in crimine læsæ Maiestatis, alijsque atrocioribus, vt iuxta *legem vnius* §. *cogniturum ff. de quæstionibus, & leg. Desertorem,* §. *si ad diem ff. de re militari, & leg. Defensionis facultas, Cod. de iure fisci, & capit. Qualiter & quando de accusationibus, & Clementinam Pastoralis de re iudicata,* communis habet Doctorum sententia, apud Clarum *q.* 49. Farinacium *q.* 39. *num.* 41. & Lessium *de iustit. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 39. adeo vt Ioannes Monticella *regula crimin.* 4. *num.* 3 affirmet, *nullibi in iure contrarium reperiri.* 73

Quod si iudex ante datam copiã indiciorum, & decretas defensiones, vlterius procederet, & torqueret, *confessio reum non premeret, foretque processus totus nullus*, inquit iuxta *cit. Clementinam Pastoralis* Farinacius *num.* 84. *Quæ proinde iure ordinario*, inquit Delrius *cit. q.* 37. *certa putauerim: & propterea vbi non est alia consuetudo, vel Principis ordinatio, sic esse iudicibus obseruandum, vt securius procedant.* Certe si reis concedendus est Aduocatus, vt ipse Delrius inferius asserit, non video, quomodo copia indiciorum reo denegari possit.

74 Hæc omnia ex Delrio paullo fusius referre placuit, non vt ea, quæ retuli velut improbabilia damnarem aut reijcerem; sed vt eo manifestius fieret, quam in hoc crimine hactenus late pateat concessa iudici arbitrandi licentia; quamque hæc ipsa arbitrandi libertas varias inter Doctores pariat de modo procedendi sententias.

Mihi vero hac de re plane persuasum est, optandum esse, & summis magistratibus, ad quos hæc pertinent, curandum, vt quoad fieri potest, ea quæ ad hunc processum adeo necessarium ac frequentatum pertinẽt, certis legibus definiantur, & quam paucissima iudicis arbitrio permittantur.

Rationes sunt I. Quia cum ad eiusmodi causas cognoscendas, non semper & vbique iudices doctissimi & sapientissimi constituantur, quales aliquando difficulter etiam haberi possunt; facile ea tam laxa arbitrandi licentia, & reis, quorum caussa tractatur, & ipsis Iudicibus periculum creatur; ne vel per imperitiam, vel immoderatam quandam vindicandi & puniendi cupiditatem, & iustitia lædatur, & graue innocentibus damnum inferatur. Cuius rei recentia habemus documenta; quando præteritis annis, in diuersis locis, duo latrunculatores, ob illegitimos; nimiisque seueros processus aduersus sagas, vnius Ingolstadiensis Iuridicæ facultatis iudicio ac sententia capitis damnati fuerunt.

II. Ex eiusmodi incircumscripta arbitrandi licentia, cum in caussis dubiis & obscuris pro diuersitate arbitrantium, tot soleant esse sententiæ, quot capita: necessario oritur diuersa admodum iudiciorum & processuum criminalium praxis; quę diuersitas & scandalum parere, & affectus animosque distrahere, & bonum Reipublicæ statum facile perturbare potest, nec adeo in Imperio ferenda videtur. 75

III. Ex eadem arbitrandi licentia, nonnulla quandoque, circa processum aduersus sagas, fieri & obseruari nonnullis locis solent, quæ iure moderationem exigere videantur. *Vt quod primo in hoc crimine reis denegantur Aduocati*: quod tametsi à quibusdam Doctoribus probetur; ipse tamen Delrius *cit. append.* 2. *q.* 38. improbat, cum ait: *Quamuis ea opinio prima facie aliquid probabilitatis habere:* 76

bere videatur; eam tamen reuera non esse securam, ad proinde omnino tenendum, etiā in exceptis criminibus non posse denegari
77 *reis Aduocatum. Quam sententiam*, inquit, *vnanimiter tenuerunt in suis Consilijs Doctores Ingolstadienses anni* 1590. *&* *rursus anni* 1601. *Friburgenses, Patauini, & Bononienses: & est recepta praxi. Inquisitorum in haeresi, cui nostrum crimē exaequatur, & communi Doctorum calculo approbata, speciatim Sprengeri part.* 3. *mallei Maleficarum, Clari* §. *haeresis num.* 17. *Emerici in directorio Inquisitorum tit. de defensionibus reorum, & ibi in commenti Pennae Repertorij Inquisitoris V. Aduocatus, Huberti in praxi iudic. eodem verbo. Simanchae Cathol Institut. tit.* 5. *num.* 12. *Bessij de medijs contra torturam num.* 78. *in fine Rolandi consil.* 12. *num.* 61. *lib.* 3 *& aliorum.*

Sed & Gregorius de Valentia *disp.* 6. *quaest.* 13. *punct.* 4. §. vlt. in hac itidem causa dandas defensiones reis, audiendosque aduocatos, sicut in caeteris causis: prudenter tamen simul admonens ex *malleo malef part.* 3. nomina testium contra reum testificantium, non esse edenda reis, & eorum aduocatis, quādo propter personarum potentiam imminere posset testibus aliquod periculum: quod si nullum sit periculum, ea esse edēda, sicut in alijs causis regulariter.

78 *Quibus accedit ratio.* Est enim iuris naturalis, vt nemini, etiā in iudicio, iusta sui negetur defensio; adeoque vt qui per se nequit, possit se per aliū defendere: at verò mulieres pro sagis denuntiatae plerunq; sunt rudes, illiteratae, simplices, timidae, necsciunt defendere: Ergo debent per alium defendi; alioqui illis indirectè tolleretur defensio, quae nulli tollenda. Idem etiam conforme est iuri communi, *lege. Si non defendantur. ff de poenis, & constitutioni Carolinae ar.* 14. vbi vetatur, ne ad carcerem aditus ijs praecludatur, quorum opera ad defensionem suam rei vti cupiunt: & expressius *art.* 47. vbi ratio simul additur, *quoniam alij ex simplicitate, alij ex terrore nequeunt suas defensiones proponere.*

Neque verò in ijs, quae sunt iuris naturalis, vllum est discrimē exceptorum, & non exceptorum criminū, 79 & quamuis in crimine laesae Maiestatis diuinae & humanae, itemq; in furibus insignibus & grassatoribus, seu latronibus viarum, quando notoriū est, reum esse haereticum, rebellē, seu conspiratorem in Principem, assasinum, aut insignem furem vel latronem &c. communi iure negetur Aduocatus, iuxta *cap. Finale de haereticis in* 6. *& legem: Quisquis* §. *Deniq; Cod. ad legē Iuliam & leg. Per omnes Cod. de defensione ciuitatum*; tamen antequam constet, reum esse talem, Aduocatus conceditur, vt ex communi sententia, & ipsa praxi docent Iulius Clarus §. *haeresis num.* 16. & Farinacius *qu.* 39. *nu.* 109. *&* 167.

Secundum est, quod nonnunquam ob solam denuntiationem complicum, personae denuntiatae non solum capiuntur, sed etiam statim ac captae sunt, in continenti ad torturam rapiuntur, nullo cogitandi ac deliberādi spatio dato. Quod iuri naturali non 80

satis consonum videtur, exigenti, vt cuique integra sit sui defensio. Quomodo autem in illa summa animi cõsternatione & terrore, qui ex tam repentina & misera pristini, eiusque honorati, aut certè honesti status deiectione necessario cõcipitur, vbi etiam cordati cuiusque animus & mens vix satis sibi constat, integra constet sui defendendi facultas? Ex quo vlterius sequitur, vt non solum pronum sit, etiam innocentem ex ea animi perturbatione, tantaque tormentorum vi ad falsam criminis confessionem induci, sed vt is etiam præiudicio hoc semel posito, difficillimam sibi reddat deinceps sui defendendi facultatem. Mitius est, quod cum nonnullis suadet Valentina *disput.6.quæst.13.punct.4.§.4.* vt statim ac capti sunt, examinentur, (sine tortura) etiam prius quàm ad carcerem ducantur: quod ipsum tamen non satis expeditum videtur.

81 *Tertium est, quod in torturis adhibendis aliquando, vt apparet, nec debita mensura, neque semper modus is obseruatur, qui vel æquitati ac moderationi Christianæ, vel naturali modestiæ & verecundiæ satis consentaneus est,* &c. Id quod ex eo ortum habet; quod & mensura, & forma, ac modus torturæ adeò illimitate in arbitrium iudicis reijcitur. Quæ si Principes & Rerumpublicarum Rectores sapienti, quo pollent iudicio, expenderent, facilè opinor sibi persuaderent, illimitatam illam iudicum arbitrandi licentiam certis limitibus ac definitis quibusdam regulis esse circumscribendam.

In quem sensum denique etiam concludit ipsemet Delrius *lib.5. disquis. append.2. quæstion.41. Consideratis,* inquit, *cunctis quæ & in lib.5. Disquis. & in responsione hac quadragenaria scripsi, statuo, Principem optime de Republica meriturum, & iustitiæ præclare consulturum, si in suo territorio præcisè faceret statutum, quo primum caueret, ad quot denuntiationes tortura in hoc crimine posset adhiberi; & licet duæ de iure sufficiant, tamen tres ad minimum requirendas, sine vlla distinctione virorum & fœminarum.* In quem sensum ferè loquitur etiam Valentia *disputat.6 q.13 punct.4.§.3.* post Binsfeldium *part.2.* 82

2. *Quòd non attendatur ad contritionem; nisi fortè aliqua sit notoriè incontrita, eo quod nolit confiteri, aut Eucharistiam sumere.*

3. *Quod non requirantur aliæ circumstantiæ, nisi quod saga carcerata, seorsim tamen posita & examinata, atque interrogata in genere viderint N. & N. in tali congregatione nocturna sagarum: nullis admissis defensionibus, nisi quæ fundamentum habeant in iure naturali fundatum. Ratio, quia in criminibus exceptis, iudici quoad processum remissæ sunt solemnitates iuris ciuilis.*

4. *Cum de persona semel denuntiata possent alij socij interrogari in specie; eiusmodi autem interrogationes speciales admodum sint periculosæ, quod duæ denuntiationes debeant præcedere, vt in specie de persona denuntiata possit interrogari. Quæ eo ma-*

eo magis placeret expressè statui, vt iudicis arbitrio quàm paucissima committantur. Ita Delrius.

83 Cuius vti generalem hanc existimationem, curandum videlicet esse, *vt in hac re iudicis arbitrio quā paucissima committantur,* valdè probo, ob dictas superius causas; ita particularia illa puncta ab eodem relata, speciatim verò primum & secundum, tanquam minus probabile, *quæstion. præcedenti* non leuibus argumentis improbauimus. Suaderem ego potius, vt ex solis denuntiationibus sagarum, præsertim necdum pœnitentium, nulla persona bonæ & integræ famæ torqueatur, vel etiam capiatur, vt *ibidem* fusius deduxi. Sed & cætera quædam à Delrio arbitrata, quæ *superius* retulimus, non omninò firma esse, partim antea monuimus *hac ipsa quæstione,* & satis constat ex multorum aduersantium Doctorū auctoritate; partim magis patebit ex sequentibus, vbi ex ijs quædam vlterius speciatim expendentur.

QVÆSTIO IV.

Quid animarum Curatoribus in hoc processu, aduersus sagas præsertim circa Sacramentorum & sepulturæ administrationem faciendum.

Ad S. Thomam 2.2.q.67 a.3.

84 EST hoc tertium quæsitum generale, circa processum in causa sagarum, spectans ad officium Cōfessarij; quod rursum plures sub se quæstiunculas continet. Primo enim quæritur, *an fieri possit, vt aliquando priuatim innocentia personæ iam confessæ & damnatæ Confessario innotescat: & an tunc iudicem monere debeat, quantique eius monitio facienda.* Supponimus autem, vti in alijs criminibus, ita etiam in hoc crimine, non expedire, vt Confessarius ante cōdemnationem, reorum confessiones excipiat, vt monet etiam Delrius *lib.6. disquis. cap.1. sect.3.* Vix enim illi ante condemnationem verum fatentur; siue quia sibi timent à delatione: vel quia sperāt, se opera & fauore Confessarij adiutos, condemnationem & mortem euasuros.

Hoc posito, ad propositam quæstiunculam *respondetur* sequentibus assertionibus. 85

ASSERTIO I. Fieri, Deo permittente, absolutè potest, vt siue legitimus sit processus, siue illegitimus, nonnunquam etiam innocentes damnentur. Hæc assertio à nemine, quod sciam, apertè negatur; & patet ex dictis *quæ.1. princip.4* Et quidem si illegitimus sit processus, sæpè etiam fieri posse, vt innocentes damnentur, nemo negauerit: cum talis processus sua natura cū periculo innocentum sit coniunctus: nec vlla certa ratio vel principium sit, ob quod negetur: Deū æquè in hoc, ac in alijs criminibus, ob iniquitatē iudicum, eorumque illegitimum procedendi modum, nonnūquam permittere, vt etiam innocentes damnētur, vt patet ex iudicijs tot Martyrū, qui olim ob inquitatem iudicum iniu-

iniustè damnati fuerunt, & alijs ibidem dictis.

86 Hinc verò sumitur argumentum, fieri posse, vt etiam in legitimo processu, aliquando, etsi rarius, cōdemnentur innocentes. Vt si quis legitimum vocet processum, quo ob solas denuntiationes sagarum condemnentur personæ denuntiatæ. Cur enim si Deus nonnunquam permittit, vt iudices aliquando illegitimos processus instituant, atque ita facilè condemnent innocentes, non etiam possit permittere, vt innocentes denuntientur; quasi verò plus obsistere teneatur diuina prouidentia, ne sagarum denuntiantium mendacijs, quàm iniquitate iudicis innocentes pereant. Quod si in legitimo processu rarius innocentes damnantur, quod libens fateor, id non accidit, quod Deus extraordinaria prouidētia innocentum interitum impedire soleat, aut teneatur; sed quia ipse processus, hoc ipso, quod legitimus est, per se ac sua natura cum periculo innocentum non ita moraliter coniunctus est; quandoquidem si morale periculum innocentum cōtineat, iam hoc ipso legitimus nō est censendus, vt *eadem quæstio.1.princip.3.* docuimus.

87 Ex quibus colligitur, parum firma esse quorumdam pronuntiata, quibus illi persuasum esse volunt, nullum in hac re morale periculum innocentum extimescēdum esse. Vt cum aiunt, *vix vnquam permissum innocentes nominari: quod si nominati, mox illorum innocentiam, Deo sic disponente, palàm fieri*, iuxta doctrinam Binsfeldij *de confeßionibus maleficarum sub fin.* & Delrium *lib.1.disquis.q.12.§.5* Item *etsi Deus patiatur, interdum innocentes infamari, non tamen patitur damnari*, vt ait idem Delrius *lib.5.sect.16.§ 7.* cum tamen ipsummet Delrium *eadem quæst.1.* non immeritò timentem retulerimus, ne quandoq; in hoc processu, innocentes cum nocentibus pereāt, si processus eiusmodi minus cautè & circumspectè instituatur.

Certè inter alias, hæc non leuis est querela sapientis *Eccles.cap. 4. v.1. Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum* (calumniatorum) *violentiæ cunctorum auxilio destitutos. Et laudaui magis mortuos, quam viuentes: & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.*

ASSERTIO II. Sed & fieri nonnūquam potest, vt Confessarius moraliter certus reddatur, personam denuntiatam & damnatam esse innocentem. Hanc assertionem contra nonnullos contrarium asserentes, cū pluribus viris grauibus & prudentibus, adde etiam pijs & doctis, quibuscum in hac materia sæpius contuli, mihi persuadeo, ob causas sequentes. 88

Nam I. Etsi quidem ex sola, eaque constante negatione personæ damnatæ, id sufficienter constare non possit; potest tamen id moraliter cōstare, si ad negationem eiusdem personæ

ſonæ accedant negationes & reuocationes conſtantes aliarum, præſertim plurium, quarum indicio perſona illa denuntiata fuit, quæque iam ſecundum omnes circunſtantias verè pœnitentes mori ac mortis pœnam ſuſtinere decreuerint; ſiue dicant, ſe vi tormētorum coactas, ſiue etiam propria malitia, aut ex pacto ſeu conuentione, eiuſmodi perſonam innocentē denuntiaſſe. Si enim in foro externo plurium ſagarum, quamuis impœnitentium, denūtiationibus creditur, ad inculpandum, quare non in foro interno pœnitentiæ, iam pœnitentibus ac mortē ſubituris, fides habeatur ad exculpandū? cum præſertim ea ſit conditio huiuſmodi perſonarum, vt ante pœnitentiam nocere velle innocentibus meritò præſumantur, non autem poſt pœnitentiam occultare velle nocentes, quos ſub peccatum mortali prodere tenentur.

90 II. Tanta aliquando, tamque cōſtās, & ſeria apparere poteſt alicuius perſonæ condemnatæ pœnitentia, & ad Deum conuerſio, dum libenter ſe pro ſuis cæteris peccatis, ad mortem paratam offert, nec ab ea vllatenus liberari expetit; dum continuis lachrymis & lamētis ſua peccata deflet, & vltroneis ſupplicijs ſpōtè caſtigat; dum diuinę prouidentiæ, ipſique iudicum diſpoſitioni demiſſe ſe ſubijcit, ac in hac diſpoſitione animi diu & conſtanter perſeuerat; vt meritò & prudenter Confeſſarius ſibi perſuadeat, eam retractionem de immunitate à peccato veneficij, veram prorſus ac fide dignam eſſe: non ſolum quia Confeſſarius vniuerſim pœnitentis dictis credere debet, ſed etiam quia difficile eſt, ſub tali diſpoſitione hypocriſin latere, & non aliquo ſigno ſe prodere.

III. Ex ipſa iuidem cōfeſſione perſonæ denuntiantis fieri poteſt, vt Confeſſario certò conſtet, ex priuato ac particulari odio, quod iā olim aduerſus perſonam denūtiatam habuerit, denuntiationem eiuſmodi profectam fuiſſe, & indicia quæ denuntiationi adminicularentur confinxiſſe ac ſuppoſuiſſe, v.g. ollam vnguentariam in eius cubiculum aut domū intuliſſe, teſtes ſeu accuſatores falſos ſubornaſſe, etſi iā fortaſſe mortuos, falſam famā ſparſiſſe &c. Quid ni tunc exiſtimet Cōfeſſarius, proceſſum, qui talibus indicijs nitebatur, aduerſus innocentem ſuſceptum re ipſa fuiſſe fruſtratorium & à veritate facta aberrantem? 91

IV. Etſi quorundam ſit ſententia, innocentiam à perſona condemnata probari non poſſe, docendo *ſuum alibi*, vt loquuntur, hoc eſt ſe illo tēpore & die, quo denuntiatur fuiſſe in conuentu ſagarum, alio loco, puta domi ſuæ fuiſſe, & hoc multis teſtibus fide digniſſimis probari poſſe, vt ſpeciatim etiam docet Binsfeldius *memb.* 1. & Delrius cit. qu. præced. eo quod in hoc crimine neceſſaria non ſit loci & diei deſignatio; quodq; licet neceſſaria foret, cōſtet maleficas non ſemper in perſona 92

propria conuentibus illis adesse; sed cum adesse non possunt, personā illam à dęmone proprio repræsentari; quod de Doctore Flaet, alijsq; Treuirensibus satis cōstat ex actis iudicialibus: negari tamen non potest, probabilem etiam esse eam sententiam Doctorū, qui asserunt, eiusmodi denuntiationes singulares & indefinitas, etiam in criminibus exceptis, parum momenti habere ad torquendum & condemnandum denūtiatum. Ita enim cum multis alijs sentiunt Clarus §. *finali quæstion*. 35. & Pegna apud Delrium *lib*. 5. *append*. 2. *quæst*. 10.

93 Quo posito, si Confessario alicuius fide digni testimonio constet, personam denuntiatam prędicto tē. pore & die, non in conuentu sagarū, sed alio loco, puta domi suæ fuisse, nihil obstabit, alijs pœnitentiæ ac sinceritatis indicijs adminiculantibus, eum moraliter certum reddi, reuocationem esse veram ac sinceram: quando esto diabolus nōnunquam per se ipsum aliarum sagarum personas repræsentet, nihil est tamen, quod conuincat, eum non posse etiā subinde, Deo extraordinariè permittente, alicuius innocentis personam repræsentare, vt dictum *quæst*. 1. idque re ipsa aliquando accidisse, fide digna relatione constat.

94 *Nec obstat*, quod nō obstātibus omnibus his indicijs, reuocationi absolutè falsum subesse possit, vt patet exēplo illius Hispanæ mulieris Magdalenę Crucię, quæ grauibus, pijs ac doctis etiam viris fucum fecit: siquidem hoc ferè commune est cuiuis certitudini morali & humanæ, vt ei absolutè falsum subesse possit: sicut etiam subesse potest iudiciali notitię criminis; quantumuis moraliter certæ. Satis est, notitiam priuatam innocentiæ tam certam aut etiam certiorem esse posse, quàm sit ea notitia, quæ ex criminali processu comparatur.

ASSERTIO III. Posita eiusmodi notitia moraliter certa, ad Confessarium pertinet, iudicem prudenter informare; qui etsi non continuo fidem extraiudiciali eiusmodi depositioni contra notitiam legitimo processu iudiciali partam adhibere teneatur, debet is tamen diligenter tā processum iudicij, quàm præsentia innocentis indicia ad mentem reuocare & expendere, an forsan ex his in processu iudiciali aliquis error cōmissus deprehēdi possit; vt illud demum statuat, quod æquitati naturali magis consentaneum videtur. 95

Hæc assertio est ex mente omnium illorum, qui per extraiudicialem reuocationem criminis, post sententiam mortis reo denuntiatam, puta factā tēpore confessionis, vel Eucharistię, docent elidi præcedentem alterius nominationem, vt inferius dicetur. *Ratio est*; quia tametsi notitia illa innocentiæ extraiudicialis ac priuata sit, valere tamen eò potest, vt ex ijs iudicialis processus examinetur, ac si fieri potest, error commissus publica etiam ac iudiciali notitia innotescat; 96

tescat; ita quidem vt nonnunquam etiam executio sententia tantisper differatur, dum causa ipsa denuo accuratius examinetur.

Sicut etiam cum iudex priuata scientia aliquem nouit esse innocétem, qui iudiciali processu nocens probatus est, etsi non teneatur idcircò innocentem absoluere, tenetur tamen inquirere & operam dare, vt error commissus deprehendatur, et si fieri potest, nouo processu instituto innocentia denuntiati publicè ac legitimè contestata fiat, vt omnes fatentur, & suo loco dictum *quæstio* 4. *dub.* 2. *disput.* 4. *de Iustit. in* 2. 2. *S Thom.*

97 Et quamuis Delrius *q.* 18. asserat, graues iudices hac in re non solere, aut debere stare dictis Confessariorum; scio tamen, in hoc crimine, nonnullis locis differri solitam executionem, quoties reus post damnationem crimen impositum retractauit, idque eo magis fieri tunc conuenit, quando ipsius Confessarij iudicium, prudensque innocentiæ credulitas accedit.

Nec obstat, quòd in Constitutione Carolina *a* 91. statui videatur, si reus in via ad supplicium, vel in ipso supplicio reuocet confessionem suam de se, eum reuocatione contempta, omninò adhuc puniendum, vt cum Mascardo *de probat. volum.* 1. *concl.* 353. *num.* 13. & Binfeldio *in leg.* 7 *cod. de maleficis & Mathematicis q. vlt.* refert Delrius *cit. q.* 18.

98 Nam reuera citatus articulus Carolinæ constitutionis non bene allegatur, nec id decernit, sed potius contrarium in hunc modum. *Quod si accusatus ipso die iudicij delictum negauerit, quod antea legitimè constanter fuerat confessus, ac iudex ex ea cõfessione per explorationem omnium circumstantiarum deprehẽderit, eam retractationem à reo solum ad impediendum legitimum iuris processum fuisse susceptam, sicut iam antea art.* 56. *alijsque* nonnullis *subsequentibus, vsque ad articul* 62. *de constanti cognitione seu confessione dictum est: tunc iudex duos illos constitutos assessores, qui vna cum ipso libellum confessionis prælegi audiuerunt, sub iuramento interroget, vtrum prælectam confessionem audiuerint: & si affirmauerint, idem iudex omnino consultationem ac deliberationem instituat apud Iurisperitos, seu alijs locis ac modis, vt inferius significatur. Et quoniam duo assessores illi in hoc casu non vt testes sed vt Coniudices agunt, idcirco à iudicio & sententia ferenda excludendi non erunt.*

Ex quibus colligitur, iuxta Carolinam Constitutionem, eiusmodi retractationem à iudice non planè negligendam & contemnendã, sed potius expendendã esse, habita etiã, vbi opus erit, cum viris doctis & peritis deliberatione, quid in eo casu facto opus sit; idq; etiam si retractatio solum ad impediẽdum legitimũ iudicij processum facta fuerit: quanto magis, si ex indicijs constet, eam non temere & malitiose, sed bona fide ac ex debito fuisse factam, vti in nostro casu accidit. 99

Quæritur secundò, *an saltem in extremo vita Confessarius innocentem* 100

dicere debeat, ad reuocationem criminis, sibi, aut alijs falso impositi. Supponitur, non peccare mortaliter eum, qui ante mortis sententiam, vt effugiat grauem torturam denuò inferendam, falsum crimen semel sibi impositum non reuocat, metu tormentorum, vt ex communi docent Angelus V. *Detractio n.6* Syluester *eodem quæst.*3. Sotus de iust. *lib.*5. *quæst.*1. *ar.*6. & Lessius *de iust. c* 11. *n.*41. & sequentibus, qui *n.*48. addit, non teneri reuocare, quãuis antea periurio illud confirmasset, si prudenter metuit, se rursum ad tormenta raptum iri (vti ordinarie fieri solet) ac posse sine peccato mortifero, in eo persistere & mori, vt etiam dictum *qu.*4. *dub.*5. *nu.* 99. *disp.*4. *de Iustia. ad* 2.2. *S. Thom.*

101 Assertio I. Is qui falsum crimen sibi imposuit, iuxta consuetam locis quibusdam forensium iudiciorum praxin, non tenetur sub peccato mortali nec in extremo quidem vitæ, cum iam est occidendus, crimen confessum reuocare, suamque innocentiam contestari: quare ad hoc nec à Confessario quidem adigendus est. Ita docet Lessius loc. cit. *nu.* 49. itemque Petrus Nauarrus *lib.*2. *de restit. c.*4. *num* 134. & alij, qui alioqui putant, seipsum falso infamante de peccato, pro quo afficiendus est morte, peccare mortaliter. *Ratio est*, quia hæc reuocatio, iuxta quorundam iudiciorũ praxin, (in qua nulla propè eius reuocationis haberi solet ratio) ad exculpandum reuocantem nihil, vel parum prodest; aut si vel maximè profutura sit, certò periculo exponit reuocantem, ne ad bancũ iuris reductus denuò examinetur, & torqueatur. Sicut ergo metus grauis torturę liber ab obligatione reuocãdi crimẽ ante damnationem, ita hoc casu etiam post damnationem.

102 Assertio II. Quod si tamen ex retractatione criminis, in articulo mortis facta, spes certa sit, seu famæ recuperandæ, seu mortis euadendæ, citra metum nouæ & grauis torturę, tunc reus tenetur falsam de se confessionem in extremo retractare. Ita docent Nauarrus *Manual c.*18. *nu.*28. Petrus Nauarrus *lib.*2. *de restitut. cap.*4. & Valerius *lib.* 14. *praxis fori pœnitent. num.*90. & alij, qui etiam eidem tamen addunt, si nihil se hac retractatione profecturum speret, tunc posse tacere. *Ratio est*, quia quiuis tenetur sub mortali, quoad commodè potest, tum vitam, tum famam suam integram tueri. Neque verò retractationem eiusmodi nullius prorsus momenti habendam, accedente præsertim Confessarij testimonio & iudicio, iam supra monuimus *à num.*94.

103 Assertio III. Si damnatus (seu nocens sit seu innocens) alium quendam innocentem denuntiarit, tenetur sub peccato mortali non solum ante condemnationem, sed si tunc nõ fecit, etiam post damnationis sententiam, falsam eiusmodi denuntiationem reuocare: ad quod etiam à Confessario compellẽdus est. Ita ex communi Toletus *l.*5. *c.* 66. *n.*7.

vbi ait: *Qui imponit alteri crimen falsum, peccat mortaliter contra iustitiam &c. ob id obligandus est à Confessario, verum aperire, licet pateretur mille torturas.* Idem habet Lessius *de iustit. cap. 11. dub. 15. in fine*, vbi ait: *Si ex infamia falsa periculum vitæ vni vel pluribus impendet, teneris etiã cum vitæ periculo reparare ex communi Doctorum; quia tunc obligaris non ratione solius infamiæ, sed ratione damni.* Neq; huiusmodi retractationem pro nihilo habendam à prudenti iudice, iam antea *num* 79. in simili, & hic *quæstione præcedenti* notauimus.

104. Si quis tamen sequatur, ipsaque praxi seruari aduertat eam sententiam, quæ negat, per huiusmodi reuocationem in extremo vitæ factam tolli aut infirmari factam antea denuntiationem, is consequenter existimare poterit, denuntiantem, in eo mortis articulo, (saltem cum aliquo suo incommodo, & sub peccato mortali) obligatum non esse, ad reuocationem, quia inutilis esset. Eam vero sententiam, præter Delrium *lib. 5. sect. 5 num. 5. & append. 2. q. 18.* (vbi etiam citat Consilium facultatis Ingolstadiensis Theologicæ ac Iuridicæ anno 1590. scriptum) indicat etiã Gregorius de Valentia *disp. 6. qu. 13. punct. 4. §. 5.* vbi tamen potius de reuocatione propriæ confessionis, quam alienæ denuntiationis loquitur, cum ait: *Tertium est, post sententiam condemnatoriam rite latam, nullus amplius inficiationi aut tergiuersationi reorum detur locus, etsi pie admodum ac bene animo esse dispositi videantur, cum priora retractant. Prioribus enim confessionibus & denunciationibus solenniter atque ex iuris ordine factis standũ est; tum vt firmitatẽ suã obtineat processus iuridicus; tum vt esse possit finis huiusmodi actionum; tum ob alias rationes, quibus hoc ipsum ex sententia Doctorum probat Binsfeldius circa* conclus. 5. *part. 2.* Sed contraria sententia, nimirum absolutè reuocandã esse falsam denuntiationem innocentis, vt vidimus, est communis, veriorque & tutior, & oppositæ sententiæ fundamentum minus est probabile, *vt has & præcedenti quæstione* dictum, præsertim, quia esto talis denunciatio non penitus tollat priorem denuntiationem; fieri tamen non potest, quin eam aliquo modo infirmet, vt cautius contra denuntiatum procedatur.

Assertio IV. Cauendum tamen Confessario, ne vel importunè 105
sæpius ipsi reo inculcet, si quem iniquè denunciauit, vt retractet; neue retractationem à damnato sponte factam imprudenter & cum scandalo euulget. *Primum* monet Binsfeldius *de confess. malefic. cit. memb. 2. post 5 conclusionem. Ratio est*; quia importuna eiusmodi inculcatio, in animo iam antea satis perturbato, præter superuacaneam anxietatem, facile etiam mouere potest scrupulum & suspicionem falsæ depositionis, etiamsi is reuera nullius sibi conscius sit.

Huc spectat etiam, quod constitutio Carolina *a.* 103. Confessarios reorum admonet, *ne reos inducant, vt*

quod de seipsis, aut alijs vere confessi fuerunt, denuo reuocent; quia nulli conuenit, reorum malitiam, contra bonum commune, & cum damno proborum, falsitate ac mendacijs tegere, & ad mala propaganda opem conferre, &c.

Posterius monet Delrius *lib. 5. disqu. append. 2. q. 18.* vbi ait: *Nec circumspecti Confessarij solent in vulgus tales exculpationes spargere, gnari scandalum certum, fructum vero incertum fore.* Itaque præstabit ac sufficiet plerunque, reuocationem iudici, alijsue, qui iudicio præsunt, intimare, vt hac ratione, tũ innocentibus denuntiatis consulatur, tum processus ipse deinceps cautius, & quoad fieri potest minori innocentum periculo instituatur.

106 Quæritur tertio. *vtrum sagis, nec confessis, nec plene adhuc conuictis, sed grauissime suspectis, morituris in carcere Eucharistia, mortuis sepultura negari possit; vel vlterius contra eos procedi.*

Assertio I. Si quando suspicio eiusmodi est violenta, quæ non facile deponi possit, eo quod indicia sint grauia, & in contrarium nihil sit, quod suspicionem purget aut eleuet, tum potest quidem tali personæ extra mortis articulum, negari Eucharistia atque etiam publice, si suspicio sit publica: secus si suspicio vel indicia criminis per torturas, seu alios modos sufficienter ac legitimè sint purgata. *Priorem partem* ex communi Theologorum sententia post S. Thomam, Richardum, Alensem, Gabrielem, Antoninum tradit Suarez *3. part. tom. 3. disp. 67. sect. 6.* *Ratio est*, quia cum ex vna parte susceptio eius Sacramenti non sit adeo necessaria extra articulum mortis; ex altera parte, talis suspicio admodum vrgeat, grauemque timorem ac propemodum opinionem violandi Sacramenti ingerat, recte existimatur, ob irreuerentiam Sacramenti vitandam, abstinendum à communicatione Sacramenti. Id quod ita etiam in praxi obseruari videmus; quia ante inquisitionem & torturas superatas, quibus criminis suspicionem purgari superius diximus, non solent eiusmodi personæ communicari.

Posterior pars est itidem ex mente communi Doctorum: qui docent, torturis superatis, sufficienter purgari impositi criminis suspicionem, id quod maxime verum est, vbi non sunt alia indicia criminis, præter denuntiationes complicum. *Ratio est*, quia tunc cessat violenta & iusta criminis suspicio, vtpote iam tormentis legitimè purgata. De qua re plura *hic qu. 1. princip. 5.* 107

Assertio II. Sed & durante violenta suspicione, in mortis tamen articulo, non est deneganda captis debitam pœnitentiam alioqui præseferentibus, Eucharistia, etiamsi crimen negent. Ita Suarez *loc. cit.* & Gregorius Tholosanus *Syntagmate Iuris Canon. lib. 1. tit. 9. cap. 8.* *Ratio est*; quia in foro spirituali conscientiæ, vbi agitur de salute animæ, illæ circumstantiæ mortis propinquæ, & instantis tribunalis vltimi videntur 108

maximi

maximi ponderis, ad deponendam suspicionem, saltem in ordine ad Sacramentum administrandum; quod in articulo mortis nemini fidelium, nisi aperte impœnitenti, denegandum est; iuxta *Capit. super eo de hæreticis in 6.* & Glossa *in Clem. 1. de pœnit. & remiss.* communiter à doctoribus receptam. Vnde etiam per motum proprium Pij V. Anno 1569. in Hispania abrogata est consuetudo, non dandi communionem dãnatis ad mortem, vt testatur Suarez *disp. 69. sect. 3.* quam consuetudinem olim etiam in Gallia fuisse tradunt Nauarrus *cap. 25. Manual num. 27.* & Iulius Clarus *q. 99. num. 3.* Nec ab hac doctrina dissentit Valentia *disp. 6. qu. 13. pun. 4. §. 5.* vbi præscribit, vt rei post sacramentalem confessionem muniantur quoque sacra Eucharistia, pridie ante, vel quatuor saltem horis ante supplicium, si forte ob aliquam causam prius fieri non possit, &c.

109 Assertio III. Ob solam causam violentæ suspicionis, nemo potest Ecclesiastica sepultura priuari, si pœniteat. Est itidem communis Doctorum. *Ratio* sumitur tum ex dictis; si enim Eucharistia non est neganda, multo minus sepultura, in qua minus est sacrilegij periculum; tum quia nullo iure talibus sepultura negatur, de quo Syluester *V. sepultura q. 9.* Gregorius Tholosanus *Syntag. Iuris lib. 1. tit. 15. cap. 7.* Henricus C[illegible] *in summa l. 3 tit. 12.* tum quia etiam ij, quibus alioqui interdicitur sepultura, si tamen pœnitentes absoluantur, à Parocho suo sepeliendi sunt, iuxta *Capit. Finale de sepulturis.*

Qua de causa etiam Delrius *lib. 5. disquis. sect. 19.* iudicem secus facientem peccati mortalis damnat, cum de eiusmodi maleficis in carcere mortuis, ante damnationem, ait: *Si vero non vi sibi illata, sed ægritudine, vel debilitate, aut incommoditatibus carceris morerentur ante sententiam; in his ego prorsus sequerer communem illam sententiam; adeo vt si in talem non legitime confessum aut conuictum iudex sæuiens, cum non patiatur Ecclesiastica tradi sepulturæ, peccet mortaliter, & actione iniuriarum conueniri à propinquis defuncti possit, iuxta capit. Placuit, & capit. ex parte, de sepulturis. Neque hac in re,* inquit, *praxin contrariam proferunt Doctores, sed omnes volunt vnanimiter, quoad hoc iura seruari.* 110

Assertio IV. Licitum tamen est iudici, protestationem interponere, & litem cœptam contra mortuum prosequi: seu agendo in locis, vbi bona confiscantur, ad bonorum confiscationem, aut saltem ad memoriæ damnationem, & vt corpus sepultum post condemnationem possit exhumari, & ossa comburi. Ita ex communi Delrius *lib. 5. sect. 19.* post Gomezium *tom. 3 casu 1. num 80.* Clarum *q. 51. n. 14* & Simanch. *in praxi tit. 62 & 56.* *Poterit tamen*, inquit Delrius, *Iudex sinere corpus sepeliri, cum protestatione, & litem cœptam contra mortuum prosequi, citatis ad defensionem ijs, quorum interest, vt in his casibus communiter seruatur.* 111

Nimi-

Nimirum, quia huius, (vt & hæresis) excepti criminis natura est, vt morte non finiatur, sed contra mortuum procedi in eo possit.

Sed quot annorum spatio currit ius contra mortuum agendi? *Putarem*, inquit Delrius, *in hoc crimine, quoad bonorum confiscationem, non posse agi post annum quadragesimum; ad memoriam tamen damnandam adhuc agi posse, iuxta ius canonicum, docent etiam Brunus de hæresibus lib. 5. cap 17 & Simancha tit. 62. num. 7 ex capit. vlt. de præscriptionibus, in 6. Sed ius ciuile videtur quinquennij tantũ spatium exigere, iuxta legem 2. Cod. de Apost. & glossam in legem Manichæi cod. de hæreticis; cui in foro ciuili standum, vt ex communi tradunt etiam Gomez num. 81. & Clarus §. fin. q. 51. num. 24.* & colligitur ex dictis *ad 2. 2. S. Thom. disput. 4. de iustitia quæst. 1. dub. 6 n 99.*

QVÆSTIO V.

Qua ratione, quibusue medijs Veneficia auertenda, aut extirpanda sint.

Ad S. Thomam 2. 2 *q. 67. a. 3.*

112 NOn contentus esse Theologus debet criminis veneficij malitiã ac peruitiem intelligere, & ob oculos ponere; sed necesse est etiam, modum ac rationem ostendere, qua aduersus illud pugnandum sit. Vbi quidem duplex quæstio explicanda occurrit; *Prima, qua ratione veneficia seu maleficia auertenda sint, ne cui noceant; Altera, qua ratione hoc crimen, quod diaboli tyrannide & hominum malitia adeo inualuit, è communitate extirpandum sit.*

Quod ad prius quæsitum attinet, 113 reuocandum est in mentem, quod tom. 1. *disp. 5. de Angelis q. 6. dub. 7.* docuimus, diabolum per se quidem immediatè ac directè non posse vlli damnum corporale inferre, nisi speciali Dei permissione interueniente; sed nec per sagas etiam, nisi Deo ob bonum finem permittente. Quare cum omnis hæc res à diuina prouidentia pendeat, optimum medium ad auertenda & euadenda maleficiorum damna, est spes & singularis fiducia in Deo, tum quotidianis precibus, tum vitæ honestate conscientiæque puritate comparata, iuxta illud *Psalm 90 v. 1. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli cõmorabitur*; & illud Apostoli *Rõ. 8. v. 31. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quod si nihilominus Deus aliquando etiam bonis, & in ipso confidentibus, mali quidpiam à maleficis obuenire permittit, id dubitandum nõ est, ad maius eorum bonum, siue in hac, siue in altera vita cessurum; vt cum S. Iob accidit, qui post diaboli afflictionem, longe maiori postea, quam vnquam antea felicitate & prosperitate recreatus fuit.

Atque cum hac præsertim moderatione accipio illud, quod scripsit Aureolus *in 4. dist. 34. q. vn. a. 2. Difficile quidem esse loqui de diuina potestate; sed de congruentia videri dicendum, quod cum diuina iustitia semper admisceatur misericordia, etiam vltra condignum, ex parte hominis; non puto,* inquit, *quod hominem* vni-

existentem in gratia Deus permittat, de communi lege, deduci virtute maleficij vsque ad mortem; sed loquendo de homine existente, vel qui præfuit in culpa, quæ mereatur mortem; ac per hoc fiat excæcatio tam agentis, quam patientis, quam etiam circumstantium, non video, cur sit irrationale. Ita Aureolus.

114 Præter hoc generale medium, sunt hæc specialia. *I. Confessio peccatorum & expiatio conscientiæ.* Sicut enim peccata mortalia singularem Dei protectionem auferunt, ita eorundem expiatio per pœnitentiam eandem restituit: & ex historijs notum est, nonnunquam domorum infestationes diabolicas per sacram confessionem totius familiæ fuisse sublatas.

115 *II. Missæ celebratio in locis*, quæ nocturnis spectris infestantur; cuius rei luculentum exemplum, præter alia recentiora, extat apud Augustinum *libro vigesimo secundo de ciuit. capit. 8.*

116 *III. Exorcismi Ecclesiæ*, qui vim habent, tum ex Christi institutione, qua Deus hanc potestatem Apostolis, alijsque Ecclesiæ ministris consignauit; tum ex persona Ecclesiæ, cuius nomine recitantur; tum inprimis ex Christi nomine, morte, ac meritis, quæ in eiusmodi exorcismis aduersus diabolicas infestationes veluti antidoti loco obijciuntur.

IV. Imago Sanct. Crucis, domo-
117 rum, cubiculorum, vel thalamorum ianuis inscripta. Quem vetustum fidelium vsum testantur Cyrillus *libro 6. in Iulianum*, Ruffinus *lib. 2. hist. cap. 29.* & Ephrem. *serm. in S. Crucem*, vbi ait: *Coronemus portarum frontes vt Christiani; & non vt gentiles atque pagani lauris, aut frondibus, alijsque herbarum generibus. Error Idolorum destructus est: mors spoliata est: inferorum captiuitas reuocata est: imperium errans multorum Deorum confractum est: homo liberatus est: Dominus regnauit à ligno: creaturæ lætatur: Crux dominatur: quam omnes adorant Gentes & populi, tribus & linguæ. Crucem depingamus & insculpamus in ianuis nostris.* Vnde est illud Ecclesiæ: *Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ; vicit leo de tribu Iuda.*

V. Signum S. Crucis, eiusque frequens vsus, Hoc scuto aduersus diabolum, 118 eiusque infestationes, vsi sunt Sancti, Antonius teste Hieronymo in vita S. Pauli, Hilarion eodem teste in vita S. Hilarionis, Martinus teste Sulpitio & Paulino *lib. 3.* in eius vita. Optime Antonius apud Athanasium in vita eiusdem: *Cum videritis* (dæmones noctu venientes) *tam vos, quam domos vestras Crucis armate signaculo; & confestim soluuntur in nihilum, quia metuunt illud tropheum, in quo Saluator aereas expolians potestates, eas fecit ostentui.*

Bene tamen Chrysostomus *homil. 55. in Matthæum: Crucem,* inquit, *non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente prius formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit.* Plura Iacobus Gretserus *lib. 4. de Cruce cap. 36. & seqq.*

119 *VI. Nomen Iesu, B. Virginis, Angeli Custodis, aliorumque Sanctorum pie inuocatum.* De qua re Chrysostomus *homil. 4. de laudibus S. Pauli; Si Iesum inuocaueris Nazarenum, velut ab igne dæmon repente diffugiet.* Et Antonius apud Athanasium in eius vita: *Crucifixum nominamus; & vniuersi dæmones ad primum dominicæ Crucis signum fugantur.* Et Arnobius 1. *cont. Gent: Iesu nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, vt dicitis nominis, sed maioris licentiæ potestatis.*

120 *VII. Vsus rerum sacrarum, & precibus Ecclesiæ ad hunc vsum consecratarum*, vt sunt Agni cerei, aqua benedicta, itemque cerei, panes, palmarum, aliarumque arborum rami benedicti &c. Habent enim hæc vim ex precatione S. Matris Ecclesiæ Sponsæ Christi; de quibus varia extant exempla. De qua re bene etiam monet Gregorius de Valentia *disputatione 6. quæstion. 13. puncto 4.* §. 5. Vt dum maleficæ personæ in carcere detinentur, adsint in promptu remedia spiritualia, ad propulsandam vim & iniurias dæmonis; vt aqua benedicta, agnus Dei, cruces & sacræ imagines, exorcismi &c. Item vt præsto sint sacerdotes, qui reos de ratione officij sui, tum in ipso iudicio, tum placando & propitiando sibi Deo diligenter & maturè admoneant. De quo tamen vide etiam dicta *supra num. 84.*

VIII. Supplicatio sanctis facta; itemque Reliquiæ & Imagines Sanctorum; speciatim etiam S.P.N. Ignatij; qui vt in vita singularis dæmonum hostis, & Victor extitit, ita experientia compertum est, etiam post mortem, eius imagines ad infestationes & terriculamenta diaboli auertenda, magnam vim habere. 121

IX. Oratio cum ieiunio, iuxta illud Christi *Matthæi* 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in oratione & ieiunio.*

X. Opera misericordiæ propter Christum. Nam qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Prouerbiorum 22. *v.* 9. & Tob. 12. *v.* 9. *Eleemosyna à morte* (etiam corporali) *liberat.* Et oratio Tobiæ misericordiæ iuncta impetrauit, & curationem cæcitatis, & liberationem Saræ à dæmonio. 122

Adde postremo etiam destructionem symbolorum maleficii: hæc enim, si inueniantur destruere licitum esse, alibi de *Relig. & de matrim.* docemus. Nullo vero modo committendum, aut concedendum, vt maleficium maleficio soluatur, vt dictum etiam *tom. primo disputat. 5. quæst. sexto dub.* 7. & fusius *tom.* 4. *de impedim. matrimon.* vbi de impotentia agitur. His ergo modis incantationes & maleficia tum auertuntur ne noceant; tum etiam aliquando immissa sanantur, & irrita redduntur.

Quod vero ad secundum attinet, *qua ratione crimen maleficii è communi* 123

sate

tate extirpandum sit. duo ad hanc rem
adhibenda occurrunt remediorum
genera. Quædam sunt *politica*, alia
sunt *spiritualia*. Politica sunt *duo. Pri-
mum* est, ablatio occasionum & inci-
tamentorum, quibus plerunque
miseri homines ad commercium &
consuetudinem cum dæmone con-
trahendam alliciuntur; & quibus
adeo ipsi etiam dæmoni via aperitur,
vt liberum ad homines seducendos
accessum habeat.

Talia sunt. *Primo*, turpia & ob-
scæna conuenticula, tum diurna,
tum nocturna; quibus petulantissi-
mi vtriusque sexus, præcipue rusti-
cani homines, ad omnem immundæ
voluptatis experientiam, tum in
diuerso, tum in eodem etiam se-
xu, sæpe ad multas horas sese ex-
ercent; quæque licet nonnunquam
latenter fiant, non ita tamen latent,
quin patribus & matribus fami-
lias sint cognita, aut saltem ab ijs
deprehendi facile possint. Hæc er-
124 go dixerim vera diaboli gymna-
sia, & strigum vtriusque sexus se-
minaria: quæ eo nocentiora sunt,
quod à nemine improbantur, ne-
que culpæ aut crimini dantur; ad-
eo vt si forsan etiam ab aliquo de-
prehensa reprehendantur, tamen
propter impunitatem & licentiam
in externo foro, reprehenso vix fi-
dem inueniat.

Exempla huius rei recentia ha-
bemus ex vicinia, vbi cum post fe-
sta paschalia fœdissimis amplexi-
bus & tactibus in publico campo
cuiusdam lusus modo, serui &
ancillæ iuxta pagum quendam
inter se colluctarentur, ibique casu
quidam è nostris Sacerdos cum so-
cio iter illac faciens, interuenis-
set, fœditatemque tam apertam
reprehendisset, parum abfuit, quin
à lasciuientibus seruis pro ver-
bis verbera retulisset. Non multo
post, cum in alio vicino oppido
similem lasciuiam, apud eius loci
parochum, alius quidam sacerdos
noster reprehenderet, & maiori
studio abolendam suaderet, aliud
responsum non tulit, quam hunc
esse antiquum ac gentilitium patriæ
morem, &c.

Secundo huc proinde etiam spe- 125
ctat fœdissima petulantia per tur-
pes contactus, complexus, denu-
dationes, quæ in choreis, in ludis,
& recreationibus, imo inter ipsos
etiam labores agrestes, ac ciui-
les conuentus, domi forisque, pri-
uatim ac publice in oculos occur-
runt: quibus adiunge obscænum
fœminas in die Innocentum virgis
cædendi morem, itemque genus
quoddam turpe chorearum agre-
stium, quod sua natura ac tota
corporis agitatione apertæ libidinis
irritamentum est. De qua re plu-
ribus disserui *tom. 2. disp. 4. quæstione 8.
dubit. 5.*

Hæc sunt, quæ diabolo viam
sternunt ad seducendum: hæc sunt,
quæ contempto timore Dei, infe-
lices homines impellunt ad ipsum
etiam diaboli commercium non

detrectandum, vt fœdæ voluptatis libidinem, tantis incitamentis effrænem in modum concitatam, quouis modo exsaturare possint. Quæ si Magistratus vtriusque vigilantia, constitutis ad hanc rem peculiaribus morum Censoribus & Syndicis, corrigerentur, nihil dubito, quin pestis illa Veneficij, magna ex parte, breui è Republica extirpanda foret.

126 *Alterum medium politicum*, est legitimus & accuratus processus Iuris, aduersus hoc crimen; isque non vno solum in loco, sed communi principum consensu vniuerso orbe Christiano instituendus. Quamuis enim, vt superius dictum, facile sperari non possit, hoc crimen sola iudicij seueritate exterminatum iri, est ea tamen necessaria, tum ob vitandum scandalum, ne simplices putent, crimen, non esse; tum ob honorem Dei vindicandum, & grauissimas eius iniurias debita animaduersione castigandas. Ad eum vero processum ego, saluo Sapientiorum iudicio, præter notata dubijs præcedentibus, requirerem ista.

I. Vt iudices sint non solum egregie docti, & prudentes, sed etiam optimi & egregiè pij. Alias enim cum pugna hæc suscipiatur aduersus diabolum, & causa per se obscurissima & intricatissima sit, non sine periculo suo, & aliorum, imo & ipsius Communitatis, hoc officium sustinebunt.

II. Vt Iudicibus attribuatur etiam aliquis pius & eruditus Theologus, ob varias causas. 127 1. Vt in rebus dubijs præcipue ijs, quæ forum internum, & crimina quædam merè spiritualia concernunt, vt sunt hæresis, abnegatio fidei, &c. itemque in alijs perplexis & obscuris tam facti, quam iuris quæstionibus, ex Philosophiæ & Theologiæ principijs potissimum resoluendis, quoad opus erit, consuli possit. 2. Vt prudenter aduertat, quibus rationibus hoc vel illo loco homines ad eiusmodi sacrilegam cum diabolo consuetudinem inducantur. 3. Vt si qui ex reis prudentiores, & seriò ad Deum conuersi videantur, ex illis exploret, quænam existiment ipsi efficaciora esse media, ad hoc crimen extirpandum. 4. Vt subinde aliquod spirituale auxilium reis adferat. 5. Vt cum hoc crimen sit mixti fori, vt tradunt Panormitanus & alij, *in cap. 1. de sacrileg.* imo vero maiori ex parte spirituale, securius in eo à iudicibus secularibus procedatur. Qua de causa etiam video Gregorium de Valentia iam olim *tom. 3. disp. 6. q. 13. pun* 4. expediens iudicasse, vt in his causis, vnus saltem Theologus iudicibus secularibus adiungatur.

Nec idcirco communiter necesse 128 erit, aut in loco torturæ, aut ipsa tortura durante adesse; hoc enim prohibitum est in Concilio Antisiodorensi *Can.* 33. vbi dicitur: *Non licet*

licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, vbi rei torquentur, ſtare. Et *cap.34 Non licet Presbytero in iudicio illo ſedere, vnde homo ad mortem tradatur.* Satis erit, cum eo acta communicari, & ad maleficas acceſſum habere, eiuſque vbi opus erit conſilium audiri. De qua re nonnihil etiam egi *tom.1.diſput.5.q.5. dub.3.*

129 III. Vt in quauis ciuitate, oppido, & pago, cõſtituantur Syndici & Exploratores, qui ad omnia indicia huius criminis diligenter attendant, ſeruato interim ſilentio, eaq; ad cõſtitutos iudices deferant; ab ijſdem notanda, vt ſi vel per ſe ſola, vel alijs accedentibus, tanti momenti eſſe videantur, inquiſitio inſtitui poſſit.

130 IV. Vt iuxta *leg. vlt. Cod. de malef. & Mathem.* ſeuerè præcipiatur omnibus, vt qui aliquam perſonam hoc crimine infectam, vel de eo merito ac grauiter ſuſpectam neque emendatã hactenus norint, occultè ad iudices conſtitutos deferant; data interim ſilentij ac impunitatis fide. Eæ verò denuntiationes etſi non continuo ſufficere ſoleant ad capiendas & torquendas perſonas denuntiatas, annotandæ tamen erunt, vna cum perſonis denuntiantibus, alijſque circumſtantijs, vt ſuo tempore vſui eſſe poſſint. Proderit etiam ad hunc finẽ, pro concione moneri omnes, vt norint ſe teneri, ad perſonas eiuſmodi, quas nondum emendatas ſciunt, denuntiandas, vt dictum ad 2.2.S.Tho. *diſput.2.q.5.dub.4. & diſput.4.q.4.dub.6.num.110.* Eodem ſpectat etiã illud, quod monet Valentia *diſput. 6. qu.13. punct.5.* vt inſtituta generali inquiſitione, imperetur omnibus aliquo publico edicto, vt ſub certa pœna intra certum tempus per viam accuſationis vel denuntiationis iuridicę, deferant ſi quid ſciant, aut viderint, aut audiuerint, &c. Oportebit autẽ, vt idem monet §.4. delationes fideliter & diligenter, ad acta referri, ſeruato ſilentio, &c.

V. Vt proceſſus nõ nimis diu prorogẽtur, ſed ſeruata iuris forma maturius expediãtur, vel damnatis reis & confeſſis; vel dimiſſis, ſi qui per torturas indicia purgarint. 131

VI. Vt ſagæ de complicibus non examinẽtur, niſi poſt acceptam mortis ſententiam, & præuiam pœnitentiam criminis, ac præparationem ad benè moriendum à Confeſſario procurandam: impœnitẽtibus verò parua, aut nulla fides habeatur, vt *hic qu. 2.* dictum.

VII. Vt verè reſipiſcentibus extra iudicium, promittatur venia & impunitas commiſſi criminis, ſi verè & ſerio pij & prudentis Confeſſarij iudicio, pœniteant: quo caſu, ſi Confeſſa ius norit, iam antea fuiſſe denũtiatas, curabit, accepta à pœnitente facultate, vt ſub fide ſecreti ex Catalogo denuntiatarum deleantur. Eſtque hoc medium conforme S. Inquiſitionis officio, & proceſſui in foro Eccleſiæ, de quo Farinacius *part.7. oper. tract. de hæret. q.181. §.1. nu.48. Quod ſi lamia* inquit *pœnitentes veniam petunt, & ad Eccleſiam ex corde redire volunt, ſunt* 132

admittendæ ad pœnitentiam, ac etiam reconciliandæ; nec vllo pacto curiæ seculari tradendæ; etiam quod infantes occiderint, seu alia atrociora & nefanda crimina perpetrauerunt, iuxta Simancham *Cathol. Instit. tit. 37. rub. de Lame. n. 17.*

133 Et audio, quibusdam in locis, hoc medium ad salutem plurium feliciter cessisse. Forsan aliquando expediret, etiam aduersus damnatas vti eiusmodi benignitate Ecclesiastici fori, vt nimirum iuxta *Can. Episcopi 26. q. 5.* à fidelium communione separatæ, certis aliquot diebus, ante fores Ecclesiæ, habitu pœnitentis stantes, & ad certas abstinentias &c. obligatæ, publicam, verbi gratia, vnius anni spatio, pœnitentiam subire cogerentur. Equidem non dubito, plus diabolum hac humiliatione confusum & repressum iri, quam mille mortis supplicijs.

VIII. Denique ad processum in hoc iudicio generatim seruandum quod attinet, obseruanda est generalis doctrina *ad 2. 2. S. Thom. disputat. 4. de Iustit. quæst. 4. dub. 4.* & seqq. tradita, quam ad hanc ipsam quoque materiam speciatim applicat Valentia *disputat. 6. quæst. 13. pun. 4. §. 1.* Nempè vt quis iure interrogetur de se ipso, necesse esse, vt is sit suspectus de hoc crimine, vel propter publicam infamiã, vel propter grauia indicia duorum saltem testimonio comperta, iuxta Syluestrum V. *Indicium q. 2.* & Cõstit. crim. Caroli V. *art. 23.* vel propter semiplenã probationem, vt si præter actorem vel denunciatorem, accedat vnius testimonium omni exceptione maius, vel indicia tali testimonio æquiualentia, vt notat Caietanus *qu. 69. art. 2.* & indicat Nauarrus *Man. cap. 18. num. 57.*

Idq; ipsum etiam reo, cum interrogatur significandum erit, cum scilicet merito suspectum esse, ob aliquam ex prædictis causis, vt intelligat se legitimè interrogari, & obligatum esse ad respondendum, vt iuxta *cap. Qualiter & quando 2. de accusat.* notant etiam Sotus *lib. 5. de Iustit. q. 6. art. 2.* Caietanus *q. 69. a. 2.* & Nauarrus *Man. c. 18. n. 57.*

Addit Valentia *ibidem*, vt non solũ ipse reus de se, sed etiam alij de illo, per specialem inquisitionem interrogentur, tanquã testes, nõ sufficere qualemcunque suspicionem, nisi determinate fuerit orta ex infamia publica, qua reus laborauerit circa crimen, quod inquiritur, vt patet, ex *ca. Inquisitionis*, & *c. Qualiter & quando 2.* & *cap. Cum oporteat de accusationibus.*

Sed hoc patitur aliquã limitationem, præsertim in criminibus exceptis, vt dictum *ad 2. 2. S. Thom disput 4 de Iustitia. q 4. dub. 4. n. 78.* Alioqui nunquam liceret sagas iam de confessas interrogare de complicibus in particulari, puta hac vel illa, quantumuis iam ab alijs sæpius denunciata, alijsque indicijs merito suspecta, nisi de eadem iam antea præcessisset infamia: cuius contrarium habet praxis, vt superius *dub. 3. n. 82.* ex Lessio retulimus, & re ipsa agnoscit Valẽtia *loc. cit. .. 3 & 4.* dum propter denũtiatio-

nem

nem complicis in tormentis seu metu tormentorum confirmatam, concedit denuntiatam personam capi posse; item probationem per coniecturas & indicia, & denuntiationes complicum, etiam sine propria rei confessione sufficere ad condemnādam pœna mitiori & extraordinaria, quæ tamen superius improbauimus.

Neque ego improbare ausim, si post duas tresue denūtiationes à reis iam pœnitentibus proprio motu factas, accedentibus simul alijs quibusdam adminiculis seu indicijs, etiam apud plures alias, itidem per pęnitentiam crimen suum exolas, specialis de personis denuntiatis fiat inquisitio; modo alioquin & secreti fides inuiolata seruetur, & in vsu taliū denuntiationum debita moderatio adhibeatur, vt dictum *hic quæst.* 2.

134 *Quod verò ad media spiritualia attinet*; certum est, ea multo maioris esse momenti, ad hoc vitium exterminandum, quam vlla humana & naturalia media. Quandoquidem enim hic *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates &c. & contra spiritualia nequitia*, vt loquitur Apostolis Ephes. 6, v. 12. nō est dubium, plus hic valere arma spiritualia, quam corporalia. Talia sunt omnia illa, quibus quisque sigillatim se à diaboli infestatione immunem ac illæsum præstare potest, quæ superius commemorauimus. Si enim quisque sibi ipsi satis à dæmone cauet, cōtinuo etiam toti communitati satis ab eo cautum erit.

II. Solemnis & publica abrenuntiatio diabolo facta, post conciones toti populo prælegi solita. 135 Multum enim valet hæc protestatio aduersus diaboli machinationes. Vnde Chrysostomus hom. 21 ad populū Antiochenum: *Cum etiam ea vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum: Abrenuntio tibi Satana. Cum hoc verbo & Crucem in fronte imprime.* Quæ causa est, cur optem etiam in Confessionali, præsertim à fœminis, eam abrenuntiationem, vti quædam formulæ cōfessionum habent, præmitti. Nam experientia didici eas ad hoc non facilè adduci, quæ de veneficij crimine suspectæ sunt &c.

III. Publica protestatio fidei Catholicæ, iuxta formulam Pij V. aut 136 breuiorem ex ea desumptam sæpius repetita, plerunque enim defectu fidei accidit hoc strigum cum diabolo pactum & commercium.

IV. Officiū & Missa de S. Michaele Luciferi debellatore, & Ecclesiæ Patrono, deque Angelo loci custode, quot hebdomatibus, aut saltē singulis mensibus solemniter celebranda, pro huius criminis extirpatione.

V. Bona institutio liberorū ac familiæ, maxime vt sublata praua iurā- 137 di, imprecandi, maledicendi, blasphemandi, turpiumue iocorum consuetudine, ad preces quotidianas diligenter assuescant, & sacro Missæ officio, & Cathechismo, vel concioni diebus festis reuerenter intersint.

VI. Supplicationes & preces publicæ, pro eodē crimine extirpādo &

diabo-

diaboli studijs frangendis. Si enim contra pestem, bellum, tempestates, supplicationes & preces indicuntur, cur non multo magis contra hanc animarum pestem, contra hanc diaboli tyrannidem &c. Hæc vt opinor sufficient.

Reliqua verò, quæ ad hunc processum aduersus striges pertinent, videri possunt apud citatos, qui de hac re fusius scripserunt, in quibus præcipuè sunt Delrius *in suis libris disquisitionum* & hoc antiquiores, Malleus maleficarum *part. 2. & 3.* & Petrus Binsfeldius *tract. de Confess. maleficorum.*

LECTORI BENEVOLO.

QVia R.P. Tannerus *tractatu hoc de Processu aduersus Sagas de earundem ad diuersa loca translatione quoque meminit; atq; multa hic obiter, aliud scilicet ex instituto agens, quæ non leuem apud huius ætatis doctos pariter & indoctos, pios & impios Sagarumque patronos, patiuntur controuersiam, attigit; de extrema scilicet strigum malitia, & inexplebili in genus humanum odio, de prauis dæmonum & Veneficarum machinationibus, quousque vtrorumq; & potestas & nequitia sese porrigat: libuit commodo tuo ex eiusdem Patris disputat: de Angelis ad 1.p.S.Thomæ has paucas dubitationes seu quæstiones separatim hic adiungere: eo quidē ordine, vt quia de translatione Sagarum ad nocturnos conuētus dicturi eam in fronte ponamus, quæ, an in dæmonibus potētia loco-motiua sit, disquirit.*

QVÆSTIO I.

An, quæ, & qualis potentia loco motiua, seu operatiua ad extra, sit in Angelo; an ab intellectu & voluntate distincta; an etiam actiua in distans; & miraculorum operatiua.

1 ASSERTIO I. Est in Angelis potentia quædam naturalis operatiua ad extra, qua saltem corpora localiter mouere possunt. Ita sanctus Thomas *1. p. quæst. 110. artic. 3.* & communis omnium Doctorum; post Aristotelem *libro 12. Metaph tex. 44* aliosque Philosophos, qui docent reipsa cœlos moueri ab intelligentijs, siue substantijs spiritualibus.

Nec dissentit Guilielmus Parisiensis, licet à Delrio *libro secundo Disquisit. Mag.* in diuersum citatus. Etenim *Tract. de vniuerso part. 2. secundæ partis cap. 71* expresse ait: *Cum ex narrationibus historicis, atque Propheticis manifestum sit, huiusmodi substantias & ciuitates subuertisse, & alia non pauca similia fecisse manifestum est, eas virtutem huiusmodi habuisse. Si verò quis dixerit, quia huiusmodi perfectio, non fuit innata, siue naturalis, sed potius de nouo data, cum ad huiusmodi facienda creator illas misit; dico, quia & hoc vane dicitur: eodem quippe modo dicerè posset, & de virtute intellectiua.* Idem docet *cap. 70.* Nec obstat, quod vtroque loco docet, Angelos solum mouere corpora imperando; non enim negat mouere efficaciter per seipsos, ita vt vis effectiua motus sit in Angelis, sed solum docet, eam vim effectiuam aliam non esse, quam imperium voluntatis, absque alia potentia exequente realiter distincta, de qua re inferius.

2 *Probatur assertio* passim ex scriptura, præsertim ex Danielis *cap. 14. vers. 35.* vbi de Propheta Habacuc in Iudæa constituto dicitur: *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eũ capillo capitis sui, posuitq; eũ in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Et mox *vers. 38. Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.* Et *Matth. 4. vers. 5.* de Christo dicitur: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi &c.* Et vers. 8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, &c.* Ex quibus locis certissimum est, vim motiuam ad extra naturaliter conuenire Angelis, tum bonis, tum malis.

3 Neque enim dici potest, vim hanc mouendi solum miraculose fuisse communicatam his Angelis, tum ob dictam causam, ex Parisiensi; tum quia DEVS ea ratione conuenientius per seipsum mouisset absque Angelo; tum quia illud, *In impetu spiritus sui*, manifeste vim naturalem significat. Denique cum diabolus peruersa voluntate Christum detulerit, non est dicendum, voluisse Deum per miraculum ipsi eam vim communicare, cooperando quasi speciali influxu ad malum.

4 Idem patet pluribus alijs exemplis eorum Angelorum, qui ad homines forma visibili missi sunt,

vt in Angelis, qui apparuerunt Abrahæ *Genesis* 18. & Loth. *Genesis* 19. item in Raphaele, qui comitatus est Tobiam *cap.* 5. & Gabriele qui ad Virginem missus *Luc.* 1. & Angelis qui ministrarunt Christo, *Matth.* 4. idem docent SS. Patres, inprimis Augustinus *libro tertio de Trinitat, capit.* 8. *&* 9.

5 Ratio S. Thomæ est. Quia vt dicit Dionysius *cap.* 7. *diuin. nom. Diuina sapientia coniungit fines primorum principijs secundorum.* Ex quo patet; quod *natura inferior* (vti est corporea) *in sui supremo attingitur à natura superiori*, nimirum spirituali: in corporibus autem motus localis ex suo genere est supremus & perfectissimus omnium: Ergo necesse est, vt Angeli saltem motum localem in corporibus efficere possint. Minor probatur, tum ex Aristotele 8. *Physic. text.* 57. Tum quia motus localis inter omnes minimè corruptiuus est, nec mutatione corruptiua quicquam in mobili intrinsecum ponit, aut destruit. His accedit, quod Angeli naturaliter seipsos; & animæ corpus sibi vnitum, eoque mediante corpora cætera possunt mouere: quid ni ergo etiam Angeli, cum sint substãtiæ viuentes & spirituales multo perfectiores, quam animæ, corpora mouere possint?

6 *Assertio* II. Potentia hæc loco motiua, seu operatiua ad extra, non est reipsa distincta à potentia naturali Angeli, qua seipsum mouet. Hanc assertionem expressè tradit Suarez *de Angelis libro* 3. *capit.* 29. *num.* 10 4. & alij ab eo citati. *Ratio est.* Tum quia idem est vtrobique terminus formalis; nempè vbi locale. Tum quia etiam in anima, eadem est potentia loco motiua, qua suum corpus, & alia extra se constituta mouet. Tum quia Angelus, non mouet alia à se diuersa, saltem ad locum planè diuersum, nisi vel seipsum simul mouendo, vel imprimendo impetum, ab eadem naturali potentia motiua profectum: sicut etiam homo pariter eadem potentia loco motiua tum deferendo, tum imprimendo impetum alia extra se posita mouet; quando nimirum pilam vel manu gestans circumfert, vel impresso impetu proijcit.

Assertio III. Angelus non potest agere in distans, adeoque nec immediatè mouere corpus, nisi cui secundum substantiam suam præsens est. Ita habet communis Doctorum sententia, & speciatim tradit sanctus Thomas 1. *part quæstion.* 52. *articul.* 1. *& quodlib.* 6. *articulo* 2. *ad* 1. *& quodlib.* 9. *à* 10. *ad* 2. Caietanus & omnes Thomistæ *cit. articul.* 1. cæterique Scholastici communiter *in* 1. *distinctione* 37. *& in* 2. *distinct.* 2. *&* 3. in quibus etiam Scotus *in* 2. *distinctione* 2. *quæstion.* 5. *&* 6. nec dissentit Durandus *in* 1. *distinctione* 37. *part.* 2. *quæstion.* 1. *& in* 2. *distinctiom.* 8. *quæstion.* 3. & sequuntur Vasquez *disputat.* 189. *cap.* 3. Conimbricenses 6. *Physic. cap.* 2. *quæst.* 7

1. Sua-

[1] Suarez *Metaph. disputat.* 18. *sect.* 8. & *ad* 1. *part. S. Thom. de Angelis libr.* 4. *cap.* 10 *numer.* 5 & 6. vbi tamen non satis constanter loquitur, maximè propter eam quam de locutione Angeli amplexus est sententiam *alibi* relatam & refutatam.

8 Quanquam non desunt plures, tam veteres, quam recentiores Theologi, qui docent, Angelum posse immediatè operari, vbi non est præsens secundum suam substantiam, adeoq; in distans. Ita Hæruæus *tract. de motu Angeli quæstion.* 1 *ad* 3. & *in* 1. *distinct.* 17 *quæstion.* 1. Ockam *ibidem*, Gabriel *ibidem artic.* 3. *dub.* 1. qui ita ferè etiam de agentibus corporeis sentiunt. Et fauent Magister *in* 1. *distinct.* 8. *cap. vltim.* & Scotus *in* 1. *distinct.* 37. *quæstion.* 1. & sequuntur non pauci recentiores teste Vasquez *loco citat. cap.* 1. speciatim Albertinus *tom.* 1. *Princip.* 1. *coroll.* 16 *numer.* 10. post Auicennam & Aphrodisiensem.

9 *Sed probatur assertio* primum auctoritate. Ita enim generatim de naturalibus agentibus docet Aristoteles 7. *Physic. cap.* 2. & speciatim de Intelligentia cœlum mouente *libr.* 2. *de cœlo c.* 2. Idē docet Damascenus *lib.* 1. *de fid. cap.* 17. vbi de Angelo ait: ***Nec alibi est; verum intellectualem in modum illic circumscribitur, vbi operatur.***

10 *Secundo probatur ratione.* I. Quia alias nulla ratio esset, cur non posset operari Angelus in quouis loco remotissimo: Si enim distantia passi actioni agentis nil obest, nec opus est per medium transmittere actionem, aut vim actiuam; nihil obstat etiam, quantumuis magna distantia eiusdem agentis actioni: hoc verò nec aduersarij facilè concesserint. II. Quia sic etiam Angelus assumere posset corpus, etiamsi ei præsens non esset; id verò non satis consonum est, tum apparitionibus Angelorum in assumpto corpore; tum communi sensui Ecclesiæ, quoad energumenos seu obsessos à diabolo, aduersus quem preces Ecclesiæ & exorcismi velut præsentem adhibentur. III. Quia vniuersali inductione, & experimento satis constat, res cæteras naturales & corporeas non posse operari in distans, sine actione, aut vi actiua trāsfusa per medium; quicquid authores oppositæ sententiæ in contrarium dixerint: nec apta ratio assignari potest diuersitatis in Angelis. IV. Quia ex opposita sententia non esset causa, cum Angeli substantialiter mitterentur de cœlo in terras, siue ad custodiam hominum, siue ad punitionem, siue ad alia peragenda aut denuntianda. V. Opposita sententia ianuam aperit superstitionibus, & superstitiosis medijs ad varij generis effectus procurandos: V. G. per vnctionem vulnerariam, & similia.

Nec obstat, quod Angeli voluntate agunt etiam in exteriora: voluntas autem ad suam actionem non requirit præsentiam obiecti. 11
Primo enim ex nostra sententia Angeli immediatè ad extra non

agunt voluntate, sed potentia executiua realiter distincta, vt dictum. *Deinde* etiamsi voluntate immediate agerent ad extra, nihilominus tamen argumentum ab obiecto ad effectum nullius esset momenti: quia cum obiectum tantum moueat voluntatem in quantum cognitum est, nihil obstat eius localis & realis distantia volitioni; at verò in subiectum passiuum ipsumque effectum debet agens naturale realiter influere; cum quo proinde debet realiter coniunctum esse, siue per se, siue per virtutem aut actionem à se transmissam: quod proinde etiam de voluntate & intellectu dicendum, si immediatè ad extra operarentur. Quod notauit etiam S. Thomas *quodlib.* 9. *articul.* 10. *ad* 2. vbi ait, *quod licet Angelus moueat per imperium, nihilominus imperium hic non dicitur sine virtute actiua, quam oportet aliquo modo contingere corpus motum.*

11 *Assertio* IV. Angeli virtute naturali nō possunt facere vera miracula. Ita S. Thomas 1. *part. quæst.* 110. *artic.* 4. *&* *quæst.* 114. *art.* 4. *&* 3. *cont. gent. cap.* 102. *&* 103. Caietanus, Ferrariensis, commentatores *ibidem*, Alensis 2. *part. quæstio.* 42. *&* 43. Bonauentura, & alij Scholastici communiter *in* 2. *distinct.* 7. quos sequitur Gregorius de Valentia *ad* 1. *part. S. Thom. disputat.* 8. *quæstion.* 5. *punct.* 2. & Suarez *ibid. de Angelis libr.* 4 *cap.* 39. Ratio S. Thomæ, eaque optima est. Quia de ratione veri miraculi, & quod simpliciter tale sit, est, vt sit præter ordinem totius naturæ creatæ: Angelus autem virtute propria & naturali non potest facere aliquid per totum ordinem naturæ creatæ; hoc ipso quod propria etiam eius virtus creata est: Ergo, &c. Minor patet. Maior probatur. Quia ad miraculum non sufficit, vt aliquid fiat, præter ordinem naturæ alicuius particularis; sic enim ille, qui proijcit lapidem sursum, miraculum faceret; cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis.

Idem confirmatur ex ipsa notione nominis miraculi, iuxta S. Thomam 1. *part. quæst.* 105. *artic.* 7. Miraculum enim dicitur, quasi *admiratione plenum*: quod per se & absolutè non conuenit, nisi illi, quod habet causam simpliciter, & omnibus occultam, vti est DEVS. Cætera verò quæ habent causam naturalem, licet nobis incognitam, non sunt per se occulta, vel admiratione plena: sed solum per accidens, ratione ignorantiæ nostræ; cum alioqui causa naturaliter sit cognoscibilis; quâ cognitâ, cessat admiratio.

Ex quibus colligitur, solum Deū virtute propria & naturali facere posse vera miracula; siue actiones ipsæ tales sint, quæ secundum se etiam & ex suo genere, à nulla re creata naturaliter fieri possint, vt est resuscitatio mortui; siue ex parte modi ita fiant, vt eò modo naturaliter à nullo agente creato fieri 12

possint

possint; vt est sanatio subita ægri, sine applicatione causæ secundæ, etiamsi morbus ille ex suo genere non fuerit incurabilis, &c. Atque hanc doctrinam tradunt etiam scriptura & SS. Patres. *Psal.71 vers. 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus*. Psal.76.v.15. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facit mirabilia*. Psal.135.v.4. *Qui facis mirabilia magna solus*. De qua re plura, Basilius Theodoretus, Chrysostomus, Augustinus *in eadem psalmorum loca*, & rursum Augustinus *epist.3. ad Volusianum*. Interim non negandum, fieri posse quædam ab Angelis mirabilia, quorum causa & ratio cum nobis occulta sit, dici possunt, *miracula quoad nos, & secundum quid*, vt notauit idem S.Thomas *cit.q.* 110.*a.*4 *ad* 2.

QVÆSTIO II.

Quas res Angeli loco mouere, aut sistere possint, an non solum corporeas, sed etiam alias spirituales substantias: & quo modo; an etiam impresso impetu; & virtute illimitata ad mouendum.

S.Thomas 1.p.q.109.a.4. & 110.a.3.

1 DVo hac dubitatione quæruntur. *Primum* spectat subiectum mobile: cum enim ex dubio præcedenti constet, corpora ab Angelo moueri posse, nunc quæstio est, tum de Angelis, tum de animabus; an scilicet Angeli animas, & vnus Angelus alium Angelum loco mouere naturaliter possit; aut etiam in loco sistere seu detinere. *Alterum* pertinet ad modum mouendi: siue is spectetur ex parte medij, an scilicet fieri possit etiam impresso impetu seu impulsu, quo mediante Angelus moueat. siue spectetur ex parte subiecti, & virtutis motiuæ naturalis: *vbi quæstio est*, an hæc sit determinata, tam in ordine ad magnitudinem subiecti mobilis: quam velocitatem motus.

2 *Assertio* I. Angeli propria sua & naturali potentia, non solum corporeas substantias, sed etiam animas hominum: adeoque vnus aliquis eorum, etiam Angelum alium loco mouere, in eoque sistere potest. Hæc assertio quoad animas est communis sententia, & traditio Patrum, ac Theologorum, qui docent, animas damnandas, cum primum separantur à corpore, à dæmonibus violenter raptari ad tartara. De Angelis vero inter se comparatis res non est tam certa, nec ab antiquis Theologis admodũ disputata; eam tamen tradunt Maior *in* 2.*dist.*2.*q* 7. Molina *q.*52.*a.*3. Suarez *Metaph.disp.*35.*sect.*6.*n.*28.& *ad* 1.*p.S.Thom.de Angelis lib.* 4.*c.*28. Zumell.*ibid.* *q* 53.*art.*3.*q.*5. & Pesantius *a.*1. *disp.*2. etsi Vasquez *disp.*194.*cap.* 3. contrarium sentiat, asserens, *friuolum esse, quod quidam comminiscuntur, Angelos aliquos tanta esse virtutis, vt aliquo impulsu quasi impresso alteri Angelo, ipsum moueant ad alium locum, vel alicui loco alligent*, cum hoc sit proprium corporum.

3 Sed abstrahendo nunc à modo, eum motum efficiendi, an scilicet fiat impresso impulsu, an non, *probatur*

assertio I. Quia dæmones naturali virtute raptant & mouent animas damnatas ad infernum, vt dictum: nec enim vlla est ratio, cur hoc ab eis fieri dicatur virtute supernaturali; Ergo etiam Angeli possunt alios Angelos ita mouere: quandoquidem par est ratio vtrobique; tam ex parte mobilis, cum vtrumque sit spirituale; quam ex parte mouentis, saltem si Angelus alium Angelum mouens ponatur esse superior respectu huius, adeoque maioris virtutis naturalis. II Angelus sua natura est loco mobilis ab extrinseco, nimirum à Deo; nec iste effectus, cum sit finitæ perfectionis, per se requirit infinitam virtutem; alias enim nec seipsum Angelus naturaliter mouere posset: Ergo non est ratio, cur negetur posse effici ab aliquo Angelo saltem superiore, eo, qui mouendus est. III. Omnis substantia viuens, quæ seipsam potest loco mouere, potest etiam ab alia sui generis moueri, si modo fortiorem habeat vim ad mouendum, quam altera ad resistendum: Vel quod idem est: Omnis substantia, quæ seipsam naturaliter loco mouere potest, potest etiam eadem vi naturali etiam similem sibi, adeoque capacem naturaliter motus localis, loco mouere; si modo alias virtute naturali huius resistentiam superet; vt patet dum inductione; tum ratione; quia eadem est potentia ad se, & ad aliud sibi simile mouendum, cæteris paribus. IV. Non male argumentatur Maior *loc. cit.* Angelus potest mouere corpus secundum omnes: Ergo potest mouere Angelum inferioris, vel eiusdem speciei. Denique nulla est ratio in contrarium.

Assertio II. Angelus non potest naturaliter mouere alium Angelum inuitum, adeoque resistentem, se superiorem, nec omnino æqualem, sed tantummodo inferiorem, siue secundum speciem, siue secundum rationem indiuiduam. Hanc assertionem quoad superiorem Angelum secundum speciem, expresse tradunt Maior, Suarez, & alij citati: eademque est ratio superioris secundum rationem indiuiduam, aut etiam plane æqualis; si quidem talis detur inter Angelos eiusdem speciei, naturalis virtutis excessus aut æqualitas.

Ratio est. Quia à proportione inæqualitatis, aut etiam omnimodæ æqualitatis, tam ad agendum ex vnius parte, quam ad resistendum ex parte alterius, non sequitur actio: sed bene ab excessu virtutis ad agendum respectu passi ad resistendum; quo autem Angelus natura superior est, eo habet maiorem vim agendi & mouendi, quam inferior; ac proinde etiam habet maiorem vim ad mouendum, quam hic ad resistendum: Ergo potest hunc quamuis inuitum & repugnantem loco mouere. Etsi Zumel *loco citato* putet, nec inferiorem quidem Angelum posse inui-

inuitum loco moueri à superiori, sed absque fundamento, vt recte Suarez *loco citato numero nono & decimo.*

Assertio III. Poteſt tamen Ange-
5 lus inferior naturaliter loco mouere etiam superiorem; si hic non resistat. Ita Suarez cum alijs *loco citat. Ratio est* Quiaſcum alioqui superior Angelus sit natura sua mobilis loco, & resistentia illa arbitraria sit ipsi, sane hac sublata, nihil est, quod motum etiam ab inferiore adhibendum impediat. Nec enim, vt in corporibus accidit, resistentia illa in Angelis naturalis & necessaria est: alioquin etiam respectu motus intrinseci resistentiam haberent; sed arbitraria, vt dictum. Nisi quis dicat, propter naturalem improportionem, & defectum virtutis, ex parte Angeli mouentis, fieri non posse, vt Angelus inferior superiorem vnquam mouere naturaliter possit: sicut corpus non potest mouere spiritum, & cæt. Quod non videtur omnino incredibile.

6 *Assertio* IV. Diuina autem virtute fit, vt sicut Angelus malus, licet natura superior, nequeat mouere inferiorem bonum; ita possit inferior bonus superiorem malum mouere aut sistere loco, quantumuis renitentem Ita iuxta Sanctum Thomam *1.p.quæst.109.art.4.* Suarez, & recentiores citati pro assert. præcedent. *Ratio est.* Non solum quia plane indecens est, & inconueniens, statui beatorum, vt vim vllam patiantur ab vllo agente creato; nedum ab Angelis damnatis; sed etiam quia cuiusdam imperfectionis est, moueri solum ab extrinseco; quæ proinde imperfectio à beatis Angelis abesse debet. Qua de causa existimat Suarez *loc.cit.numero octauo*, etiam inter beatos Angelos, nunquam moueri vnum ab alio; non solum inuitum, sed nec etiam volentem. Præsertim quia Angelus beatus ad nutum alterius se mouet, quando alter imperandi potestatem habet; quo fit, vt sola locutio; sine alia extrinseca actione, inter sanctos Angelos sufficiat.

Nec obstat, quod Christus homo 7
beatus à dæmonibus translatus & loco motus est. Christus enim simul Viator erat, cui sicut alia huius vitæ mala, & defectus naturales, vti mors & tormenta, ab extrinseco inferri potuerunt, ita etiam motus localis à dæmonibus, si quidem ipse illis nollet resistere.

E contrario autem, quia diuina 8
lege & ordinatione dæmones nunc, in statu damnationis, Angelis beatis subiacent, eorumque potestate compescuntur & coercentur, vt docet Sanctus Thomas *loc. citat.* & ex scriptura constat, hinc fit, vt diuina virtute Angeli beati, licet natura inferiores, possint dæmones quamuis resistentes facile loco mouere aut continere; quia virtus gratiæ maior est, quam naturæ: siue quia dæmonum

vis

vis alioqui naturalis ad resistendum diuinitus cohibetur; siue quia vis motiua Angeli beati diuino munere auctior est. *Nec obstat*, quod Angeli per peccatum naturalia non amiserunt; sed eadem etiam post peccatũ integra conseruant. Hoc enim intelligendum est, de naturalibus viribus in actu primo spectatis; non autem de vsu ipso naturalium virium, vt etiam *alibi* dictum.

Atque hæc de subiecto mobili, ad priorem huius dubitationis partem pertinent. *Ad alteram vero partem*, de modo mouendi, sequentes assertiones spectant.

9 *Assertio V.* Cum Angelus alium Angelum seu spiritum loco mouet, non mouet impresso impetu; sed immediatè per se ipsum. Ita à potiori Suarez citandus *assert. 8. Ratio est.* Quia hoc ex vna parte non est necessariũ; siquidem Angelus potest mobile, cui præsens est, per se ipsum immediate mouere, vt dicetur. Ex altera vero dubium est, an Angelus impetum seu virtutem motiuam immediatè per seipsum mobili imprimere possit; & probabile est, non posse, nisi per instrumentum corporeum, quod respectu spiritus locum non habet.

10 *Assertio VI.* Quando Angelus corpori saltem secundum aliquam eius partem præsens est & permanet, tum potest & solet Angelus pro suo libitu id mouere immediate per se ipsum, sine vllo impetu ipsi impresso, adeoque etiam lapidem in aere tum oblique ciere; tum sistere vbi voluerit. Ita sentio cum Suarez *Metaph. d. 35. sect 6. n. 25. & ad 1. p. S. Thom.* de Angelis *li. 4. c. 31.* contra Vasquez ibid. *d. 182. d. 28. n. 9* vbi docet, non solum posse Angelum per se immediate imprimere impetum corpori, eoque mediante corpus etiam distans mouere; (quod docet etiam Molina *ad 1. p. S. Thom q. 110. a. 3*) sed etiam necessariam esse eam impetus impressionem, quoties corpus ab Angelo in medio aere quasi suspensum detinetur, vel per aerem secundum lineam transuersam mouetur.

Probatur assertio. Primo enim modus magis connaturalis est, absque impresso impetu mouere; non solum quia per se minor hic violentia interuenit; sed etiam quia natura odit superflua, & quod æquè facile & commodè potest fieri per pauciora: non solet fieri per plura: potest autẽ Angelus corpus sibi præsens sine impetu impresso mouere; quia nec vis actiua, nec conditio requisita ad hũc effectum deest. Deinde quod specialiter ad detentionem corporis in libero aere attinet, nihil opus est impetũ impresso. Quia sicut Angelus per seipsum mouere corpus potest, adeoque successiue & continuo aliud & aliud vbi in eo producere, ita potest etiam per se immediate idem vbi constanter in eodem conseruare, quo facto nihil opus est alio impetu seu qualitate ab Angelo impressa: sicut idem agens calidum vt quatuor, potest in aqua calorem vt quatuor producere, & simul etiam perpe-

perpetuo influxu eundem conſeruando, obſtare, ne eadem aqua ad ſuum ſtatum naturalem frigiditatis ſe reducat. Idem eſt, cum lapis ab Angelo in aere per tranſuerſam lineam mouetur; quia nec tunc opus eſt impreſſo impetu, ſed ſatis eſt Angelo immediata ſui applicatione, & permanente coniunctione cum eodem, eundem ita mouere; hæc ipſa enim efficacia Angeli per ſe ipſum immediate mouentis, ſufficit, tum ad lapidem mouendum, tum ad eundem detinendum, ne deſcendat, vt bene Suarez *cit. cap. 31. n. 7. & 8.*

12 Ex quo colligitur, reipſa etiam cælum ab Angelo moueri, abſque impreſſo impetu, ſeu virtute motiua & impulſiua in eodem producta: quia Angelus cœlo à ſe mouendo ſubſtantialiter præſens eſt, vt cum Ariſtotele *lib 8. Phyſic. c. vlt. & 2. de cœlo c 2.* docent S. Thomas *1. p. q. 52. a. 2.* Bonauentura; Scotus, & alij *in 2. d. 2.* qui dicunt, Angelum eſſe in aliqua determinata cœli parte, vnde motum inchoat; poteſt ergo Angelus cœlum per ſeipſum mouere, etiamſi ipſe interim cum eo non circumuoluatur, ſed immobilis perſiſtat: Ergo ſuperuacaneus eſt impetus impreſſus. Deinde omnis impetus mobili impreſſus, cum in progreſſu deficiat & debilitetur, hoc ſua natura habet, vt initio celerius, quam circa finem, aut medium, idem mobile moueat: motus autem cœli eſt æqualis & vniformis: Ergo impoſſibile eſt naturaliter, vt impreſſo impetu efficiatur. Quia tamen Angelus non poteſt totius cœli ſubſtantiæ immediatè præſens eſſe (ſic enim ſimul etiam facile in cœlo poſſet eſſe, & in terra) ideo fatendum eſt motum cœli ab vna certa parte, cui præſens eſt Angelus, inchoari, & ſic per totum corpus eiuſdem cœli conſequenter diffundi; ita vt non quidem tempore, ſed natura prius moueatur illa pars, cui præſens eſt: hæc vero ſecum alias, ob mutuam ſolidamque connexionem, quaſi pertrahat, vt pluribus declarat Suarez *cit. c. 31.*

Aſſertio VII. Poteſt tamen etiam Angelus mediante corpore, ſeu inſtrumento corporeo, alteri corpori, mobili, impetum ſeu vim motiuam imprimere, & ita mediante impetu impreſſu mouere: idque reipſa neceſſario fit, quando Angelus mouens, mobili, dum ita mouetur, præſens non eſt Ita Suarez *ad 1. p. S. Thom. l. cit. de Ang.* & Metaph. *diſp. loc. citat.* & conſentiunt à fortiori Vaſquez & Molina mox citandi. *Ratio eſt.* Quia quiſquis per ſeipſum immediate poteſt aliquod corpus mouere, eo ipſo etiã poteſt idipſum corpus violenter impellere in aliud corpus: vt ita huic impetus ſeu vis motiua imprimatur: Quibus conſentiunt ea, quæ à ſpiritibus nocturnis nonnunquam factitari audimus, vt cum lapides, vaſa, reſque alias in ædibus hincinde proijciunt, & collidunt. Ex quo ſequitur Angelos poſſe mouere corpora, non ſolum quaſi portando, aut trahẽdo, ſed etiam proijciendo, ſaltem medi- 13

diaboli ſtudijs frangendis. Si enim contra peſtem, bellum, tempeſtates, ſupplicationes & preces indicuntur, cur non multo magis contra hanc animarum peſtem, contra hanc diaboli tyrannidem &c. Hæc vt opinor ſufficient.

Reliqua verò, quæ ad hunc proceſſum aduerſus ſtriges pertinent, videri poſſunt apud citatos, qui de hac re fuſius ſcripſerunt, in quibus præcipuè ſunt Delrius *in ſuis libris diſquiſitionum* & hoc antiquiores, Malleus maleficarum *part. 2. & 3.* & Petrus Binsfeldius *tract. de Confeſſ. maleficorum.*

LECTORI BENEVOLO.

QVia R.P. Tannerus *tractatu hoc de Proceſſu aduerſus Sagas de earundem ad diuerſa loca tranſlatione quoque meminit; atq; multa hic obiter, aliud ſcilicet ex inſtituto agens, quæ non leuem apud huius ætatis doctos pariter & indoctos, pios & impios Sagarumque patronos, patiuntur controuerſiam, attigit; de extrema ſcilicet ſtrigum malitia, & inexplebili in genus humanum odio, de prauis dæmonum & Veneficarum machinationibus, quouſque vtrorumq; & poteſtas & nequitia ſeſe porrigat: libuit commodo tuo ex eiuſdem Patris diſputat: de Angelis ad 1.p.S.Thomæ has paucas dubitationes ſeu quæſtiones ſeparatim hic adiungere: eo quidē ordine, vt quia de tranſlatione Sagarum ad nocturnos conuētus dicturi eam in fronte ponamus, quæ, an in dæmonibus potētia loco-motiua ſit, diſquirit.*

QVÆ-

QVÆSTIO I.

An, quæ, & qualis potentia loco motiua, seu operatiua ad extra, sit in Angelo; an ab intellectu & voluntate distincta; an etiam actiua in distans; & miraculorum operatiua.

1 ASSERTIO I. Est in Angelis potentia quædam naturalis operatiua ad extra, qua saltem corpora localiter mouere possunt. Ita sanctus Thomas *1. p. quæst. 110. artic. 3.* & communis omnium Doctorum; post Aristotelem *libro 12. Metaph tex. 44* alíosque Philosophos, qui docent reipsa cælos moueri ab intelligentijs, siue substantijs spiritualibus.

Nec dissentit Guilielmus Parisiensis, licet à Delrio *libro secundo Disquisit. Mag.* in diuersum citatus. Etenim *Tract. de vniuerso part. 2. secundæ partis cap. 71* expresse ait: *Cum ex narrationibus historicis, atque Propheticis manifestum sit, huiusmodi substantias & ciuitates subuertisse, & alia non pauca similia fecisse manifestum est, eas virtutem huiusmodi habuisse. Si verò quis dixerit, quia huiusmodi perfectio, non fuit innata, siue naturalis, sed potius de nouo data, cum ad huiusmodi facienda creator illas misit; dico, quia & hoc vane dicitur: eodem quippe modo dicere posset, & de virtute intellectiua.* Idem docet *cap. 70.* Nec obstat, quod vtroque loco docet, Angelos solum mouere corpora imperando; non enim negat mouere efficaciter per seipsos, ita vt vis effectiua motus sit in Angelis, sed solum docet, eam vim effectiuam aliam non esse, quam imperium voluntatis, absque alia potentia exequente realiter distincta, de qua re inferius.

Probatur assertio passim ex scriptura, præsertim ex Danielis *cap. 14. vers. 35.* vbi de Propheta Habacuc in Iudæa constituto dicitur: *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eũ capillo capitis sui, posuitq; eũ in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Et mox *vers. 38. Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.* Et *Matth. 4. vers. 5.* de Christo dicitur: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi &c.* Et vers. 8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, &c.* Ex quibus locis certissimum est, vim motiuam ad extra naturaliter conuenire Angelis, tum bonis, tum malis.

3 Neque enim dici potest, vim hanc mouendi solum miraculose fuisse communicatam his Angelis, tum ob dictam causam, ex Parisiensi; tum quia DEVS ea ratione conuenientius per seipsum mouisset absque Angelo; tum quia illud, *In impetu spiritus sui*, manifeste vim naturalem significat. Denique cum diabolus peruersa voluntate Christum detulerit, non est dicendum, voluisse Deum per miraculum ipsi eam vim communicare, cooperando quasi speciali influxu ad malum.

Idem patet pluribus alijs exemplis eorum Angelorum, qui ad homines forma visibili missi sunt;

vt in Angelis, qui apparuerunt Abrahæ *Genesis* 18. & Loth. *Genesis* 19. item in Raphaele, qui comitatus est Tobiam *cap.* 5. & Gabriele qui ad Virginem missus *Luc.* 1. & Angelis qui ministrarunt Christo, *Matth.* 4. idem docent SS. Patres, inprimis Augustinus *libro tertio de Trinitat. capit.* 8. *&* 9.

5 Ratio S. Thomæ est. Quia vt dicit Dionysius *cap.* 7. *diuin. nom.* *Diuina sapientia coniungit fines primorum principijs secundorum.* Ex quo patet; quod *natura inferior* (vti est corporea) *in sui supremo attingitur à natura superiori*, nimirum spirituali: in corporibus autem motus localis ex suo genere est supremus & perfectissimus omnium: Ergo necesse est, vt Angeli saltem motum localem in corporibus efficere possint. Minor probatur, tum ex Aristotele 8. *Physic. text.* 57. Tum quia motus localis inter omnes minimè corruptiuus est, nec mutatione corruptiua quicquam in mobili intrinsecum ponit, aut destruit. His accedit, quod Angeli naturaliter seipsos; & animæ corpus sibi vnitum, eoque mediante corpora cætera possunt mouere: quid ni ergo etiam Angeli, cum sint substãtiæ viuentes & spirituales multo perfectiores, quam animæ, corpora mouere possint?

6 *Assertio* II. Potentia hæc loco motiua, seu operatiua ad extra, non est seipsa distincta à potentia naturali Angeli, qua seipsum mouet. Hanc assertionem expressè tradit Suarez *de Angelis libro* 3. *capit.* 29. *num.* 10 4. & alij ab eo citati. *Ratio est.* Tum quia idem est vtrobique terminus formalis; nempè vbi locale. Tum quia etiam in anima, eadem est potentia loco motiua, qua suum corpus, & alia extra se constituta mouet. Tum quia Angelus, non mouet alia à se diuersa, saltem ad locum planè diuersum, nisi vel seipsum simul mouendo, vel imprimendo impetum, ab eadem naturali potentia motiua profectum: sicut etiam homo pariter eadem potentia loco motiua tum deferendo, tum imprimendo impetum alia extra se posita mouet; quando nimirum pilam vel manu gestans circumfert, vel impresso impetu proijcit.

Assertio III. Angelus non potest agere in distans, adeoque nec immediatè mouere corpus, nisi cui secundum substantiam suam præsens est. Ita habet communis Doctorum sententia, & speciatim tradit sanctus Thomas 1. *part quæstion.* 52. *articul.* 1. *&* *quodlib.* 6. *articulo* 2. *ad* 1. *&* *quodlib.* 9. *à* 10. *ad* 2. Caietanus & omnes Thomistæ *cit. articul.* 1. cæterique Scholastici communiter *in* 1. *distinctione* 37. *&* *in* 2. *distinct.* 2. *&* 3. in quibus etiam Scotus *in* 2. *distinctione* 2. *quæstion.* 5. *&* 6. nec dissentit Durandus *in* 1. *distinctione* 37. *part.* 2. *quæstion.* 1. *&* *in* 2. *distinctiõn.* 8. *quæstion.* 3. & sequuntur Vasquez *disputat.* 189. *cap.* 3. Conimbricenses 6. *Physic. cap.* 2. *quæst.* 1. Sua- 7

[1] Suarez *Metaph. disputat.* 18. *sect.* 8. & *ad* 1. *part. S. Thom. de Angelis libr.* 4. *cap.* 10. *numer.* 5 & 6. vbi tamen non satis constanter loquitur, maximè propter eam quam de locutione Angeli amplexus est sententiam *alibi* relatam & refutatam.

8 Quanquam non desunt plures, tam veteres, quam recentiores Theologi, qui docent, Angelum posse immediatè operari, vbi non est præsens secundum suam substantiam, adeoq; in distans. Ita Hæruæus *tract. de motu Angeli quæstion.* 1 *a.d.* 3. & *in* 1. *distinct* 17 *quæstion.* 1. Ockam *ibidem*, Gabriel *ibidem artic.* 3. *dub.* 1. qui ita ferè etiam de agentibus corporeis sentiunt. Et fauent Magister *in* 2. *distinct.* 8. *cap vltim.* & Scotus *in* 1. *distinct.* 37. *quæstion.* 1. & sequuntur non pauci recentiores teste Vasquez *loco citat. cap.* 1. speciatim Albertinus *tom.* 1. *Princip.* 1. *coroll.* 16 *numer.* 10. post Auicennam & Aphrodisiensem.

9 *Sed probatur assertio* primum auctoritate. Ita enim generatim de naturalibus agentibus docet Aristoteles 7. *Physic. cap.* 2. & speciatim de Intelligentia cœlum mouente *libr.* 2. *de cœlo c.* 2. Idē docet Damascenus *lib.* 1. *de fid. cap.* 17. vbi de Angelo ait: *Nec alibi est; verum intellectualem in modum illic circumscribitur, vbi operatur.*

10 *Secundo probatur ratione.* I. Quia alias nulla ratio esset, cur non posset operari Angelus in quouis loco remotissimo: Si enim distantia passi actioni agentis nil obest, nec opus est per medium transmittere actionem, aut vim actiuam; nihil obstat etiam, quantumuis magna distantia eiusdem agentis actioni: hoc verò nec aduersarij facilè concesserint. II. Quia sic etiam Angelus assumere posset corpus, etiamsi ei præsens non esset; id verò non satis consonum est, tum apparitionibus Angelorum in assumpto corpore; tum communi sensui Ecclesiæ, quoad energumenos seu obsessos à diabolo, aduersus quem preces Ecclesiæ & exorcismi velut præsentem adhibentur. III. Quia vniuersali inductione, & experimento satis constat, res cæteras naturales & corporeas non posse operari in distans, sine actione, aut vi actiua trāsfusa per medium; quicquid authores oppositæ sententiæ in contrarium dixerint: nec apta ratio assignari potest diuersitatis in Angelis. IV. Quia ex opposita sententia non esset causa, cum Angeli substantialiter mitterentur de cœlo in terras, siue ad custodiam hominum, siue ad punitionem, siue ad alia peragenda aut denuntianda. V. Opposita sententia ianuam aperit superstitionibus, & superstitiosis medijs ad varij generis effectus procurandos: V. G. per vnctionem vulnerariam, & similia.

Nec obstat, quod Angeli voluntate agunt etiam in exteriora: voluntas autem ad suam actionem non requirit præsentiam obiecti. *Primo* enim ex nostra sententia Angeli immediatè ad extra non 11

agunt voluntate, sed potentia executiua realiter distincta, vt dictum. *Deinde* etiamsi voluntate immediate agerent ad extra, nihilominus tamen argumentum ab obiecto ad effectum nullius esset momenti: quia cum obiectum tantum moueat voluntatem in quantum cognitum est, nihil obstat eius localis & realis distantia volitioni; at verò in subiectum passiuum ipsumque effectum debet agens naturale realiter influere; cum quo proinde debet realiter coniunctum esse, siue per se, siue per virtutem aut actionem à se transmissam: quod proinde etiam de voluntate & intellectu dicendum, si immediatè ad extra operarentur. Quod notauit etiam S. Thomas *quodlib. 9. articul. 10. ad 2.* vbi ait, *quod licet Angelus moueat per imperium, nihilominus imperium hic non dicitur sine virtute actiua, quam oportet aliquo modo contingere corpus motum.*

11 *Assertio* IV. Angeli virtute naturali nō possunt facere vera miracula. Ita S. Thomas *1. part. quæst. 110. artic. 4. & quæst. 114. art. 4. & 3. cont. gent. cap. 102. & 103.* Caietanus, Ferrariensis, commentatores *ibidem*, Alensis *2. part. quæstio. 42. & 43.* Bonauentura, & alij Scholastici communiter *in 2. distinct. 7.* quos sequitur Gregorius de Valentia *ad 1. part. S. Thom. disputat. 8. quæstion. 5. punct. 2.* & Suarez *ibid. de Angelis libr. 4 cap. 39.* Ratio S. Thomæ, eaque optima est. Quia de ratione veri miraculi, & quod simpliciter tale sit, est, vt sit præter ordinem totius naturæ creatæ: Angelus autem virtute propria & naturali non potest facere aliquid per totum ordinem naturæ creatæ; hoc ipso quod propria etiam eius virtus creata est: Ergo, &c. Minor patet. Maior probatur. Quia ad miraculum non sufficit, vt aliquid fiat, præter ordinem naturæ alicuius particularis; sic enim ille, qui proijcit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis.

Idem confirmatur ex ipsa notione nominis miraculi, iuxta S. Thomam *1. part. quæst. 105. artic. 7.* Miraculum enim dicitur, quasi *admiratione plenum*: quod per se & absolutè non conuenit, nisi illi, quod habet causam simpliciter, & omnibus occultam, vti est DEVS. Cætera verò quæ habent causam naturalem, licet nobis incognitam, non sunt per se occulta, vel admiratione plena: sed solum per accidens, ratione ignorantiæ nostræ; cum alioqui causa naturaliter sit cognoscibilis; quâ cognitâ, cessat admiratio.

Ex quibus colligitur, solum Deū virtute propria & naturali facere posse vera miracula; siue actiones ipsæ tales sint, quæ secundum se etiam & ex suo genere, à nulla re creata naturaliter fieri possint, vt est resuscitatio mortui; siue ex parte modi ita fiant, vt eò modo naturaliter à nullo agente creato fieri possint 12

possint; vt est sanatio subita ægri, sine applicatione causæ secundæ, etiamsi morbus ille ex suo genere non fuerit incurabilis, &c. Atque hanc doctrinam tradunt etiam scriptura & SS. Patres. *Psal.71 vers. 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* Psal.76.v.15. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facit mirabilia.* Psal.135.v.4. *Qui facis mirabilia magna solus.* De qua re plura, Basilius Theodoretus, Chrysostomus, Augustinus *in eadem psalmorum loca,* & rursum Augustinus *epist.3. ad Volusianum.* Interim non negandum, fieri posse quædam ab Angelis mirabilia, quorum causa & ratio cum nobis occulta sit, dici possunt, *miracula quoad nos, & secundum quid,* vt notauit idem S. Thomas *cit. q. 110. a.4 ad 2.*

QVÆSTIO II.

Quas res Angeli loco mouere, aut sistere possint, an non solum corporeas, sed etiam alias spirituales substantias: & quo modo; an etiam impresso impetu; & virtute illimitata ad mouendum.

S. Thomas 1.p.q.109.a.4. & 110.a.3.

1 DVo hac dubitatione quæruntur. *Primum* spectat subiectum mobile: cum enim ex dubio præcedenti constet, corpora ab Angelo moueri posse, nunc quæstio est, tum de Angelis, tum de animabus; an scilicet Angeli animas, & vnus Angelus alium Angelum loco mouere naturaliter possit; aut etiam in loco sistere seu detinere. *Alterum* pertinet ad modum mouendi: siue is spectetur ex parte medij, an scilicet fieri possit etiam impresso impetu seu impulsu, quo mediante Angelus moueat. siue spectetur ex parte subiecti, & virtutis motiuæ naturalis: *vbi quæstio est,* an hæc sit determinata, tam in ordine ad magnitudinem subiecti mobilis: quam velocitatem motus.

Assertio I. Angeli propria sua & naturali potentia, non solum corporeas substantias, sed etiam animas hominum: adeoque vnus aliquis eorum, etiam Angelum alium loco mouere, in eoque sistere potest. Hæc assertio quoad animas est communis sententia, & traditio Patrum, ac Theologorum, qui docent, animas damnandas, cum primum separantur à corpore, à dæmonibus violenter raptari ad tartara. De Angelis vero inter se comparatis res non est tam certa, nec ab antiquis Theologis admodū disputata; eam tamen tradunt Maior *in 2. dist.2.q 7.* Molina *q.52.a.3.* Suarez *Metaph.disp.35.sect.6.n.28. & ad 1.p.S. Thom. de Angelis lib.4.c.28.* Zumell *ibid. q 53. art.3.q.5.* & Pesantius *a.1. disp.2.* etsi Vasquez *disp.194. cap. 3.* contrarium sentiat, asserens, *friuolum esse, quod quidam comminiscuntur, Angelos aliquos tanta esse virtutis, vt aliquo impulsu quasi impresso alteri Angelo, ipsum moueant ad alium locum, vel alicui loco alligent,* cum hoc sit proprium corporum. 2

Sed abstrahendo nunc à modo, eum motum efficiendi, an scilicet fiat impresso impulsu, an non, *probatur* 3

assertio I. Quia dæmones naturali virtute raptant & mouent animas damnatas ad infernum, vt dictum: nec enim vlla est ratio, cur hoc ab eis fieri dicatur virtute supernaturali; Ergo etiam Angeli possunt alios Angelos ita mouere: quandoquidem par est ratio vtrobique; tam ex parte mobilis, cum vtrumque sit spirituale; quam ex parte mouentis, saltem si Angelus alium Angelum mouens ponatur esse superior respectu huius, adeoque maioris virtutis naturalis. II Angelus sua natura est loco mobilis ab extrinseco, nimirum à Deo; nec iste effectus, cum sit finitæ perfectionis, per se requirit infinitam virtutem; alias enim nec seipsum Angelus naturaliter mouere posset: Ergo non est ratio, cur negetur posse effici ab aliquo Angelo saltem superiore, eo, qui mouendus est. III. Omnis substantia viuens, quæ seipsam potest loco mouere, potest etiam ab alia sui generis moueri, si modo fortiorem habeat vim ad mouendum, quam altera ad resistendum: Vel quod idem est: Omnis substantia, quæ seipsam naturaliter loco mouere potest, potest etiam eadem vi naturali etiam similem sibi, adeoque capacem naturaliter motus localis, loco mouere; si modo alias virtute naturali huius resistentiam superet; vt patet dum inductione; tum ratione; quia eadem est potentia ad se, & ad aliud sibi simile mouendum, cæteris paribus. IV. Non male argumentatur Maior *loc. cit.* Angelus potest mouere corpus secundum omnes: Ergo potest mouere Angelum inferioris, vel eiusdem speciei. Denique nulla est ratio in contrarium.

Assertio II. Angelus non potest naturaliter mouere alium Angelum inuitum, adeoque resistentem, se superiorem, nec omnino æqualem, sed tantummodo inferiorem, siue secundum speciem, siue secundum rationem indiuiduam. Hanc assertionem quoad superiorem Angelum secundum speciem, expresse tradunt Maior, Suarez, & alij citati: eademque est ratio superioris secundum rationem indiuiduam, aut etiam plane æqualis; si quidem talis detur inter Angelos eiusdem speciei, naturalis virtutis excessus aut æqualitas.

Ratio est. Quia à proportione inæqualitatis, aut etiam omnimodæ æqualitatis, tam ad agendum ex vnius parte, quam ad resistendum ex parte alterius, non sequitur actio: sed bene ab excessu virtutis ad agendum respectu passi ad resistendum; quo autem Angelus natura superior est, eo habet maiorem vim agendi & mouendi, quam inferior; ac proinde etiam habet maiorem vim ad mouendum, quam hic ad resistendum: Ergo potest hunc quamuis inuitum & repugnantem loco mouere. Etsi Zumel *loco citato* putet, nec inferiorem quidem Angelum posse inui-

inuitum loco moueri à superiori, sola absque fundamento, vt recte Suarez *loco citato numero nono & decimo.*

Assertio III. Potest tamen Ange-
5 lus inferior naturaliter loco mouere etiam superiorem; si hic non resistat. Ita Suarez cum alijs *loco citat. Ratio est* Quia, cum alioqui superior Angelus sit natura sua mobilis loco, & resistentia illa arbitraria sit ipsi, sane hac sublata, nihil est, quod motum etiam ab inferiore adhibendum impediat. Nec enim, vt in corporibus accidit, resistentia illa in Angelis naturalis & necessaria est: alioquin etiam respectu motus intrinseci resistentiam haberent; sed arbitraria, vt dictum. Nisi quis dicat, propter naturalem improportionem, & defectum virtutis, ex parte Angeli mouentis, fieri non posse, vt Angelus inferior superiorem vnquam mouere naturaliter possit: sicut corpus non potest mouere spiritum, & cæt. Quod non videtur omnino incredibile.

6 *Assertio* IV. Diuina autem virtute fit, vt sicut Angelus malus, licet natura superior, nequeat mouere inferiorem bonum; ita possit inferior bonus superiorem malum mouere aut sistere loco, quantumuis renitentem. Ita iuxta Sanctum Thomam 1.*p.quæst.*109.*art* 4. Suarez, & recentiores citati pro assert. præcedent. *Ratio est.* Non solum quia plane indecens est, & inconueniens, statui beatorum, vt vim vllam patiantur ab vllo agente creato, nedum ab Angelis damnatis; sed etiam quia cuiusdam imperfectionis est, moueri solum ab extrinseco; quæ proinde imperfectio à beatis Angelis abesse debet. Qua de causa existimat Suarez *loc.cit.numero octauo*, etiam inter beatos Angelos, nunquam moueri vnum ab alio; non solum inuitum, sed nec etiam volentem. Præsertim quia Angelus beatus ad nutum alterius se mouet, quando alter imperandi potestatem habet; quo fit, vt sola locutio; sine alia extrinseca actione, inter sanctos Angelos sufficiat.

Nec obstat, quod Christus homo 7
beatus à dæmonibus translatus & loco motus est. Christus enim simul Viator erat, cui sicut alia huius vitæ mala, & defectus naturales, vti mors & tormenta, ab extrinseco inferri potuerunt, ita etiam motus localis à dæmonibus, si quidem ipse illis nollet resistere.

E contrario autem, quia diuina 8
lege & ordinatione dæmones nunc, in statu damnationis, Angelis beatis subiacent, eorumque potestate compescuntur & coercentur, vt docet Sanctus Thomas *loc. citat.* & ex scriptura constat, hinc fit, vt diuina virtute Angeli beati, licet natura inferiores, possint dæmones quamuis resistentes facile loco mouere aut continere; quia virtus gratiæ maior est, quam naturæ: siue quia dæmonum

vis

perpetuo influxu eundem conseruando, obstare, ne eadem aqua ad suum statum naturalem frigiditatis se reducat. Idem est, cum lapis ab Angelo in aere per transuersam lineam mouetur; quia nec tunc opus est impresso impetu, sed satis est Angelo immediata sui applicatione, & permanente coniunctione cum eodem, eundem ita mouere; hæc ipsa enim efficacia Angeli per se ipsum immediate mouentis, sufficit, tum ad lapidem mouendum, tum ad eundem detinendum, ne descendat, vt bene Suarez *cit. cap.* 31. *n.* 7. *&* 8.

11 Ex quo colligitur, reipsa etiam cælum ab Angelo moueri, absque impresso impetu, seu virtute motiua & impulsiua in eodem producta: quia Angelus cœlo à se mouendo substantialiter præsens est, vt cum Aristotele *lib* 8. *Physic. c. vlt. & 2. de cœlo c.* 2. docent S. Thomas 1. *p. q.* 52. *a.* 2. Bonauentura; Scotus, & alij *in* 2. *d.* 2. qui dicunt, Angelum esse in aliqua determinata cœli parte, vnde motum inchoat; potest ergo Angelus cœlum per seipsum mouere, etiamsi ipse interim cum eo non circumuoluatur, sed immobilis persistat: Ergo superuacaneus est impetus impressus. Deinde omnis impetus mobili impressus, cum in progressu deficiat & debilitetur, hoc sua natura habet, vt initio celerius, quam circa finem, aut medium, idem mobile moueat: motus autem cœli est æqualis & vniformis: Ergo impossibile est naturaliter, vt impresso impetu efficiatur. Quia tamen Angelus non potest totius cœli substantiæ immediatè præsens esse (sic enim simul etiam facile in cœlo posset esse, & in terra) ideo fatendum est motum cœli ab vna certa parte, cui præsens est Angelus, inchoari, & sic per totum corpus eiusdem cœli consequenter diffundi; ita vt non quidem tempore, sed natura prius moueatur illa pars, cui præsens est: hæc vero secum alias, ob mutuam solidamque connexionem, quasi pertrahat, vt pluribus declarat Suarez *cit. c.* 31.

Assertio VII. Potest tamen etiam Angelus mediante corpore, seu instrumento corporeo, alteri corpori, mobili, impetum seu vim motiuam imprimere, & ita mediante impetu impressu mouere: idque reipsa necessario fit, quando Angelus mouens; mobili, dum ita mouetur, præsens non est Ita Suarez *ad* 1. *p. S. Thom. l. cit. de Ang.* & Metaph. *disp. loc. citat.* & consentiunt à fortiori Vasquez & Molina mox citandi. *Ratio est.* Quia quisquis per seipsum immediate potest aliquod corpus mouere, eo ipso etiã potest idipsum corpus violenter impellere in aliud corpus: vt ita huic impetus seu vis motiua imprimatur: Quibus consentiunt ea, quæ à spiritibus nocturnis nonnunquam factitari audimus, vt cum lapides, vasa, resque alias in ædibus hincinde proijciunt, & collidunt. Ex quo sequitur Angelos posse mouere corpora, non solum quasi portando, aut trahẽdo, sed etiam proijciendo, saltem medi- 13

h ante

ante alio corpore, tanquam instrumento, vt dictum.

14 *Assertio* VIII. An vero possit Angelus per seipsum immediatè corpori imprimere impetum, seu qualitatem motiuam, vel non, incertum est, & vtrumque probabile. Probatur & declaratur. Affirmantem enim sententiam tradunt Molina *ad 1. p. S. Thom. q.* 110 *a.* 2. & Vasquez *cit. d* 218. *num.* 9. & suaderi potest. Tum quia vtroque modo posse mouere corpus scilicet immediatè per se, & mediante impetu seu impulsu, cuiusdam perfectionis est, quę cum hominibus conueniat, non videtur deneganda Angelis, cum habeant virtutem motiuam multo præstantiorem, quam homines. Tum quia eiusdem virtutis esse videtur, mouere aliquid violenter, & qualitatem motiuam transeuntem ad hoc imprimere.

15 Negatiuam autem velut probabiliorem tuetur Suarez Metaph. *d.* 35. *sect.* 6. *n.* 24. *&* 25. tametsi *cit. l.* 4. *c.* 31. *à n.* 9. rem in medio dubiã relinquat, ratus vtramque partem esse probabilem. *Ratio est.* Tum quia ex communi Doctorum sententia, Angeli non possunt aliquid extra se efficere immediatè, præter motum localem, nō autem aliquam qualitatem, qualis est etiam impetus ille seu impulsus, qui nihil aliud est, omnium sententia, quam qualitas motiua. Tũ quia ex suo genere perfectior est modus ille mouendi per seipsum immediate quam mediante impetu, non solum quia magis connaturalis est, vt dictũ, sed etiam quia hac ratione motus ipse magis in potestate mouentis est eiusq; arbitrio plenius subiacet. Cum ergo Angelus facile possit omnia mouere immediate per seipsum, vt ex dictis colligitur, non opus habet vi productiua impulsus: præterquam quod ipsum etiam impulsum, si eo quandoque opus est, efficere potest saltem mediante alio corpore, velut instrumento, vt dictum: sicut etiam cæteras qualitates & formas, quas corpora per se ipsa immediatè producunt, Angeli non possunt producere, nisi mediantibus causis secundis vt dicetur. Ex quibus etiam patet responsio ad contraria fundamenta.

16 *Assertio* IX. Vis motiua Angeli determinata est, non solum quoad pondus mobilis, seu qualitatem corporis mouendi, si in motu resistentiam habeat: sed etiam quoad velocitatem motus, in quocunque demum mobili efficiendi: ita vt non possit Angelus naturaliter quodcunque velit corpus & quanta velit celeritate loco mouere, sed vt determinatam suisque viribus non imparem molem ea celeritate mouere possit, quæ naturali ipsius Angeli perfectioni respondeat. Ita ex communi & certa Vasquez *d.* 197. Suarez Metaph. *d.* 35. *sect.* 6. *& cit. l.* 4. *c.* 32. & Delrius *lib.* 2. *disquisitionum Mag. qu.* 16. vbi etiam contrarium damnasse fertur articulus quidam Parisiensis.

Ratio est. Quia virtus motiua Angeli finita est: Ergo determinata ad certam veluti quantitatem obiecti, & ve-

& velocitatis perfectione. Dixi tamen, *si mobile resistentiam habeat* : hinc enim tantum, & non ex ipsa præcise magnitudine mobilis petenda est limitatio & determinatio virtutis motiuæ. Quod si corpus resistentiam ad motum non habeat, vti est cœlũ, nil obstat : quo minus aliud maius etiam in infinitum syncategorematice ab Angelo moueri possit, vt recte Suarez *lo.cit.* & particulatim dicetur *disp.6 q.4.dub.3.ad 1.p.S.Th.* Sicut ob eandem causam diximus supra, posse Angelum non resistentem etiam superiorem à quolibet inferiori Angelo moueri.

E contrario, si mobile resistentiam habeat, vt habent omnia grauia, imo etiam omnia sublunaria, siue ex se, siue ex parte medij, fieri poterit, vt mobile tantæ sit resistentiæ, quæ ab Angelo naturaliter superari non possit, vti credibile est, reipsa ob hanc quoque causam, etiam abstrahendo à lege Dei hoc impediente, totam terram ab vno Angelo moueri non posse. Vti vero nonnulli docuerunt, posse Angelum seipsum maiori & maiori celeritate in infinitum mouere, eo quod resistentiam non habeat, ita existimat Suarez *hic* non improbabile, posse Angelum quali bet maiori celeritate in infinitum mouere cœlum, aliudue mobile, quod nullam resistentiam habeat: sed contrarium est verius, vt ipsemet fatetur: & suo loco dictum supra *disp. 5 q.2.du.8.ad 1.p.S.Tho.* De motu vero cælorum per Angelos pluribus agetur *d. 6.q. 4. dub. 3.ad 1.p.S.Thom.*

QVÆSTIO III.

Quid particulatim de translatione sagarum ad earundem conuenticula sentiendum: an vere, & qua ratione à diabolo transferantur.

Ad S.Thomæ p.1.q.110.art.3.

QVia generalis doctrina per se parum vtilitatis habet, nisi quo ad opus est etiam ad particularia, velut ad praxin possit applicari operæpretium est, illam multorum iudicijs ventilatam quæstionem, cum tradita hactenus doctrina coniunctam discutere, *An nimirum, & qua ratione sagæ seu striges, vtriusque sexus, à dæmone vere & corporaliter transferantur, ad nocturna illa, quæ omnium ore celebrantur, conuenticula, in quibus omnis generis nefaria crimina, nefandasque voluptates exerceant.* Quæ quæstio tametsi de sagis rite ferenda non parum habeat momenti, non tamen ad tribunalia iudicum, sed cathedras Theologorum ventilanda pertinet, vtpote ex principijs Theologicis potissimum, non ex fori legibus decidenda. 1

Sunt autem hac de re vniuersim *duæ* scriptorum sententiæ. *Prima* vniuersim negat, sagas siue striges vere & corporaliter ad eiusmodi conuenticula à dæmone transferri, rati eas translationes solum esse phantasticas, & delusiones imaginarias, à dæmone huic hominũ generi immissas 2

vt somnijs delusi existiment, se vere corporaliter à dæmone transferri, cum reipsa tamen domi immobiles perseuerent. Ita sentiunt non solum Acatholici Scriptores communiter Wierus, Godelmanus, Agrippa, & Sectariorum huius temporis Antesignani. Lutherus & Melanchthon, quos refert Martinus Delrius *lib. 2. Disquisit. Mag. qu. 16.* sed ex ijs etiam qui Catholicum nomen profitentur, non pauci Iureconsulti seu physici apud eundem, tum Itali, in quibus Ponzinibius, *lib. sing.* Porta, Alciatus, tum Galli, speciatim Duarenus, Ærodius, Michael Montanus, & ex Hispanis, F. Samuel *lib. sing.* Author Fortalitij, Martinus de Arles: denique ex Germanis, Philippus Camerarius, Vlricus Molitor, Leonardus Vairus, & alij.

3 Cuius quidem sententiæ fundamentum præcipuum petitur ex Iuris Canonici decreto, *Can. Episcopi 26. q. 5* qui tribuitur ibidem Concilio Acquirensi seu Ancyrano c. 1. Verba autem Canonis ita habent: *Episcopi, eorumque ministri, omnibus modis elaborare studeant, vt pernitiosam, & à Zabulo inuentam sortilegam magicam artem, ex parochiis penitus eradicent; & si aliquem virum aut mulierem huiuscemodi sceleris sectatorem inuenerint, turpiter dehonestatum de parochiis suis eiiciant. Ait enim Apostolus* (ad Tit. 3.) *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita; sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est. Subuersi sunt, & à diabolo captiui tenentur, qui relicto Creatore suo, diaboli suffragia quærunt: & ideo tali peste debet mundari sancta Ecclesia.* Hæc prima pars Canonis est. Sequitur altera.

Illud etiam non est omittendum, quod quædam scelerata mulieres, retro post Satanam conuersæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur, se nocturnis horis, cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum, equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus obedire, velut domina: & certis noctibus ad eius seruitium euocari. Sed vtinam hæ solæ in sua perfidia periissent, & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo, hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, & credendo à recta fide deuiant, & errore paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut Numinis, extra vnum Deum arbitrantur. Hæc est propositio de sagarum eius temporis crimine & infideli persuasione, sequitur decretum & constitutio, cui simul adiungitur ratio & declaratio. 4

Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas, populo Dei omni instantia prædicare debent, vt nouerint, hæc omnino falsa esse, & non à diuino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipse Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cuiuscumque mulierculæ ceperit, & hanc per infidelitatem sibi subiugauerit, illico transformat se in diuersarum species personarum, atque simili- 5

litu-

litudines, & mentē, quam captiuam tenet, in somnijs deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit: & cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hoc nō in animo, sed in corpore euenire opinatur. Ad confirmationem autem rationis spectant sequentia.

6 *Quis enim non in somnijs, & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiēdo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cum Ezechiel Propheta* (c.1.2.&c.) *visiones Domini in spiritu, non corpore vidit, & Ioannes Apostolus Apocalypsis Sacramentum, in spiritu, non in corpore vidit & audiuit, sicut ipse dicit, statim inquit* (Apocal.1.v.10.) *fui in spiritu. Et Paulus* 2. (Cor.12.) *non audet dicere, se raptum in corpore.* His denique subiungitur conclusio Canonis, in qua definitio repetitur & extenditur.

7 *Omnibus itaque publicè annunciandum est, quod qui talia, & his similia credit, fidem perdit, & qui rectam fidem in Domino non habet, hic non est eius, sed illius in quem credit, id est, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est,* (Ioan.1.v.3.) *Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior.* Ita Canon.

8 Ad quem, vt apparet, respiciens Burchardus *lib.19.c.de arte magica*, ita scribit: *Credidisti, vt aliqua fœmina sit, quæ hoc facere possit, quod quædam à diabolo deceptæ, se affirmant necessario & ex præcepto facere, id est, cum dæmonum turba, in similitudinem mulierum transformata (quam vulgaris stultitia Holdam vocat) certis noctibus equitare debere, super bestias, & in eodem se consortio annumeratam esse, si particeps fuisti istius incredulitatis, annum vnum per legitimas ferias pœnitere debes.* Ex quibus satis patet fundamentum primæ huius sententiæ.

Sed nihilominus vera & certa est contraria sententia; striges non raro etiam verè & corporaliter ad sua illa conuenticula à dæmone transferri. Ita 9
nunc habet communis Theologorū ac Iurisperitorum inter Catholicos sententia: quam ex Theologis tradūt Guilielmus Parisiensis *part. vlt. de vniuerso cap.*23. Abulensis *in c.*4. *Matth. qu.*47. Syluester *V. Hæresis n.*3. Caietanus 2.2.*q.*95.*art.*3. Alphonsus à Castro *de hær. punit. cap.*16. Sixtus Senensis *l.*5. *Biblioth. annot.* 73. Victoria *relect. de Mag. q.*7. Picus Mirandulanus *l.*3.*dialogo strix*, Angles *in* 2 *q. vn. de Mag art.*4. Binsfeldius *conclus.*11. Delrius *lib.*2. *Disquisit. quæst.*16 *& lib.*5.*sect.*16. & apud eundem ex Canonistis Turrecremata, Remigius, Grillandus, Basinus, Pegna, Arnoldus & Malleus Maleficarum; quos sequitur Nauarrus *Man. cap.*11.*numer.*28. Idem habet Inquisitorum fidei à summis Pontificibus constitutorum, & omnia in Italia, Hispania, Germania, Gallia, Ecclesiasticorum tribunalium communis sensus & praxis, vt videre est, tum

ex gestis & fama publica, tum ex diuersis Bullis Pontificum ad Inquisitores fidei conscriptis, speciatim Innocentij VI. Iulij II. Adriani VI. Clementis VII. relatis apud Binsfeldiũ *edit. vlt.* & Delrium *lib. 5. sect. 16.*

Idque probatur non solum constãti & concordi confessione ipsorum vtriusque sexus veneficorum; sed etiam alijs varijs aliorum experimentis & oculari inspectione, quibus fides sine temeritate denegari non potest, vt videre est apud citatos.

Quibus accedit Theologica ratio. Nam vt *q. 1. & 2.* probatum est, Angeli boni quam mali habent naturalem vim & potentiam corpora localiter mouendi, qua proinde etiam dæmones reipsa facilè vtuntur; sicubi & ipsi hoc suis rebus opportunum esse norint; & Deus, vt id faciant, permiserit: non est autem ratio, cur vniuersim Deus id fieri prohibeat: cum & olim in rebus alijs, & in seipso fieri hoc permiserit; & potestatem sæpè non minorem permittat dæmonibus, ad alia mala hominibus inferenda, vt in Energumenis videre est.

10 Cæterum qua ratione hæc veritas cum citato Canone conciliari possit, non eodem modo explicant authores. Nauarrus *loc. cit. Man. cap. 11. numer. 38.* citatum Canonem ita explicare videtur, vt communiter quidem & regulariter locum habeat: nihilominus in aliquo raro casu etiam oppositum verum habere possit. Ita enim cum hunc Canonem citasset, scribit: *Peccat mortaliter qui credit, veneficos, aut veneficas, vel striges corporaliter per aera vehi, ad diuersa loca, vt illi existimant. Quamuis credere, quod aliquando, licet raro, dæmon aliquas de loco in locum, Deo permittente, transportet, non est peccatum: & experientia Iudicum compertum est, in Germania, & traditur in malleo maleficarum & probatur rationibus late deductis ibidem.*

Ita Nauarrus; in quẽ sensum etiam citatum Canonem intellexisse videtur Caietanus *loc. cit.* quem pro se allegauit Nauarrus. Verum si Canonis mens fuit, penitus negare translationem, nõ licet exceptionem ab eo facere.

Alij verò putant, hunc Canonem non spectare ad nostri temporis striges; sed alias mulieres illas, quæ describuntur in eo Canone: quasi nostræ quidem corporaliter transferantur; non tamen de illis hoc sentire fas sit, ita definiente Canone.

Ita Alphonsus à Castro *l. 1. de punit. hæret. cap. 16.* sed reuera parua est differentia inter vtrasque mulieres; nec quoad translationem ratio vlla diuersitatis, cur illæ solum phantasticè, hæ reuera transferri à dæmone existimari possint, vt rectè etiam Vasquez *ad 1. p. S. Thom. disput. 184. cap. 3. num. 16.*

Alij vt breuius, & vndiquaque ab hoc Canone se expediant, putant,

hunc

hunc Canonem nullius auctoritati esse. Quod fuse persuadere conatur Delrius *libr. 5. Disquisit. Mag. sect. 6. & 16.*

11 Equidem de hac re sane graui & difficili ita iudico. *Primum* existimo, huic decreto Ecclesiastici Canonis authoritatem derogari non posse: quod his rationibus probatur.

I. Quia Canō hic corpori Iuris Canonici, & iā olim ab antiquo, & nouissime à Gregorio XIII. recognito & approbato, ita insertus est, vt nullo verbo aut signo, quod in alijs supposititijs fieri solet, ei Canonis Ecclesiastici authoritas abrogetur.

II. Quia glossa, alijsque Canonistis & interpretibus *ibidem* ita receptus est, vt nec vnus quod sciam Canonista eum repudiet, quem ita etiam, vti diximus, recipiunt Burchardus, Nauarrus *locis citatis*: nec Theologi hactenus eum repudiarunt; sed defendit recens etiam Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 16. num. 26.* nec dubitant Vasquez *ad 1. p. S. Thom. disputat. 184. cap 2.* & Valentia *disp. 4. q. 2. pun. 2.*

Durum est autem in materia propriè Canonica concernente, à communi Canonistarum omnium cæterorumque Doctorum sententia recedere.

III. Idem Canon prima etiam origine sua maximæ & vetustissimæ auctoritatis esse comprobatur; cum sit vel ipsius Concilij Ancyrani I. vt Gratianus, & communiter Canonistæ, & Doctores *in decreto ibidem* notarunt; non quidem vnus ex ordinarijs eius Concilij Canonibus, sed ex quadam appendice, seu generali decreto ab eodem Concilio edito, vt referunt Binius *tom. 1. Conciliorum* (vbi etiam Concilium illud Ancyranum refertur approbatum à Concilio Nicæno) & Caranza *in summa Conciliorum*, sub finem Concilij Ancyrani, vbi refert, id approbatum à synodo Trullana *capit. 2.* vel certe sit Damasi Papæ, è quodam Concilio Romano, vt sentiunt Baronius Anno Christi 314. & Binius *loc. citat.*

Quandoquidem prorsus similia leguntur in vita Damasi Papæ, quæ exstat Romæ, *in peruetusto de vitis Sanctorum Codice S. Mariæ Maioris*; vbi postquam reliqua relata essent ex synodo Romana, in qua Damasus Macedonium & Apollinarem damnauit, adiungitur, *anathematizatos in ea synodo esse, maleficijs, superstitionibus, & incantationibus seruientes*: ac simul, ne quis alio hoc trahat, expressa sit mentio earum mulierum, quæ putabant, *se nocturno silentio cum Herodiade, & vniuersa multitudine mulierum super bestias equitare, & multa terrarum spatia peragere*, vt refert recens quædam annotatio Gregorianæ editionis Decreti.

Et fieri etiam potest, vt Canon ille à Concilio Ancyrano dudum edi-

editus, denuo quasi renouatus, & ad praxin reuocatus fuerit decreto Damasi, & bene Suarez *loco cit.*

IV. Accedit, quod de mulieribus illis eadem habentur *tom. 3. Augustini lib. de spiritu & lit. cap.* 28. qui etsi non sit Augustini, sed authoris non paulo recentioris *est tamen liber doctus & pius*, vt censet Bellarminus *lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Augustino:* & multo verisimilius est, hūc auctorem ex illo decreto partem descripsisse, quam contra.

V. Denique nullum est firmum argumentum, quo probetur, Canonem illum suppositirium esse, imò nullum ferè aliud, quam quod à materiæ in eo decisæ & assertæ inconuenientia nouiter à nonnullis desumptum est; quod argumentationis genus ad conuellendam antiquorum scriptorum, & antiquitus receptorū authoritatem, & per se odiosum, & sæpè fallax, & hoc loco importunū infirmumque est; cum sine vllo absurdo illius doctrina recte explicari & defendi possit, vt mox dicetur.

Neque admittere aut credere possumus, quod sine sufficienti probatione asserit, an suspicatur Delrius *cit. lib. 5. sect. 6.* quædam quæ scilicet minus probantur, à Burchardo, vel alijs inserta; cum ea dudum ante Burchardum, siue in decretis ipsius Cōcilij Ancyrani, siue in vita Damasi, legantur; vt taceam auctorem libri de spiritu & litera *locis citatis.* Ex quibus omnibus concludimus, hunc Canonem, secundum id, quod in eo per se & principaliter intentum ac definitum est, planè habere vim Ecclesiasticæ regulæ. Et hoc est primum pronuntiatum, quod de hac re statuimus.

12 *Secundo dico*, priorem partem citati Canonis nihil habere difficultatis, sed plurimum vtilitatis & solidę prudentiæ: vt magi scilicet & venefici deprehensi *turpiter dehonestati*, ex Ecclesia seu fidelium cōgregatione eijciantur. Ex quo patet etiam crimen hoc iam olim à foro imprimis Ecclesiastico fuisse dijudicatum: id quod postea etiam Ecclesiæ praxis nō immerito obseruauit. Cum enim per se Magiæ, Infidelitatis, Idololatriæ, & sacrilegij crimina, quæ in veneficis præcipua esse solent, planè ad forum Ecclesiasticum spectent, ac simul etiam circa contra consuetudinem nefariam cum diabolo, aliorumq; maleficiorum perpetrationem, quā plures sæpè difficultates sese ingerant, quæ non solum prudentem Iuriscōsultum, sed & acutum quoque Philosophum, grauemque Theologum exercere ac dubium reddere possint, planè optandum videtur, vt præter humani Iuris peritorum prudentissimos quosque & pijssimos Iudices, etiam Theologus grauis & eruditus, tam graui ancipitique & periculoso Iudicio, quasi Inspector siue director adiungatur; eo saltem loco futurus, quo commode ab alijs cōsuli possit. De quo plura *Tractatu de processu aduersus sagas.*

Tertio. Sed & quod ad posteriorem eiusdem

eiusdem Canonis partem attinet, in qua de mulierum translatione agitur, cum omnes quidem fateantur; sæpenumero mulierculas illas præstigijs ac somnijs à diabolo immissis deludi, vt existiment, se verè transferri, cum reuera non transferuntur: illud mihi etiam simul persuadeo, non malè, nec imprudenter scripsisse Caietanum, & Nauarrum *locis citatis*, qui censent, sæpius quoad hoc deludi sagas, quam vere localiter transferri; quod etiam sentit Vasquez *d.* 184.*c.*3. etsi post Iaquerium, Sprengerum, Binsfeldium, contrarium sentiat Delrius *l.*5.*sect.*16.

Moueor his rationibus. I. Quia modus hic operandi, & per delusiones phãtasticas decipiendi hominẽ, magis est familiaris & consentaneus dæmoni, qui mendacij Pater est, & ab imposturis diabolus dicitur. Patet hoc in alijs eiusdem operibus, quæ erga sagas exercet, vt cum pecunijs, epulisque falsis & præstigiosis sæpissimè sagas decipit & ludificat. Et cum dæmon ex assensu & approbatione etiam phãtasticorum criminum parem propemodum fructum, in animarum perditione, Deique offensa positum, habeat, parum ipsius interest, virtuteue, vt ita dicam, an fraude vincat, animasque irretiat.

II. Delusio eiusmodi phantastica, facillima est diabolo, iuxta doctrinam generalem S. Thomæ 1.*p.* *q.* 111. *a.*3. & *q.*16. *de malo* *a.*11. præsertim circa id genus mulierculas pathicas & plerumque semifatuas, si non etiam, vt Caietanus loquitur, *insensatas ac melancholicas vetulas*. E contrario realis illa & corporalis translatio non leui etiam opere & labore cõstat diabolo: non solum quia iumenti quodammodo operam præstare debet tã vilibus propudijs; sed etiam quia in corporibus phantasticis compingendis, varioque adornando apparatu epularum, symphoniæ &c. vario opus est labore & industria.

III. Cum sine diuina permissione nihil horum à diabolo fieri possit, iure creditur, facilius à Deo permitti, vt somnijs & imaginationibus deludat sua mancipia, quam externa & reali translatione toties oblectet.

IV. Cum pleræq; ex strigibus sint matrimonio iunctæ, quæ in eodem cum viris thoro cohabitare solent, impossibile esset moraliter, si frequenter totis propemodum noctibus à viris abessent, quin earum absentia à viris notaretur: & tamen cum sæpè decem, viginti, triginta & amplius annis in eo statu veneficij viris cohabitarint, nunquam tamen audimus, à viris aut earum præsentiam fuisse desideratam, aut absentiam nocturno & suspecto illo tempore animaduersam. Dicere autem, quod mariti vel ab ipsis vxoribus sagis, vel à dæmone, immisso tam profundo somno aut somnio, vel etiam substituto vxoris loco, trabe aut phantastico corpore, & inter tot conatus nunquã fallente euentu, quasi pro arbitratu deludantur, videtur incredibile. Tũ quia patribusfamilias

quamplures facile seu ordinariæ seu extraordinariç solent occurrere causæ rumpendi somnum. Tum quia incredibile est, Deum facile & adeò frequenter permittere, vt innocui mariti, prçsertim etiam alieno corpore substituto, non sine peccati periculo, quasi pro arbitratu diaboli deludantur.

V. Multæ etiam ex his sagis, tum coniugatæ, tum solutæ puellæ, de nocte, tum ferreis clatris in fenestras inductis, tum occlusis foribus cubiculi, totiusque domus ita quasi obseptæ sunt, vt nec aperire promum sit diabolo fores, quin aliquis subinde strepitus audiatur; nec tamen nisi apertis ianuis educere possibile sit, vt inferius dicetur.

23. VI. Ipsçmet sagarum confessiones rem sæpe dubiam admodum reddunt. Tum quia non consentiunt in denuntiatione frequentationis conuenticulorum, quæ inter se complices ipsç celebrarint, & adiuerint; tum quia per rimas, fenestras, aut foramina tã angusta, sæpè etiã in aliena forma felis, aut muris, aut auis, à diabolo abductas se fuisse confitentur, vt nulla ratio permittat credere, eiusmodi translationes fuisse veras, & non phantasticas. Præterquam quod aliquæ frequenter, aliæ non nisi raro corporales fieri translationes, præsertim coniugatarum, asserunt.

VII Viri pij, docti, & prudentes, qui diu eiusmodi fœminarum confessionibus audiendis operam dederunt, partim & quidem non raro dubij & perplexi redduntur, an reuera ijs, quæ in hoc genere sibi contigisse asserunt sagæ, sit fides habenda; an potius delusæ somnia pro factis narrent; partim etiam manifestè experiuntur, non raro delusiones & somnia esse, quas ipsæ corporales translationes esse firmissime sibi persuaserunt.

In quo genere Caietanus, qui tamen vt apparet, non diu admodum hanc materiam tractauit, duo exẽpla notatu digna refert *cit. 2.2.q.95.art.3.* cuius verba referre placet: *Cõtingit*, inquit, *& secundum interiorem sensum apparitiones dæmonem causare, vel in alienatione à sensibus, siue per nimiam attentionem, accidit superbis contemplatiuis, qui à dæmone illuduntur in varijs imaginibus, siue per vnctionem corpoream, vt accidit his, qui ire se credunt, vespera quintæ feriæ, ad ludos Dianæ; vel similia diabolica Sunt enim hæc in imaginatione vt experientia teste visum est à fide digna persona; quæ mihi narrauit, se vetulam illam quæ promiserat, se ituram in suam cameram, nocte illa inuenisse nudam, in propria camera insensibiliter constitutam. Vnde & postea conuertit eam ex tali confusione.*

Ego quoque ab vna muliere amante quendam scio, quod diabolus vnxit eam nudam, suadens illi, quod sic duceret eam ad domum sui dilecti, & postmodum postquã fuit extra se multo tempore, & crederet se cũ dilecto suo fuisse, &c. inuenit se in suo loco. ita lassatam quod refocillatione indiguit. &c. Et nisi ego declarassem ei, quod imaginatio fuit, & ex tali imaginatione ita læsa esset, nescie-

nesciret forte vsque hodie, quod illud non fuerit in veritate. Ita Caietanus; & similia referuntur etiam apud Abulensem *in cap.13. Genes quaestion.* 354 Delrium alios, & ab ipso etiam Augustino *libr 18. de ciuit cap.* 18. Est ergo probabile, saepius hac in re deludi sagas, quàm verè transferri. Denique hoc saltem etiam probat authoritas citati Canonis; in quo idem etsi non definitur, tamen supponitur, vt dicemus.

14 *Quartò* nihilominus moraliter certum est, sagas quandoque ad eiusmodi conuenticula à diabolo verè transferri; neque id de nostris strigibus, iam ab annis circiter centum quinquaginta publice cognitis (vt post Bernardum Commensem notauit Delrius *cit. libr. 5. sect 16.*) vllo modo negari potest, vt *superius* probatum est. Neque desunt vtiles regulae, quibus eiusmodi phantasticae translationes à veris discernantur, vt videre apud Delrium *ibidem.* Sane quidem putandum minimè est, striges à daemonibus, è quibuslibet etiam occlusis locis ita transferri, vt muros ipsos, aliaue vlla corpora penetrēt: sed fit ea ex locis occlusis translatio, aut silenter celeriterque remotis, ac mox rursum repositis ianuarum repagulis, aut per caminum, seu fenestram, tali corpori saltem presse capiendo sufficientem; nonnunquam etiā forte tabula remota, ac denuo restituta; quod de muro fieri ita subito posse, non videtur. De qua re vide Petrum Tyraeum *de locis infestis*, & Delrium *libr. 2. quaest. 16. & 17.*

Quintò. Id verò, quod de reali translatione sagarū diximus, cū definitione Canonis citati non repugnare, ita declaratur. Mens enim & intentio Canonis eò minimè spectabat, vt definiret, an mulieres illae reipsa ad nocturna illa conuenticula à diabolo deferrentur; sed an eo modo deferrentur, quo mulieres illae deferri se iactabant, in ipsius Christianae fidei perniciem & contumeliam. Nimirum palam affirmando, se veluti ad diuini cuiusdam numinis commercium ac societatem adscitas, non à malo daemone raptatas, nec eo comite deductas, sed Diana Dea olim paganis celebrata siue Herodiade (ad Diuorum itidem felicitatem euecta) euocante ac honorifice ducente, bestijs quibusdam, ad hoc seruitium diuinitus destinatis, inequitantes, multarum terrarum spatia peragrare, noctesque certas in eius, siue Dianae, siue Herodiadis seruitio religiosè consumere.

Id quod cum alij quam plures, inquit Canon, impiè credant, *paganorum errore impie inuoluuntur; aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantes*: cum tamen haec prorsus sint falsa; eaque phantasmata, non à diuino, sed à maligno spiritu proficiscantur; qui in somnis varijs modis homines, praesertim mulierculas eiuscemodi, iam antea per infidelitatem sibi deuinctas, solet deludere, Quo fit, vt cum solus spiritus eius-

modi phantasmatum illusionem patiatur, mens iam illa infidelitate impiè præoccupata, ea non in animo, sed in corpore euenire opinetur.

Sed & aliorum etiam hominum nullus est, qui non plurimis visis & phantasmatibus in somno quandoque deludatur; neque tamen quisquam tam stultus est, qui hæc omnia (in somnijs scilicet visa) quæ in solo spiritu fiũt, etiam in corpore accidere arbitretur. Neque verò vel ipsorum etiam Prophetarum & Apostolorum, speciatim Ezechielis, Ioannis, & Pauli diuinæ visiones & raptus in corpore, sed in mẽte acciderunt: quãto ergo minus, mulierculas istas, vtcunq; diuini spiritus familiaritatem iactent, ipso etiam corpore verè à diuino quopiam Numine, in alienas terras rapi credendum est.

Palam itaque omnib. denunciãdum, eos qui talia, & his, quæ à mulierculis istis impiè iactantur, similia credunt, fidem perdere, ac in diaboli potestatem transire. Vnus est enim Deus, & Dominus, per quem facta sunt omnia. Quisquis ergo credit, aliquid fieri posse, aut creaturam vllã in aliam speciem, siue similitudinem posse transmutari, ab alio quopiam Numine, præterquam ab ipso vnico Creatore cœli & terræ, infidelis; & quia à vera fide Apostata, pagano deterior est. Hactenus Canonis sententia, quam ita etiam communiter tradunt Doctores, speciatim Turrecremata *in illum textum art.3.* Abulensis *in c.13 Gen, q.354.* Syluester *V. Hæresis 3.* Suarez *cit. tom.1. de relig. l.2. de superstit. c. 16 fin.* & fere Delrius *lib.5. sect.16.*

Atque hanc esse ipsissimam mentem, & quasi paraphrasin Canonis illius, quoad posteriorem illam partẽ, ex ipsis verbis Canonis apertè intelliget, quisquis hãc interpretationem cum ipso Canone voluerit conferre: præsertim quando in eo tam aperte Dianæ, paganorum Deæ, fit mentio; simulque dicitur, muliercularum istarum, aliorumque similium persuasionem, fuisse *cum perfidia & infidelitate coniunctam, & errorem paganorum inuoluisse; cum aliquid diuinitatis aut Numinis, extra vnum verum Deum arbitrarentur.* Item cum in ipsa definitione Canonis asseritur, *talia phantasmata non à diuino, sed à maligno spiritu mentibus fidelium irrogari.* Vbi vides, definitionem Canonis eo non spectare, vt ea translatio quoad substantiam habeatur phantastica; sed vt à diuino aliquo eiuscemodi spiritu profecta nõ credatur. 16

Et mox quidem in modo diabolicæ deceptionis explicando, ea ratio initur, qua ipsa etiam translatio phantastica esse significetur: potuisset enim alias Canon dicere, trãsferri quidem illas subinde, at non à diuino, sed à maligno spiritu, Dianæ aut Herodiadis speciem assumente: verum illud nec definitur; sed solum vt ratio & modus facilis rem definitam explicandi additur; qui vt plurimum fortassis etiam in illis mulierculis à diabolo fascinatis locum habebat; nec vspiam asseritur, 17

transf-

translationem veram à diabolo nunquam fieri, sed non fieri ab aliquo Numine gentilitio, vti secum fieri mulierculæ illæ palam gloriabantur. Quæ proinde tametsi quoad ipsam substantiam criminis, ipsorumque etiam diabolicorum conuenticulorum impiam celebrationem, cum nostris strigibus planè conuenirent: tamen ea gloriatione & sacrilega iactatione alieni Numinis à nostris differebant: tametsi nostræ quoque striges cum vnius veri Dei fidem abiurent, & dæmonis cultui ac venerationi se se addicant, vtique alium quoque Deum, nempe diabolum ipsum, sibi pro numine constituant: sed quem tamen palàm velut Deum profiteri & iactare non audent.

18 Quo fit, vt neque Burchardus, neque Nauarrus *locis supra citatis*, mentem Canonis satis assecuti fuerint; neque tamen ex eo quicquam argumenti desumi possit, ad probandum, striges nostri temporis à diabolo ad conuenticula illa magica, quantumuis diffita non transferri.

QVÆSTIO IV.

An etiam sit in Angelo naturalis vis seu potentia productiua alicuius substantiæ vel qualitatis: & quid speciatim de sagarum conuersione in varias formas animalium, tempestatumque noxiarum concitatione sentiendum.

S. Thomas 1. p. q. 110. a. 1. & 2.

DE hac re sequentes assertiones statuo. *Assertio* 1. Non est in Angelis potentia, immediatè aut per se productiua vllius substantiæ; quare nec possunt ipsi vllam formam substantialem per se ac propria virtute producere. Ita Sanctus Thomas 1. *p. quæstione* 110 *artic.* 2. Bonauentura *in* 2. *distinct.* 8. *part.* 1. *artic.* 2. *quæst.* 2. Albertus *dist.* 7. *art.* 8. Ægidius *quæst.* 3. *art.* 1. Richardus *art.* 4. *quæst.* 1. Durandus *quæst.* 4. Scotus *d.* 8. *quæst. vn.* Argentina *quæst.* 1. *art.* 2. Bassolis *quæst. vn.* Ferrariensis 3. *cont. gent. cap.* 103. omnesq; recentiores; quam idcirco etiam Vasquez *disp.* 218. *cap.* 1. vocat *concordem Scholasticorum sententiam*; & Suarez *ad* 1. *p. S. Thom. de Angel. libro* 4. *cap.* 25. *nu.* 4. ait, *eam sine magna temeritate non posse negari.* quicquid & Plato olim dixerit apud Augustinum *lib.* 12. *de ciuit. c.* 24. Angelos ex præiacente materia produxisse res corporeas: alijque nonnulli hæretici apud Irenæum & Epiphanium contra hæres. damnati idcircò in Concilio Bracharensi I. *can.* 8. *&* 12 & forte etiam notati ab Apostolo *Colos.* 2. *vers.* 8. *&* 18. creationem etiam quarundam substantiarum Angelis tribuerint. Contra quem errorem disserit S. Thomas 1. *part. quæst.* 44. *art.* 1. & *quæst.* 45. *art.* 1. *&* 5. & *qu.* 61. *art.* 1 *& quæst.* 65. *art.* 1. *&* 3. 1

Probatur assertio primum authoritate. Ita enim videtur definitum in Concilio Bracharensi *cit. can.* 8. vbi dicitur *Si quis credit, quod aliquantas naturas diabolus in mundo fecerit: tonitrua & fulgura, & tempestates & siccitates, ipse diabolus* 2

authoritate sua faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Et can. 12. speciatim de plasmatione hominis: *Si quis plasmationem humani corporis, diaboli dicit esse figmentum, & conceptiones in vteris matrum, operibus dicit dæmonum figurari, propter quod resurrectionem carnis non credit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Quanquam cum hoc loco directe agatur contra Manichæos & Priscillianistas, qui hasce creaturas tanquam opera diaboli incusabant, meus fortassis non fuit, vniuersim negare, Angelos habere potestatem aliquam Deo primo authori subordinatam per se producendi aliquas substantias. Huc spectat etiam Canon *Episcopi 26. quæst. 5.* ex Concilio Ancyrano citatus *dub. præced.* quem ad hoc propositum etiam adducit Vasquez *loc. cit. n. 5.* Idem docent Ambrosius *lib. 1. de fid. cont. Arian. cap.* 8. & Augustinus *lib. 12. de ciuit. c. 24. & lib. 3. de Trinit. c. 7.* & S. Leo *epist. 93 ad Turibium cap. 8.* & fauet etiam Aristoteles 7. *Metaph. cap 6. à text. 22.*

Secundo probatur ratione I. Quia ad
5 has formas producendas, sunt aliæ causæ naturales per se constitutæ: & quidem non subordinatæ Angelis: Ergo neque necessaria est hæc vis agendi in Angelis, neque recte eis attribui potest: Tum quia vt natura in necessarijs non deficit, ita nec amat superflua, præsertim plures causas secundas & particulares, toto genere diuersas, & inter se non dependẽtes, ad eosdem effectus per se producendos destinando. Tum quia cum Angeli sint superioris naturæ, quam agentia corporea, sanè si ipsi per se haberent vim producendi substantias seu substantiales formas, par esset, vt agentia corporea illis subordinarentur.

II. Non est ratio, cur Angeli has potius formas substantiales, in se eminentèr contineant, adeoque per se producere possint, quam alias, siue loquamur de formis actu existentibus, siue de possibilibus; omnes autem in se continere eminenter, solius Dei proprium est.

III. Substantiæ naturales omnes, producunt substantias mediantibus accidentibus velut instrumentis naturalibus; ac sua natura necessariò actiuis & productiuis suorum effectuum; in Angelis autem nulla talis potentia est cogitabilis, præsertim quæ per se possit producere tam varios effectus; cum in ijs non sit alia potentia ad extra operatiua, quam potentia locomotiua, cui tam varij ac diuersi, imo etiam contrarij effectus attribui non possint; cum adæquatus eius actus sit motus localis.

IV. Accedit ratio S. Thomæ *citat. qu. 110. artic. 2.* Quia vna substantia non potest producere aliam corpoream substantiam, nisi vel totam illam eminenter contineat, vt Deus, vel habeat similitudinem cum effectu, saltem in modo essendi, seu compositionis substantialis ex materia & forma; vt sunt substantiæ corporeæ: quorum neutrum inuenitur in Angelis: Ergo, &c.

Asser-

4 *Assertio II.* Angeli per se non possunt etiam producere vllum accidens, seu qualitatem materialē corruptiuam. Ita cum Sancto Thoma, Richardo, Bonauentura, Argentina, Durando, Ferrariensi, locis citatis, ex communi, Gregorius de Valentia *ad 1. p S. Thom. disp. 8. quæst. 5. punct. 1.* Molina *ibid. quæst. 110. a. 2.* Fonseca *lib. 7. Metaph. c. 7. qu. 7. sect. 1. & 3.* Vasquez *disp. 218 cap 3.* Suarez *Metaph disputation. 35. sect. 6 & 1 p. S. Thom. de Angelis libro 4. cap. 26.* Probatur tum alijs rationibus pro præcedenti assertione adductis: tum quia si Angeli possent per se & propria virtute hæc accidentia producere: possent etiam per hæc ipsa producere formas substantiales; cū hæc accidentia sint naturalia instrumenta, siue dispositiones, ad producendam formam substantialem, verbi gratia, calor cum siccitate ad producendum ignem.

5 *Assertio III.* Angeli etiam per se non possunt producere vllam qualitatem materialem intentionalem sensibilem, puta lumen, aut species sensibiles. Ita citati. Et ratio sumitur tum *ex assertione prima.* Tum quia hæ qualitates, magis quam reales aliæ, ex sua propria ratione, certam causam efficientem deposcunt. Tum quia absurdum est dicere, Angelum posse per se illuminare aerem, absque alio corpore luminoso; item posse producere species visibiles, vel audibiles, sine obiecto; aut sonū sine vlla aeris percussione; hæc enim planè sunt incredibilia; & quæ si admittantur, facile aperire viam poterunt, vt Angelis etiam plures aliæ præternaturales actiones tribuantur.

Assertio IV. Angeli etiam per se non possunt producere ad extra vllam qualitatem, seu accidens, præter, vbi, seu motum localem; eiusue impetum. Ita cum Sancto Thoma & communiori veterum ac recentiorū Gregorius de Valentia, Molina, Vasquez *locis citatis*; etsi contrarium sentiant primum Thomistę quidam, qui dum docent, cum Sancto Thoma *in 2. dist. 15 quæst. 1. artic. 2.* Angelos nonnunquam agere per corpora tanquam instrumenta, etiam eleuando illa ad agendum aliquid vltra naturalem virtutem corporum, aiunt, hoc fieri per impressionem virtutis, quæ sit qualitas quædam intentionalis, vt docent Soncinnas *7. Metaphys. quæst. 25.* & alij nonnulli Thomistæ. Alij docent, posse ab Angelo produci ad extra saltem qualitates quasdam intentionales spirituales, vt lumen intelligibile, conceptus, species intelligibiles; vt retulimus *ad 1. p. S. Thom. disput. 5 quæst. 3 dubio 2. 5 & 6.* & in his etiam Suarezium, tametsi *hoc loco cit. capite 26.* nullam eius rei mentionem faciat. *Ratio est.* Tum quia accidentia materialia non producuntur nisi à causis materialib. ob dictam superius rationem: accidētia intentionalia nō nisi ab obiectis, vel à causa eminenter cōtinēte ipsa obiecta, vt est Deus; vel etiā ab intellectu quidē, seu agēte, seu possibili, sed actione solū immanēte. Speciatim vero cōtra instrumentariā 6

illam,

illam virtutem ratio est. Tum quia si Angeli producerent in corporibus eiusmodi qualitates instrumentarias ad operandum, vltra naturalem virtutem corporum, tum necesse foret, eos esse caussas principales eiusmodi effectuũ: quod ipsimet authores isti negant. Tum quia nulla opus est virtute eiusmodi instrumentaria; cũ ad eiusmodi effectus mirabiles & extraordinarios producendos Angeli tãtum applicent actiua passiuis, nec ad eos adeo aliud conferant, quam conditionem sine qua non; qua posita, agentia naturalia sua virtute eos effectus producunt, vt recte Molina *loco citato*, & dicetur assertione sequenti.

7 *Assertio* V. Possunt tamen Angeli, applicatione agentium naturalium, seu causarum secundarum, in rebus naturalibus efficere, quicquid per easdem causas naturales effici potest: & tum ob celeritatem applicandi, tum ob solertiam miris modis eas inter se contemperandi, admirabiles sæpe effectus producere, qui secundum ordinarium alioqui naturæ cursum fieri non possent. Ita Sanctus Thomas *quæst.* 110. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. *& art.* 4. *ad* 2. 3. *&* 4. & cum magistro *in* 2. *d.* 7. omnes Doctores. *Ratio est.* Quia vt dictum *seu quæst.* 2. *&* 3. Angeli possunt naturali virtute summa celeritate mouere corpora localiter, & quia cognitionem omnium rerum naturalium habent, ea singulari solertia & artificio inter se commiscere, vt mutua eorum actione effectus ipsis agentibus & dispositioni materiæ proportionati admirabiles inde exoriantur. Qui tamen effectus non ideo simpliciter sunt miraculosi, cum sane in virtute naturali causarum naturalium contineantur; sed solum secundum quid, & quoad nos, vt dictum *dub.* 2. *q.* 1. De qua re eleganter & erudite disputat Augustinus *citato libro* 3. *de Trinitate c.* 7. 8. 9. 10.

Assertio VI Non igitur possunt dæmones, siue Angeli, hominem seu corpus humanum conuertere & transmutare in bestias, seu corpora bestiarum: ac proinde transmutationes illæ strigum in varias formas brutorum: puta luporum, felium, bufonum, ranarum, auium, &c. non sunt veræ conuersiones, sed apparentes tantum, & fictitiæ. Ita Sanctus Thomas 1. p. *quæstione* 114. *articulo* 4. *ad* 2. Caietanus, & Thomistæ *ibidem*. Petrus Tyræus *de spirituum apparitionibus cap.* 14. Delrius *libro* 2. *qu.* 24. & communis Doctorum, quos citauimus pro assertione secunda. 8

Probatur primo ex Augustino *libro decimo octauo de ciuit. capite decimoseptimo, & decimo octauo*, vbi hoc ex instituto docet & probat. Cum enim *cap.* 17. obiectionem de Circe proposuisset his verbis: *Hoc Varro vt astruat, commemorat alia non magis incredibilia, de maga illa formosissima Circe, quæ socios quoque Vlyssis mutauit in bestias, & de Arcadibus, qui sorte ducti transnabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum similibus feris, per illius regionis deserta viuebant. Si vero carne non* 9

vesce-

sterentur humana, rursus post nouem annos, eodem renatato stagno, reformabantur in homines.

Et *capite decimo octauo* addit sui temporis historias; *Nam & nos*, inquit, *cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi stabularias mulieres, imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent seu possent viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, & necessaria quæque portarent postque perfuncta opera iterum ad se redirent; nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque seruari: sicut Apuleius in libris, quos asini aurei titulis inscripsit sibi ipsi accidisse, vt accepto veneno, humano animo permanente, asinus fieret, aut indicauit, aut finxit.* Ad hæc respondet ipse *loc. cit. cap. 18. Hæc vel falsa sunt, vel tam inusitata, vt merito non credantur.* Et infra: *Nec sane dæmones naturas creant si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à vero Deo sunt creata commutant, vt videantur esse, quod non sunt.* Et addit: *Non ita solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti: &c.*

Secundo probatur ratione. Tum quia,
10 vt dictum, Angeli non possunt per se, aut formas substantiales, aut vlla accidentia materialia & corruptiua producere; sine quibus tamen ista conuersio fieri non potest; nec omnino quicquam in hoc genére possunt efficere, nisi quod vi causarum naturalium earumque applicatione effici potest: at vero vt citò ac subitò, ac solo alicuius V. G. casei aut veneni gustu, corpus humanum in bestiale vere & realiter transmutetur, nulla ratione fieri potest. Tum quia etiamsi per causas naturales, aut etiam immediate per ipsos Angelos, posset subito ita in aliam figuram & temperiem commutari humanum corpus, fieri tamen non posset, vt anima humana illud informaret; vtpote quæ certam, & humani quidem corporis, non bestialis, figuram ac complexionem & dispositiones requirit; ideo enim cum ab his dispositionibus notabiliter dimouetur status humani corporis, mori hominem necesse est: postquam autem anima semel à corpore separata est, non potest denuo vlla virtute naturali ad corpus informandum reuocari; alioqui posset Angelus naturaliter mortuos ad vitam reuocare, &c.

Fieri igitur eiusmodi transmutationes videntur tantum, (prætér- 11
quam quod nonnunquam mera figmenta sunt, vt de asino Apuleij, & similibus non immerito censet Plinius *lib. 8.*) siue quia sola phantasia strigum dormientium, aut etiam quandoqne vigilantium à dæmone deluditur, vt existiment se esse, quod non sunt, vti etiam in Lycanthropiæ morbo accidere docet Pomponatius *libr. 2 q. 28.* siue quia dæmon effigiatũ ex aere bruti corpus sagæ, aut sibiipsi, loco sagæ per phantasiam delusæ, circũdat; vulnera simul vulneribus, in apparente bruti corpore, alicunde forte illatis, similia in corpore sagæ

infligendo; siue quia aliquando etiã homini veras bruti eximias circumponit; aut verum animal, loco soporati vspiam, ac somnio delusi venefici hominis substituit, agitatque, vt ferè etiam docet Augustinus *citat lib.* 18. *de ciuit. cap.* 18. & pluribus persequuntur citati, atque etiam Alensis 2 *part. q.* 43. *mem.* 3. *a.* 1. & Gabriel *in* 2. *d.* 8. *quæst* 1. *art.* 2. 3.

12 *Nec obstat*, quod vxor Loth, eiusue corpus, in statuam salis conuersa est. *Genes. cap.* 19. *v.* 26. quodque Nabuchodonosor ad vitam & victum bestiarum redactus, *Daniel.* 4. *vers.* 30. *Primo* enim hæc non virtute Angelica, sed diuina facta sunt; neque impossibile est quicquam in hoc genere Deo, vt etiam notauit Augustinus *cit. cap.* 18. *Deinde* quod ad Nabuchodonosorem attinet, verius est eius corpus non fuisse transmutatũ substãtialiter in corpus bestiale; sed potius in humano corpore ad vitam seu victum bestiarum translatum, vt indicatur *cit. loc. Dan.* vbi dicitur: *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium*: manente nimirum nihilominus figura & idiomate humani corporis.

13 *Assertio* VII. Possunt quidem Angeli seu dæmones seu sponte sua, seu per sagas externo aliquo symbolo ac quasi tessera fidei datę euocati, DEO permittente, tẽpestates noxias ciere: adeoque imbres, grandines, pruinas fulmina, typhones, procellasque excitare vel immittere: at non nisi applicatione & interuentu causarum secundarum & naturalium, aut etiam per solum motum localem. Ita iuxta Sanctum Thomam *citata qu.* 110 *art.* 4. *ad* 2. communis Doctorum apud Binsfeldium *quæst.* 4. *& in lib.* 4. *Cod. de Malefic. & Mathem* & apud Delrium *libro* 2. *qu.* 11. contra Senecam *lib.* 4. *qu. natur.* vbi negat hanc potestatem sagis ac dæmonibus. Sed res adeo certa est, tum ex confessionibus sagarum: tum alijs argumentis, vt sine temeritate non possit negari.

Probatur primo ex Scriptura Iob. 1. *v.* 16. & 19. vbi narratur ex Satanæ procuratione ignem, seu fulmen de 14
cœlo lapsum, tactas oues puerosque consumpsisse: & rursus ventum irruisse à regione deserti, & concussisse quatuor angulos domus, oppressis liberis ipsius Iobi. Item *Apocal.* 7. *versu* 1. referuntur quatuor Angeli *stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram*. Et *capite decimoquinto, & decimosexto*, septem Angelis committuntur septem plagæ nouissimæ. Vbi speciatim *capite* 16. *vers.* 17. dicitur: *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno dicens, Factum est. Et facta sunt fulgura & voces, & tonitrua, & terra motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, &c.*

Deinde idem confirmat ratio. Quia 15
Angeli per se quidem res aut qualitates corporeas non possunt producere,

cere, ex dictis *assert. 2 & seq.* attamen possint causas secundas ad eas efficiendas applicare, vt dictum *assertione quinta.* Quod in præsenti materia facile ipsis esse, ita ostenditur. Etenim materiam quidem vaporum exhalationumque facile est ipsis, aut iam productam aliunde celerrimo motu adducere, vt accidit *Iob. 1. versu decimo nono;* aut subinde, fauente præsertim cælo, in cauernis terræ, montiumque recessibus, vbi etiam aquæ calidæ, item nitri, sulphuris, & aluminis copia est, igne excitato, nouaque adeo agentium naturalium applicatione producere. Ex parte vero causæ efficientis, aliud opus non est, quam vt dæmon eiusmodi materiam ad eam aeris regionem, plerumque mediam euehat; in qua tum causæ superiores, tum calor aut frigus circumstans, vim suam ad efficienda eiusmodi meteora ex subiecta materia requisitam, aptè exercere possint. Ad quam rem conferre potest tum certa figuratio & collocatio vaporum, exhalationumque, respectu radiorum solis; maiorque vel minor, in eadem media regione aeris, eleuatio: tum obseruatio syderum, & aspectuum, ad eiusmodi tempestates ciendas idoneorum: quarum rerum dæmon est scientissimus. Nec impossibile videtur, vt serenissimo etiam cœlo tonitrua à dæmone excitentur, sola concussione & commotione aeris, ab eodem profecta; sicut nec vt lapis, aut viscosa aliqua exhalatio in altum eleuata, accensa, non accensa: aut etiam particula quædam solius aeris violento motu, fulminis instar, ab eodem in terras eiibretur: etiam nulla interueniente alia causa secunda motum ciente.

Nec obstat Concilij Bracharensis *Canon 8. superius assert. 1.* citatus. In eo enim solum negatur, diabolum eiusmodi tempestates excitare propria *sua authoritate:* hoc est per se & independenter à permissione diuina, sicut Priscillianus dixerat. 16

Dixi vero *in assertione*, dæmonem aliquando à sagis euocatum hoc facere: quia sagæ vtcunque ollam suam commisceant vel affundant, hoc non faciunt, nec quidem per modum applicantis actiua passiuis, sed vt Sanctus Thomas *citat. quæst. 110 articulo 4. ad secundum*, ex Augustino *lib. 83. quæst. 79* dicit, hæc magi per dæmones faciunt; seu per pactum initum cum dæmone; quia iuxta pactum, externo illo symbolo euocatus, adest, & postulatum effectum, mediantibus causis secundis operatur, vt dictum.

QVÆSTIO V.

An & qua ratione possint Angeli assumere corpora; & per ea actiones vitæ exercere.

S. Thom. 1. p. q. 51. a. 2. & 3.

HAbet hæc res difficultatem nō paruam, præsertim quando particulatim ad dæmones cū strigib. 1

negotiantes applicatur. Difficulter enim explicari potest assumptio illa corporum tam frequens, tam subita, tam ad sensum solida, vt non solum à sagis, velut genuina hominum aut bestiarum corpora, videri & tangi: sed & omnis libidinis cum ijsdem exercendæ instrumenta esse possint, vti ex confessionibus sagarum est manifestum: similis ratio est bonorum Angelorum, quando ab hominibus contrectari se permiserunt, vt in tribus Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, in Angelo Tobiæ, & similibus accidit. Quæ res proinde etiam valde dubium habuit Augustinum *in Enchiridio cap.59.*

2 *Ratio difficultatis est.* I. Quia hoc dæmones facere non possunt, nisi vel insessione agitationeque verorum animalium: quod tamen de hominibus aut humanis corporibus, nemo facile dixerit: de alijs bestijs vniuersim nec dixit hactenus quisquam: nec est ratio asserendi: vel per nouam productionem seu formationem phantasticorum corporum, mediante motu aut etiam actione naturalium agentium: vti quidem communiter fieri existimatur. Cum autem actio hæc omnis fiat, interuenientibus qualitatibus primis, puta calore, frigore, humiditate, siccitate: contemperationeque secundarum; inprimis densitatis & raritatis: quarum actio aut mixtio omnis, quia inter contraria est, successiua est, qui fieri potest, vt momento quasi, omnibusq; promiscue locis, hæc omnia à diabolo aut fi[a]t, aut fieri videantur; corpo[rum], inquam, humani figmentum cum [tot] organorum varietate & distin[]ctione, sine qua corpus humanum tactus præsertim, & oculorum iudicio, nec videri quidem potest?

II. Aut si hæc omnia ita facile fi[eri] possunt, cur magi Pharaonis non potuerunt suis incantationibus efficere sciniphes? *Exod.8.v.18.*

III. Cur nullum agens naturale fuit hactenus visum, quod elementa resue alias in humanam speciem ita subitò conformare posset?

IV. Qua ratione Christus à mortuis resurgens, adeo diserte vel ipso tactu verum corpus à phantastico discerni posse docuit? *Videte*, inquit, *manus meas, & pedes: quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc.24. v.39.

V. Cur ipse etiam cibi assumptione, se verum esse hominē demonstrauit? *Ibid.v.43.* Hæc sunt, quæ difficultatem faciunt.

Assertio I. Certū dogma est, Angelos, seu bonos, seu malos, vere aliquando 4
assumere corpora, præsertim humanæ figuræ: in quibus appareant. Ita docent omnes Scholastici, cum S. Thoma *cit.q.51.a.2.* & cum Magistro *in 2 dist.8.* excepto Vdalrico, qui putat eiusmodi apparitiones solum fieri per illusionē phantasię & sensuum; & citat pro eadem sententia Albertum Præceptorē suū, apud Dionysiū Carthusianū *cit.dist.8.q.1.* cum tamen Albertus *in 2.d.8.ar.2. & in opere de qua*[…]

tuer costuis 1.p q.9 art.10 & 11. & in sum. tractat. 9. quæst. 32. expresse docuerit os pontum, vt etiam ex parte notauit *ibidem* Carthusianus.

Probatur assertio primo ex Scriptura, quæ sæpius eiusmodi corporum assumptionem ab Angelis factam tradit. Ita enim tres Angeli apparuerunt Abrahæ, in specie virili; qui etiam comedisse ab eo visi; ac postea Sodomã ingressi, vltrice flamma nefandum scelus expiarunt. *Genes.18.vers.9. & c.19.vers.13.* Ita Gedeonem Angelus, in humana specie, ad bellum contra Madianitas animauit, & victoriam prædixit, *Iud.6.vers.14.* Ita rursum Angelus apparens Manue, eiusque Vxori, Samsonis cõceptionem, Philistæorumq; internecionem prænũtiauit, *Iud.13.vers.3.& 12.* Ita Angelus humana specie assumpta, Tobiam iuniorem in Rages ciuitatem Medorum duxit, & reduxit, visus palam manducare & bibere. *Tob.5.vers.25.& cap.12.vers.19.* Ita Christo nato, Angeli exultantes Pastoribus apparuerũt *Luc.2.vers.9. & 13.* Angeli quoque Christi resurrectionem, in vestibus albis apparentes, mulieribus denuntiarunt, *Matth.28.vers.5. Marci 16.v.5. Luc.24.vers.4 Ioann.20.vers.12.* Angeli item duo, virili forma, Christi ad cœlos ascensum, & futurum aduentum ad iudicium Apostolis denuntiarũt, *Actor.1.vers.10.* Item Angelus Petrum ex Hierosolymitano carcere mirabiliter eduxit, *Actor.12.vers.7.9.10.* Denique Christum malus Angelus humana vtique forma indutus tẽtauit, *Matth.4.v.3.*

Huius autẽ generis apparitiones non contigisse per solam imaginationem, seu delusionem sensuum, sed verè ipsa etiam externa specie & forma, ex eo optimè probat Sanctus Thomas *citata quæstione 51. articulo secundo,* quia visa imaginaria, cum interius peragantur, non promiscuè videntur ab omnibus, sed solum ab eo, qui talem habet imaginationem. Idẽ est, si quis ab Angelo sine obiecto sensibili, externos sensus ludificari posse existimet, siue per impressionẽ specierum, sine obiecto; siue per trãsmissionem specierum sensibilium, quæ sunt in phantasia, ad sensus exteriores, qui ab eiusmodi speciebus ita immutentur, ac si reuera à rebus externis ad eos deriuarentur, vt cum S.Thoma *in 2.distinct.8.quæst.vn.art.5. ad 4.* fieri posse existimat Gregorius de Valentia *disput.4.quæst.2.punct.2.ad 1.p.S.Thom.* Quia & tunc ludificatio hæc non fit generatim ex parte principij alicuius communis, sed particularis; quæ proinde ludificatio, per se & ex suo genere non est, nec esse facilè potest communis omnibus. De qua re plura Richardus *in 2.dist. 8.art.2.quæst.3.* & Angles in Floribus *super 2.p.1.quæst.vnic.* de dæmonibus. 6

Secundo probatur assertio ex Sanctis Patribus. Ita enim docet Tertullianus *in libro de carne Christi;* Athanasius *serm. 4.contra Arian.* Gregorius *hom.34.in Euang.* Isidorus *libro primo de sum.bono capit.12.* Bernardus *serm.5.in Cant.* Damascenus *libro 2.d.fid.cap.3.& 4.* vbi cum addit κατὰ φαντασίαν non lo- 7

 quitur

quitur de interiori sensu phantasiæ, sed de externa apparentia, vt idē sit, quod *secundum apparentiam*, vt cū Billio rectè Valquez *disput.* 184. *capit.* 1. Idem sæpè docet Augustinus præsertim *libro tertio de Trinit. cap.* 10 *&* 11. *& libro* 15. *de ciuit. capite* 23. vbi ait: *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ non solum videri, verum etiam tangi possent, verissima Scriptura testatur*: idque adeò multorum experimentis confirmant, *vt hoc*, inquit, *negare impudentia videatur*. Nec obstat Epiphanius *contra hæres.* 26. vbi ait: *Quomodo potest dæmon, qui spiritus est immundus & incorporeus, corpora assumere?* Loquitur enim iuxta subiectam materiam, de corpore vitali, quo veræ animasticæ operationes exercerentur, vt Gnostici fabulabantur.

8 *Ratio sumenda est*; tum ex rei possibilitate, de qua infrà; tum ex *fine*. Quamuis enim, vt docet Sanctus Thomas 1. *p. S. Thom. quæstione quinquagesima prima, articulo secundo ad* 2. *Angeli non indigeant corpore propter seipsos*, tamen si boni sunt, vtuntur corpore assumpto propter nos, vt familiariter cum hominibus conuersando, *demonstrent intelligibilem societatem, quam homines expectant, cum eis habendam in futura vita*; vel vt similitudinibus rerum sensibilium, repræsententur hominibus *intelligibiles Angeli proprietates*, vt dicit idem Sanctus Thomas *ibidem ad* 2. *& articulo* 3. *ad* 1. *&* 2. aut si mali sunt, faciunt hoc, vt sensibili ac familiari repræsentatione sui tanto magis decipiant homines, deceptosque in sua potestate retineāt, ad exitium sempiternum perducendo.

Assertio II. Assumptio hęc corporū non fit per hypostaticam, aut vllam substantialem vnionem eorundem cum Angelis; aut per solum motum localem, seu coniunctionem nudam eorū in ratione mobilis; sed fit ea corporum assumptio, quatenus Angeli corpora sibi coniungunt, tanquam motoribus repræsentatis per corpus mobile assumptū. Ita Sanctus Thomas *citata quæstione quinquagesima prima, articulo* 2. *ad* 2. vbi ait: *Corpus assumptum vnitur Angelo, non quidem vt forma, neque solum vt motori; sed sicut motori repræsentato per corpus mobile assumptum. Sicut enim à sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium sub similitudinibus rerum sensibilium describuntur, ita corpora sensibilia diuina virtute sic formātur ab Angelis, vt congruant ad repræsentandum Angeli intelligibilis proprietates. Et hoc est, Angelum assumere corpus.* Ita Sanctus Thomas, idemq; docēt omnes Scholastici *ibidem vel in* 2. *dist.* 8. contra Tertullianum *loco citato*, vbi indicat, corpora hypostaticè assumi ab Angelis. 9

Ratio est. Tum quia vnio substantialis corporis, velut materiæ cum forma, est impossibilis in Angelis, vt qui sunt formæ & substātiæ perfectæ & completæ ex *disp.* 5. *q.* 1. *ad* 1. *p. S. Tho.* Idem de hypostatica etiam vnione verius esse suo loco docetur 3. *part.* Tum quia finis & vsus eiusmodi assumptionis, non postulat vllam substantialem coniunctionem; cum præsertim assumptiones illæ ordinariè 10

riè non nisi breui admodum tempore durent.

Nec tamen sufficit quælibet corporis coniunctio velut mobilis cum motore; sic enim non rectè dicerentur Angeli in assumptis corporibus apparere: neque etiam Angeli dicũtur assumere cœlos, etiamsi eos moueant; nec dæmones assumunt corpora strigum, dum eas transferunt; nec Energumenorũ corpora, etiamsi ea obsideant & moueant; nec si per magiam efficiant aliqua corpora, aut ea moueant, verbi gratia, immittẽdo fulgura, concitando ventos, assumi corpora hæc dicuntur ab Angelis, etiamsi ab his moueantur.

Necesse est ergo, vt corpus & cum Angelo coniungatur velut mobile cum motore; & vt ob peculiarem aliquam similitudinem per illud, & in eo ipso corpore Angelus repræsentetur, tanquam præsens & inexistens motor; ita vt coniunctũ ex corpore & motore illo dici possit Angelus: siue ob *similitudinariam vnionem materiæ & formæ*, vt cum Aureolo *in 2. distinct.* 8. *artic.* 1. docet Suarez *citato libro* 4. *ca.* 36. siue quia Angelus eo corpore quasi vestitus ac personatus apparet. Qua de causa nubes aut ignis Israelitas, motore Angelo præcedẽs, nõ dicitur ab eo fuisse assumptus; sed quidem serpens à dæmone in paradiso, &c. vti etiam hodie hircorum, aliorumue animalium corpora assumere dicitur, quãdo inter striges apparet; quantumuis hæc vnio ad Angelum solummodo dicat respectum rationis, vt ex communi docet Suarez *ibidem*.

Assertio III. Verius est, ipsum etiam Deum, in vtroque testamento, non nisi ministerio Angelorum apparuisse, ita vt Angeli in assumptis & à se formatis corporibus Deum repræsentarent. Ita Gregorius de Valentia *disputatione* 4. *quæstione* 2. *punct.* 2. *ad* 1. *p. S. Thom.* Vasquez *ibid. disput.* 185. & est communior sentẽtia Sanctorum Patrum, in quibus speciatim Dionysius *cap. quarto cœl. hierarch.* Hieronymus *in illud Galat.* 3. *Ordinata per Angelos*, Cyrillus *libro octauo thesauri capite* 2. Gregorius *libro* 28. *Moral. capite secundo*, & ex instituto Augustinus *libro tertio de Trinitate capite vndecimo, & libro quarto, cap. vltim. & epistol.* 102. tametsi contrarium sentiant Eusebius *lib.* 1. *demonstr. Euang c.* 5. *& lib* 5 *c.* 10. *&* 11. Chrysostomus *homil.* 16. *in Acta* ad illa verba *capite* 7. *Expletis annis quadraginta*, & Theophylactus *in eundem locum*; rati, non omnes huiusmodi apparitiones factas fuisse ministerio Angelorum; quod speciatim etiam de columba, & alijs eiusmodi apparitionibus noui testamenti, docet auctor operis imperfecti *in c.* 3 *Matthæi*. 11

Probatur assertio ex collatione Scripturarum, vt benè deducit Augustinus *cit. c.* 11. *lib.* 3 *de Trinit.* Nam *Exodi* 3. legimus, Deũ apparuisse Moysi in rubo ignis, & E[illegible] 19. dedisse Moysi legẽ, & tñ eadẽ Scriptura docet, apparitiones has factas esse ministerio Angelorũ, *Gal.* 3. *v.* 19. *Lex per Angelos ordinata est in manu mediatoris*, & Heb. 2. v. 2. *Si enim* 12

qui

qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus. Et Stephanus *Actor. 7. vers. 35.* discrete asserit, *Angelum apparuisse Moysi in rubo*. Et nihilominus tamen Deus ipse dicitur apparuisse; quia non in persona Dei, sed in persona Dei, Angelus in corpore à se formato apparebat & loquebatur; quod in alijs Angelorum apparitionibus non fiebat.

13 *Ratio est*. Quia hoc ex vna parte erat facile Angelo; siquidem corpora illa non erant viua, sed ex aëre formata, vt inferius dicetur, id quod de colũba etiam verius est, cum Augustino *libr. 2 de Trinitate cap. 5.* Chrysostomo *homil. 12 in Matth.* & Caietano *part. 3. quæst. 39. art. 7.* probabilius sentit Valentia *loco citato*, etsi post Tertullianũ *libro de carne Christi*, Ambrosium *libro de ijs, qui initiantur, capite 4.* contrarium sentiat Sanctus Thomas *3. part. quæst. 39. artic. 7.* Ex altera parte id magis conueniebat, tum ob maiestatẽ Dei, cuius personam dignius repræsentabat Angelus, quam sola creatura insensibilis: tum ob consuetam subordinationem causarum mediarum, inter causam primam, & causas inferiores, hoc est, Angelorum, inter Deũ & homines.

14 *Assertio IV.* Angeli communiter nõ assumunt viua aut vera hominum, seu aliorum animalium corpora; sed veris ac viuis externa specie similia; quæ sibi plerumque ex impuro aëre, seu vaporibus & exhalationibus nubibusue aëri admixtis formãt; idque virtute propria & naturali. *Primam partem ex communi tradit Sanctus* Thomas *1. p quæst. 51. art. 3. in corp.* vbi vniuersim negat, posse Angelos exercere opera vitæ per assumpta corpora. Et *in respons. ad 1.* supponens, assumpta corpora non esse viua, docet id fieri posse absque fictione: *Sicut enim nõ est contra veritatem*, inquit *quod in Scriptura intelligibilia sub figuris sensibilibus describuntur, quia hoc non dicitur ad astruendum, quod intelligibilia sint sensibilia, sed quod per figuras sensibilium proprietates intelligibilium secundum similitudinem quandam dantur intelligi: ita non repugnat veritati sanctorum Angelorũ, quod per corpora ab eis assumpta videntur homines viuentes, licet non sint. Non enim assumuntur, nisi vt per proprietates hominis, & opera hominis spirituales proprietates Angelorum, & eorum spiritualia opera designentur. Quod non ita congrue fieret, si veros homines assumerent: quia proprietates ipsorum ducerent in ipsos homines, non in Angelos.* Ita S. Thomas.

Idem communiter docent cæteri Theologi veteres ac recentiores, *locis citatis*, & pluribus Tyræus *lib. 1. de spirit. apparit. cap. 9. num. 166.* Delrius *lib. 2. disquisit. quæstione vigesima octaua, sect. 1.* & Suarez *citato libro quarto, capite vigesimo quinto*, post Augustinum *in Enchirid. capite 59. & libro 2. de Trinit. cap. 2. & lib. 3. cap. 2.* & Damascenum *loco citato* contra Tertullianum *lib. 3. contra Marcionem cap. 9. & 11. & libro de carne Christi cap. 6.*

Ratio est. Tum quia viua animalia perfecta ab Angelis subitò ac de nouo fieri non possunt, nec per applicationem quidem causarum secundarum;

darum; sicut nec verum corpus humanum, extra vasa naturalia generationi destinata. Tū quia ad propositum Angelis scopum, opus non est viuis aut veris eiusmodi animalium corporibus: quando communiter breui rursum sunt dimittenda. Tum quia Deus tam facilè non permittit, vt dæmon, etiamsi velit, vera animalia suis Dominis subducat, aut ijs pro libitu ad sua sacrilegia abutatur.

Qua de causa etiam existimādum non est, posse dæmonem defuncti alicuius hominis cadauer assumere, nisi fortè cadauer alicuius hominis damnati, in casu raro & extraordinario, vt notarunt Tyræus & Delrius *locis citatis*: quod ita etiā fieri posse, & quandoque reipsa fieri, docet Sāctus Thomas 1.*p.quæst*.117.*art*.4.*ad* 2. cum Augustino *lib*.10 *ciuit.cap*.10. & Chrysostomo *homil*.29 *in Matth*. & sequitur ex communi Suarez *cit.lib*.4.*c*.37. *n*.5.*& cap*.35.*nu*.5. Sicut etiam verius videtur, serpentem illum, in paradiso, primorum parentum seductorē, à diabolo assumptum, fuisse verū serpētem; nec incredibile etiam, bestias dæmonem repræsentantes, quibus sagæ inequitantes per aera vehūtur, nonnunquam esse veras & viuas bestias; quando, vt refertur, nonnunquam ex eiusmodi transportatione catti ex aere decidere visi sunt. Sed hæc rarius contingunt: & idcircò in assertione dixi *communiter*.

13 Ex quibus etiam sequitur secūda pars assertionis; quæ ita magis declaratur. Etenim quando corpora ab Angelis assumpta non sunt ipso tactu exploranda, facillimus & maximè obuius modus formandi & assumendi corpus aliquod est ex impuro aere, seu habitu aeri mixto ad instar nubis condensato; hic enim & magis obuius est, & facilè quamuis figuram recipit, ac ad nutū dissipatur. Atq; ita etiam speciatim de impuro aere docent S. Thomas *quæstione* 51.*artic*. 2. *ad* 3. & Durandus *in* 2.*distinct*. *&* S. *quæst*. 1. item Bonauentura *in* 2. *distinction*. 8. *part*.2.*articulo* 2.*quæstione* 2. Richardus *articul*.1. *quæstion*.3. Scotus *quæstion*. 1. Gabriel *quæstion*.1. *articul*.2. quos sequuntur Vasquez *ad* 1.*p*. *S. Thom*. *disputat*. 185. *cap*.4. & Suarez *cit. libro* 4. *cap*.34. contra nonnullos, qui ex cœlesti materia corpora hæc assumi docuerunt, in quibus Isidorus *lib*.1. *de summo bono cap*.10. & Beda *libr. variar. quæst*.9. sed qui bono sensu explicari possunt de aere. Nec dissentiunt Alensis 1.*part*. *quæst*.34. *memb*. 4. & Albertus 2.*part.tract*.9.*quæstion*.33.*memb*. 2.*& in lib. de quatuor coæuis* 1.*part*.*quæstio*. 9.*articul*.11. nisi quod hi etiam de aere puro loquuntur, quibus, loquendo de bonis Angelis, fauent Isidorus *lib*.1.*de sum.bono cap*.12.*numer*.19. & Beda *citat*. *lib*. *qq*. *quæst*. 9. Nec obstat, quod aer, cum sit liquidus, nullius certæ figuræ aut coloris tenax est: *Licet enim*, inquit Sanctus Thomas *citat.articulo secundo ad tertium, aer in sua raritate manens non retineat figuram, neque colorem; quando tamen condensatur, & figurari, & colorari potest; sicut patet in nubibus.*

16 Quamuis autem Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus & Gabriel *locis citatis* dicant, condensationem illam fieri sola compressione & motu locali partium intra seipsas, absque alia alteratione; difficile tamen videtur intellectu, quomodo id naturaliter id fieri possit sine penetratione. Quare etiam Vasquez *l.c. disputat.* 184. *cap. quarto*, rem hanc dubiam relinquit; Suarez verò *numero sexto* concedit, aliquando interuenire alterationem.

17 Dixi tamen *plerunque*; quia quando corpora ipsa ab Angelis assumpta durabiliora esse debent, ac ipso sagarum, vt fit, contactu sunt exploranda, verius est, solum aërem halitumque non sufficere, vt recte Molina *quaestion.* 51. *artic.* 2. *disput.* 2. Delrius *lib.* 2. *quaest.* 28. *sect.* 2. *contra Chirlandum de sortilegijs q.* 1. & Angles *in* 2. *d.* 8. *q.* 2 quibus consentire videntur Suarez *l.c. lib.* 4. *cap.* 35. *numer.* 8. & Vasquez *ibid. disputat.* 184. *capit.* 3 *&* 4. qui diuersitatem inter partes assumpti corporis, quoad duritiem & mollitiem, solum referunt in maiorem vel minorem resistentiam ipsius Angeli respectu tactus; quod in diuturno & vario attactu eiusdem corporis videtur difficillimum, & moraliter impossibile.

Verius est igitur eo casu, praeter aërem, iungẽdam praeterea aquã, terram, lutum, sulphur, resinam, lignum &c. forte etiam accedunt quandoque à cadaueribus animalium damnatorumque hominum ossa; vti etiã subinde verũ à brutis hominene decisum semen, iuxta S Tho. 1. *p q* 51. *ar.* 3. *ad* 6. aliaque similia, è quibus inter se vtcunque coagmentatis, iunctisq; multo facilius citiusque daemon, etiam sine alia diuturna actione, alteratione que physica, speciem humani corporis cõfigurare potest, quam ex praesupposita materia, vlla dexterrimi artificis cuiusque manus, vt recte citati. Plura de hac formatione Alẽsis 2. *p. q.* 43. *mem.* 3. *art.* 1. & Gabriel *in* 2. *d.* 8. *q.* 1. *art.* 2. *&* 3.

Tertiam partem cum Alberto & Bonauentura loc. cit. tradit Vasquez *cit. disp.* 184 *cap.* 4. & Suarez *cit. lib.* 4. *c.* 37. *à n.* 7. contra Alensem 1. *p. quaest.* 34. *memb.* 5. & vt apparet S. Tho. *cit.* 1. *p. q.* 51 *art.* 2. *ad* 3. vbi ait, *Et sic Angeli assumunt corpora ex aere, cõdensando ipsum virtute diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.* Quod ita etiam tradit Petrus Bergomus *in Concordant. dub.* 117 *Ratio est* Tum quia alias conuenientius quodammodo Deus per seipsum ea corpora formaret, praesertim quando ille ipsemet in eiusmodi corporibus apparet. Tum quia cum saepius mali Angeli corpora assumant, idque ad fines pessimos, non est credibile, Deum propria virtute & speciali concursu illa formare: imo Suarez *loc. cit.* putat id esse impossibile, & plane alienum à diuina bonitate. Denique non apparet, cur id naturali virtute Angelorum fieri non possit, vt ex dictis colligitur; nisi forte in extraordinario casu tam perfecta & eximia corporis formatio fiat, 18

tanta-

tantaque membrorum soliditate & pulchritudine, vt vires Angelicas plane excedat; vti fieri posse, & fortè factũ esse in Angelo Gabriele, alijsue Angelis, qui apparuerũt Abrahæ, vel Iacob, & Tobiæ, cōcedit Suarez *cit. c. 27 n* 8, vbi etiam in eundem sensum S. Thomam non incommode explicat, quasi S. Thomas, de bonis nimirum Angelis solũ locutus, dicere voluerit *quoad opus est, virtute diuina*, &c.

19 *Assertio* V. Nō possunt tamen Angeli naturali virtute tam perfecta efformare & assumere eiusmodi hominum & animalium perfectorum apparētia corpora, quin à veris plurimũ distēt; nec difficulter adeò, præsertim accuratori tactus experimento discernantur. Colligitur ex S. Th. 1. *p. q.* 51. *art.* 3, *ad* 2. & tradũt communiter Doctores locis citatis, speciatim Vasquez *cit disp.* 184. *c.* 2. & Suarez *cit. lib.* 4. *c.* 35. *n.* 10. & optime Caietanus 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. vbi speciatim de dæmonibus loquens, his verbis rem explicat: *Frequenter accidit*, inquit, *vt cum dæmones in assumptis corporibus humanis apparent vigilantibus, conuersentur cum eis familiariter, colloquentes & concumbentes; quandoque etiam munera vera offerentes eisdem. Non enim habent veras carnes, & vera ossa*, (nisi forte aliunde ascita, vt dictum) *nec membra; sed carnis & membrorum similitudinem, non solum visibilem, sed palpabilem & solidam, ita vt sentiantur tanquam humanæ personæ, vt à multis fide dignis, ex propria experientia narrantibus audiui. In duobus tamen deficere ab humanis percepi corporibus. Primo in temperamento carnis. Nam confessus est ipse mendacij pater, cum eius caro, quasi glacialis, molesta esset tactui humanæ carnis, se non posse melius facere. Non potest enim sic commiscere naturalia, absque vera generatione hominis, vt carnem humanam efficiat. Et simili ratione non potest semē humanũ efficere, propter perfectionem horũ, & similium effectuum, requirentium propria naturalia actiua perfecta. Et ex hoc patet, quod verissimum est, quod Christus post resurrectionem suam dicit, Palpate & videte, quia spiritus seu dæmonium carnem & ossa non habet Ioann.* 20. *& Luc. vltimo. Secundo* (deficit corpus à dæmone assumptum) *in delectatione tactus & concubitus. Est enim tanto personarum humanarum commixtio naturalis delectabilior, quanto verum excedit verisimili.* Ita Caietanus.

20 Et ratio est; quia ars perfectè naturam exprimere non potest, præsertim quoad eiusmodi effectus tam perfectos, & miram contemperationem partium corporis viuentis, non solum quoad qualitates primas, sed etiam secundas, vt densitatem, raritatem, duritiem, mollitiem, læuitatem, asperitatem, colorem, odorem, &c.

Taceo, quod vt ex Alexandro ab Alexandris *lib.* 4. *genial. capit* 19 Rhodigino *libro* 16. *lect. antiq.* & Remigio *libro* 1. *dæmonolat.* docent Binsfeldius *de Confess. malef. prælud* 12. Delrius *libro secundo, quæstion.* 28, *sect.* 3. & Suarez *citat. libro* 4. *cap.* 35. plerumque effigiē humani corporis à diabolo assumptam, parte aliqua apparere mancam,

aut monstrosam, insigniterue horridam, vocemque stridulam, obscurã, confusamque; velut è dolio fractaue olla prodeuntem.

21 *Assertio VI.* Angeli per assumpta corpora non exercent vllas veras actiones vitales & animasticas: adeoq; proprie nec comedunt, nec generãt, nec loquuntur, nec ambulant; etsi opera vitalibus his actionibus similia exerceant. Ita S. Thomas *1.p.q.51.a.3. corp & ad 2.3.4.5.6.* Caietan^9. Molina, & omnes Commentatores *ibidem*; itẽ Vasquez *disput.186.cap.2.* & Suarez *cit. lib.4.capit.38.* Et prima pars est communis Doctorum *in 2. distinct.8.* *Ratio est.* Quia ad operationem vitalem, quæ per corpus exercetur (de qua solum in præsenti sermo est) requiritur, vt sit à principio vitali intrinseco & substantialiter coniuncto ipsi corpori, per quod eiusmodi operationes exercentur: quod in præsentĩ non fit, quia Angelus non est substãtialiter coniunctus corpori; nec corpus ipsum, cum sit expers vitæ, habet vllam potentiam vitalem, nec vllas actiones, quę recipiantur in subiecto viuente à quo procedant.

Secundæ parti contradicunt quidem nonnulli Doctores, saltem quo, ad modum loquẽdi. Etenim Alensis *2.p.q.35.memb.2* Scotus *in 2.dist.8.q.vn.* & ferè Gabriel *quæstion.1.art.3.dubit.2.* docent, Angelum in assumpto corpore verè posse comedere; sed cum S. Thoma verius negant Bonauentura, Richardus, & alij Doctores cõmuniter *in 2.dist.8.* & Scotus ipse *in 4.dist. 45.q.vn art.5.* & Clitouæus in Damasc. *lib.2 c.3.* E diuerso Bonauentura, *in 2. dist.8.part.1.art.3.q.2.* Angelis tribuit verum motum progressiuum & ambulationis, quod cum S. Thoma verius negant Scotus *in 2.cit dist.8.* adeò, vt etiã secunda illa pars sit cõmunior inter Scholasticos; quamuis vt notauit Gregorius de Valentia *ad 1.p.S.Th. disp.4.q.2.pun.3.* hæc ferè tantum sit quæstio nominis, de qua nõ magnopere etiam disputandum censuit Augustinus *lib.15.de ciuit.cap.22.*

Ratio est. Quia comedere, generare, loqui, ambulare, seu motu progressiuo moueri, proprie nõ significãt meram actionem transeuntem, secundũ se & materialiter acceptã, vt est V.G. sumptio & traiectio cibi, productio qualiscunque substantię viuẽtis, formatio alicuius soni in aere, motus localis; sed significãt has actiones cum modo vitali, atq; adeò vt procedũt à principio vitali intrinseco & substãtialiter coniuncto; quod in Angelis deest, vt dictũ. Alioquin enim etiam vẽtus, dum casu format sonũ articularem in aere, loqui diceretur: & ignis aut mare comedere cibum, quem ad interiora recipit, & transmittit, &c. 22

Ex quibus facile patet tertia pars assertionis. Quia vt iuxta S. Thomam *loc.cit.* recte notarunt Vasquez & Suarez *locis citatis, duo* sunt genera actionũ vitalium: *vnum* earum, quæ etiam secundum se & substantiam suam non possunt esse nisi à principio vitali, vt sunt operationes sensuum: *alia*, quæ secundum substantiam ipsam, seu 23

quoad

quoad suum terminum materialiter spectatum, non sunt vitales, nec adeo requirunt principium vitale; sed solum sunt vitales quasi quoad modum seu specificam rationem, vt sũt illæ, quas diximus; nimirum locutio, deambulatio, manducatio, itemque risus, fletus, & fere generatio. Prioribus non possunt Angeli similes actiones producere; quia cum etiam quoad substantiam sint vitales, nulla actio non vitalis potest illis proprie esse similis. At vero actionibus posterioris generis, possunt Angeli interueniente motu locali similes actiones producere; vt allisione aeris ad corpus, certo modo conformatum, vocem locutioni similem producere; item in assumpto corpore, moto illo pedum simulachro, motum animalis progressioni & ambulationi similem conformare; cibum quoque factitio ore sumere, ac masticare, & quasi per fauces in viscera, seu interiora corporis assumpti traijcere; multo etiam artificiosius omnia hæc repræsentando, quam olim caput Buconis loquelam, aut Architæ columba volatum repræsentauit; cum tamen interim in his nec sit vera locutio, nec vera ambulatio, nec vera manducatio, vt dictum, &c.

24 Paulo diuersa est ratio generationis animasticæ: cuius terminum etiam secundum se & materialiter spectatum, cum Angeli propriè ac per se efficere non possint, sed solum per accidens, applicãdo actiua passiuis, idcirco nec ipsi propriè ac per se exercere possunt actũ generationis, aut generationi reipsa similem: sed solum exterius per motum localem applicando actiua passiuis, nimirum semen à viro acceptum transfundẽdo in matricem mulieris, causa esse per accidens generationis; ita quidem, vt etiam inde proles generetur, quæ tamen non propterea dæmonis, sed hominis qui semen emisit, & feminæ quæ recepit proles sit, vt post Augustinum *lib.15.de ciuit.cap.* 23. & li. 3.*de Trinit.cap.*8. recte S. Thomas *cit.q.*41.*a.*3.*ad*6. Bonauentura, Scotus, Carthusianus, Gabriel *in* 2.*dist* 8. Castro *lib.*1 *de iusta heret.punit.c.*16. Medina *in* 1.2.*q.*72.*artic.*1.*& Suarez cit lib.*4.*capit.*38.*num.*10 *& alii.*

Atque hæc causa est, cur Angelus *Tob.*12.*v.*19 dixerit: *Vide[...] quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu vtor.* Abraham autem *Genes.*17. cum cibos offerret Angelis, eos Angelos esse necdum cognouerat: *in quibus tamen Deum venerabatur, sicut solet Deus esse in Prophetis*, vt post Augustinum *l.*16. *de ciuit. c.* 29. dicit S. Thomas *cit. artic.* 3. *ad* 5. Alia ratio fuit Christi Domini, qui cum post resurrectionem cibum vitalibus organis, veraque actione vitali assumpserit, atque ad stomachum transmiserit, vere ac proprie comedit, tametsi eum non concoxerit, aut in suam substantiam conuerterit: quod ad propriam manducationem minimè requiritur, vt habet communis cum S. Thoma *cit.a.*3.*ad*5. & pluribus persequitur Suarez *cit.l.*4.*c.*38.*n.*17.*&*18.

26 Ex quibus fere etiam colligitur responsio ad difficultates & rationes dubitandi initio propositas. *Ad primam*, n. patet solutio ex assert. 4. & 5.

Ad 2. de Magis Ægyptiacis respódeo, eos non potuisse ope dæmonis efficere sciniphes, siue defectu dispositionum naturalium, siue potius Deo impediente. In quem sensum Augustinus *lib. 3. de Trinit. cap. nono ait: Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia maior aderat dominatio prohibendi per Spiritum sanctum; quod etiam ipsi magi confessi sunt, dicentes, Digitus Dei est hic.*

27 *Ad* 3. ex comparatione agentium naturalium petitum, *Respondetur*, Angelos ad hæc corpora effigianda multo maiori facultate pollere, quam vlla alia agentia naturalia vel artificiosa; ob vim singularem motiuam, & penitissimam cognitionem rerum naturalium, vt dictum *assert. quarta & 5.*

Ad 4. patet ex *assert.* 5. responsio. Siquidem tactus experimento moraliter certum & euidens esse poterat, corpus Christi rediuiui, verum & naturale corpus esse, vt recte etiam post Caietanum 2. 2 *q.* 95. *artic.* 3. Vasquez *citat. disp.* 184. *cap.* 2. *num.* 12. & Suarez *cit. lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 11. *&* 12.

28 *Ad* 5. *Respondeo*, solum quidem per se esum non fuisse sufficiens signum veri ac naturalis corporis; sed alijs tamen signis additum merito augere poterat eiusdem rediuiui fidem. In quem forte sensum etiam Sanctus Thomas 3. *part quest.* 55. *articulo sexto* docet, singula illa argumenta resurrectionis per se non fuisse sufficientia, bene tamen coniuncta cum testimonijs Prophetarum. Quanquam aliud est resurrectio, aliud absoluta præsentia veri & viui corporis. &c. Sed de hac re suo loco plura.

QVÆSTIO VI.

An & qua ratione Angeli generalem ordinem & statum huius mundi immutare, causarumque naturalium efficientiam suspendere vel impedire possint.

S. Thomas 1. p. q. 110. a. 1. & 2.

NOn agit quidem hac de re Sanctus Thomas ex instituto his locis; at quia tamen ad multa explicanda necessaria est, quæ diabolus per striges aut magos factitare videtur, *faciendo* V. G. *vt magi reddantur inuisibiles, vt ignis subiectum stramen non comburat. &c.* operæ pretium est eam breuiter explicare.

Assertio 1 Non potest Angelus substantialem statum huius Vniuersi destruere; aut vniuersalem seu essentialem rerum naturalium ordinem immutare: quare nec potest vacuum, aut penetrationem corporum efficere; nec cœlum aut stellam aliquam ad terram detrahere: nec terram vniuersam ad cœlum attollere, aut suo loco dimouere; nec vniuersalem elementorum situm peruertere; aut integrum aliquod elementum destruere;

struere: nec solis astrorumue cursum turbare; nec lumen præsentis solis sine medio intercipere; nec influxũ cœli impedire: nec intrinsecas & naturales rei proprietates tollere: adeoque nec naturales causarum naturalium actiones, positis omnibus ad agendum requisitis, impedire: solus Deus negato concursu necessario suspendere eas potest. Ita supponunt passim Theologi, vbi de his rebus agunt: inprimis Sanctus Thomas 3 *p. quæstion* 13 *articulo secundo*, vbi etiam animæ Christi talem potestatem negat, secundum propriam naturam & virtutem, siue naturalem, siue gratuitam. Et 1. *p. qu.* 110. *art.* 2. negat materiam corporalem obedire Angelo ad nutum. Quibus locis idem docent Theologi, speciatim Suarez *ibidem & metaph. disputat.* 19. *sect.* 1. *nu.* 14. & *disput.* 43 *sect.* 4. *& cit. lib.* 4. *cap.* 27. *num* 6. vbi ait; *Cum ordo vniuersi certis Dei legibus definitus sit, Angelus simpliciter vniuersi ordinem inuertere non valet.* Eandem doctrinam habent Guilielmus Parisiensis *in* 2. *part. de Vniuerso*, Albertinus *tom.* 1. *quæst.* 1. *Coroll.* 2. & Delrius *lib.* 1 *&* 2. *disquisit.*

2 In eundem sensum Augustinus *libro tertio, de Trinit. cap.* 7. *&* 8. ait: *Non est putandum istis transgressoribus Angelis, ad nutum seruire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi & spirituali sede incommutabilis iudicat.* Et cap. 9. *Aliud est*, inquit, *ex infimo ac summo causarum cardine condere atque administrare creaturam; quod qui facit, solus creator est Deus.*

Ratio assertionis est. Quia quædam ex his superant naturalem virtutem omnis agentis creati: quædam etsi forte non superent: tamen iuxta constitutam legem & ordinationem Dei, de statu vniuersi huius conseruando vsque ad finem mundi, iuxta promissum illud factum ad Noe *Genes.* 8. *vers.* 22. *& cap.* 9. *vers.* 11. *& decimo tertio.* Angelis non permittuntur: vt Verbi Gratia *sistere cœlum, aut cursum solis, vel astrorum perturbare*: quare etiam cœlos mouere dicuntur per modum naturæ. Et conuenientissimum erat vt status & ordo vniuersalis mundi soli authori Deo subiaceret: sicut vniuersalis regni status à solo Rege dependet, qui solus etiam vniuersales regni leges figit & refigit. 3

4 Quanquam idem Augustinus *ibidem* inferius sentiat, difficillimum esse, particulatim definire, quid Angeli per naturam possint, & Deo prohibente non possint. Ait enim: *Quid autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus cõmemorat dicens: Alij diiudicatio spirituum. Nouimus enim hominem posse ambulare, & nequaquam hoc posse, si non permittatur: volare autem non posse, etiamsi permittatur. Sic & illi Angeli quædam possunt facere, si permittantur ab Angelis potentioribus ex imperio DEI; quædam vero non possunt, etiamsi ab eis permittantur: quia ille non permittit, à quo illis est talis naturæ modus,*

modus, qui etiam per Angelos suos & illa plerunque non permittit, quæ concessit, vt possint. Ita Augustinus.

5 Nihilominus, quia Angeli ad extra nihil possunt efficere, nisi motum aut quod ex motu naturaliter sequitur, vt superius dictum, facile est intelligere, ab ijs naturaliter effici non posse penetrationem corporum, nec vacuum: præsertim quando hæc vniuersalis natura rerum respuit: cui Angelus minime dominatur: vti neque influxum cœli, aut actionem causarum naturalium, omnibus ad agendum positis, impedire. E contrario, quia Angeli naturaliter, & quantum est ex intrinseco operationis modo, libere cœlum mouent: neque natura sua ad tantam præcise velocitatem, aut hanc vel illam rationem motus, determinati sunt, vtique possent sua natura & naturalis viribus cęlum aliter mouere, aut omnino sistere, si diuina lex & ordinatio non obstaret: quæ etiam communiter prohibet alia multo minora, ne ab Angelis effici possint. Possent enim Angeli, vt recte ait Suarez *hic loc. cit.* si nudam facultatem naturalem spectes, animalia occidere, arbores eradicare, montes transferre, & similia, quæ per violentum localem motum fieri possunt: sed moraliter ac Deo permittente non possunt: & boni non volunt, nec velle possunt: mali etiamsi velint, non valent.

6 *Assertio II.* Potest quidem Angelus naturaliter sensuum etiam externorum sensationem varie impedire, ipsosque sensus ludificare: at vero vt potentia videndi simul cum organo non læsa aut turbata, siue distracta, obiectum visibile debito modo præsens, nulloque tegumento coopertum, clara cæteroqui luce videri non possit, nulla vi naturali efficere potest. Ita communis Doctorum. Et priorem partē tradit Sanctus Thomas *quæstione 6. de potentia articulo 5. ad 6. & quæst. 16. de malo articulo nono ad 2. & in 2. distin. 8. qu. vn. art. 5 ad 4.* Alensis *part. 2. qu. 43. mem. 3.* Gabriel & alij Doctores *in 2. dist. 8.* Caietanus 2. 2. *qu. 95. articulo 3.* Gregorius de Valentia *de Angel. disp. 4. qu. 2. pun. 2.* Post Augustin. 18. *de ciuit. cap. 18.*

Ratio est. Quia cum ad sensationem, præter animam ipsam & potentiam innatam, requirantur etiam tum per modum principij, organum sanum, item obiectum, ac species: tū per modum conditionis necessariæ, debita approximatio obiecti, item medium certo modo dispositum, & ne animæ attentio tota in alias res sit distracta & abrepta: hinc fit, vt Angelus varijs modis sensū ludificare, aut sensationem impedire possit: 1. Ex parte organi: tum replendo illud humore aliquo & rheumate: tum figuram organi, pręcipue oculorum, quadam compressione aut distractione immutando: tum spirituum influxum, sine quibus non fit sensatio tantisper inhibendo. Qua ratione in deliquio animæ, homo etiam apertis sensibus nihil sentit, & in catarrhis facile alij alijque sensus quasi 7

obstru-

obstruuntur & obtunduntur. 2. Ex parte obiecti, subito vel formando, aut adducendo, vel remouendo, aut dissoluendo, aut immutando, & aliter atque aliter conformando obiectum, vt *dub. præced. dictum* 3. Ex parte speciei, aut interposito obstaculo impediendo propagationem eius vsque ad oculum, siue sensum; aut respectu sensus interni, spiritus vitales, qui sunt vehicula siue receptacula specierum, varie commouendo, retrahendo, agitando, conturbando, vt dictum. Atque ad hunc modum nonnulli putant, aorasiam Sodomæorum factam fuisse spirituũ animalium repressione. 4. ex parte approximationis, remouendo, vel post tergum reijciendo obiectum, vt dictum. 5. Ex parte medij interposito obstaculo tegendo, vel occultando obiectum; item colorando, vel condensando, aut in figuram certam, concauam, aut connexam, regularem vel irregularem conformando, partem aliquam medij; ita vt quemadmodum per specula seu vitra colorata, aut aliter & aliter configurata, obiectum aliter & aliter, maius vel minus; rectum vel distortum repræsentatur, vti in specillis quotidie videre est; ita etiam per similem conformationem medij, seu partis medij aliter & aliter visus afficiatur. *Sicut*, inquit Sanctus Thomas *citat. 2. sent. distin. 8. ad vaporationem cuiusdam fumi trabes domus videntur serpentes, &c.* 6. Ex parte attentionis, commouendo phantasmata, & distrahendo mentem, vt alijs, non præsentibus rebus & obiectis animi attentio applicetur.

Addit Sanctus Thomas *citat. distin. 8. quæstion. vn. articulo 5. ad 4.* alium modum ludificandi sensum externum, cum ait: *Fieri potest, vt species, quæ sunt in imaginatione seruatæ, operatione dæmonum, ad organa sensuum fluant, sicut contingit in somno; & ideo quando contingunt illæ species organa sensus exterioris, videntur, ac si essent res præsentes extra, & actu sentirentur.* Quod etiam tradit & sequitur Gregorius de Valentia *citata disputatione quarta, quæstione secunda, pun. 2.* vt dictum *dubitat. præcedent.* Sed hoc difficile est: non solum quia sic dæmon sensationem in externo sensu efficere posset, sine vllo obiecto; sed etiam quia species, quibus mouetur sensus externus, non sunt phantasmata, sed species sensibiles ab obiecto immediate productæ, & dependentes. Quod si solum de visione phantastica loquitur S. Thomas, quid ad eam conferre potest transmissio specierum ad organa sensus externi? 8

Atque ex his sequitur secunda pars assertionis: Nam si remoto omni obstaculo, tam ex parte potentiæ, & organi, quam medij, aliarumque conditionum, obiectum præsens & illuminatum videri non posset, id vel fieret, impedita specierum visibilium productione, seu propagatione vsque ad oculum, aut positis etiam omnibus ad videndum requisitis ipsa per se fa- 9

cultate videndi, ab eliciendo visionis actu impedita: at neutrum est possibile, ex prima assertione; quia diabolus non potest causatum naturalium actiones, positis omnibus ad agendum requisitis impedire, vt dictum.

Reddere igitur hominem ἀόρατον & inuisibilem diabolus duntaxat potest, sublato aliquo ad eum videndum principio, aut dispositione, vel conditione, siue ex parte obiecti, siue medij, aut ipsius potentiæ seu organi requisita: nimirum aut subita ipsius hominis in alium locum distãtem occultamue translatione, seipsum subinde interim, cum opus videtur, hominis absentis, somnioque forte delusi, loco, per aliquam externam operationem præsentem substituendo; aut nubis seu aerei cuiusdã operimenti, alteriusue corporis, ad res cæteras præsentes bene accommodati obiectu; aut potentiæ visiuæ seu organi reali physicaque alteratione: siue quia crasso fumo ac fuligine interius excitata, oculi à visione impediuntur: siue quia spiritus animales ad visionem requisiti ita suo loco mouentur, vt visioni subseruire non possint: siue quia ipsum organum humore crasso repletum, aut pellicula inductum, seu alias deprauatum, species apte recipere, vel ad locũ visionis transmittere nõ potest.

11 *Assertio* III. Non potest quidem diabolus facere, vt ignis stramen debite approximatum & dispositum, adeoque omnibus ad agendum requisitis positis, non comburat; attamen vt exterius videatur ab igne non comburi, quamuis debite approximatum, facere potest; sicut & humanum aut animalis corpus intrinsece incorruptibile seu inuulnerabile reddere non potest, sed solum extrinsece reprimendò seu cohibendo vim globi, seu ferri in corpus impacti, vel adacti. Hæc assertio quo ad partem negatiuam sequitur ex prima assertione; & est ex mẽte Doctorum, quos citauimus: quia nec impedire actionem naturalem, omnibus ad agendum prærequisitis potest: neque naturales, & intrinsecas rerum proprietates tollere vel immutare. Pars autem affirmatiua eiusdem assertionis patet experientia magorum, quibus cum dæmone pactum intercedit.

12 Fieri autem potest, vt stramen videatur ab igne non comburi: siue delusione sẽsus externi, per fatui alicuius fictiq; ignis aut straminis repræsentationem: siue quia inter ignem & stramen, ferrum aut lapis artificiose interpositus est: siue etiam quia stramen liquore igni resistente imbutũ est, vti fieri posse tradit Fallopius. Atque in hunc modum intelligi & explicari debet, ꝙ de Zingaris (superstitiosa illa & vaga gente) iactari ab imperita plebe solet, eos in stramine ignẽ accẽdere posse: ita vt stramen interim non comburatur. Nam subtractione virtutis seu influx' naturalis ignem ab actione naturali cohibere solus De' potest, qui tres pu-

eros

eros in camino ignis illæsos conseruauit.

13 Eodem modo potest dæmon vim vel impetum globi aut ferri subito inhibere & retundere, ne corpori vulnus vllum aut læsionem inferat: quia hoc solum est impetum, & motum localem rerum naturalium sistere & inhibere: quod potest quisquis mouendi vim & impetum fortiorem habet, quam sit in re mobili: cum sit eiusdem rationis & virtutis mouere aliquid, & motum seu impetum aliunde impressum cohibere, vt superius suo loco dictum.

14 Qua quidem in re est aliquod discrimen inter vim motiuam rerum naturalium, ipsumque motum vndecunq; tandē rei impressum, & inter alias agentium naturalium virtutes actiuas earumque actiones. Quia enim Angelus ad extra directe & per se producere nihil potest, præterquā motum vel impetum ad mouēdum, idcirco potest ipse quidem per seipsum immediatè etiam sine alia mutatione interueniente, conatum seu applicationem causæ naturalis ad se vel aliam rem mouendam retundere, & quoad effectum irritum reddere: sicut & motum in medio cursu suo arbitratu intercipere: at vero cæteras virtutes ad agendum, earumq; naturales actiones & effectus impedire non potest, nisi vel interpositu causæ secundæ contrariæ seu resistētis: aut facta alia mutatione, siue ex parte agentis, siue passi, aut medij, seu debitæ approximationis: quod facere dæmon aliquando potest per motum localem, aliquando non nisi per applicationem aliorum agentiū naturalium, iuxta variam & peculiarem vniuscuiusque agentis, seu actionis naturalis & præsentium circumstantiarum rationem.

Ex quibus denique colligitur, motum localem quidē ignis dæmonem suo arbitratu per se immediate inhibere & intercipere posse: calefactionem ignis in subiecto apto & approximato per se immediate cohibere aut interrumpere non posse, nisi aliqua alia mutatione interueniente, vt dictum. Qua ratione etiam in homine longum somnum, aut inediam causare potest. An vero dæmon suo arbitratu, siue per se, siue per striges, hominibus nocere possit, dicetur *disput. huius de Angelis, q. 6. dubio vltimo*, in quo etiam cætera tum ad boni, tum ad mali Angeli functiones & studia erga homines spectantia declarabuntur.

QVÆSTIO VII.

De prauis dæmonum studiis & infestationibus, ad homines seducendos & perdendos: speciatim an dæmones absque speciali permissione Dei, siue per se, siue per striges, maleficosque homines, nocere hominibus possint.

S. Thomas. 1. p. q. 64. a. 4. & q. 114.

1 DE hac re solum generatim & breuiter agit Sanctus Thomas qu. 64. a. 4. ex instituto vero & particula-

culatim quæst.114. Nos supponimus id veluti principium, quod alibi docuimus; dæmones quosdam ex diuinæ prouidentiæ dispositione in hoc mundo inter homines degere, partim vt dum Deo permittente, ijs tentandis & exercendis operam ponunt, bonum eorundem, Deiq; gloriam vel inuiti, & quasi præter intentionem procurent & promoueant, vt pluribus disserit Chrysostomus *homil.1.ad populum* & prosequitur *Barradius lib.2.concord c.8.& seq* partim etiam vt veluti ministri diuinæ iustitiæ, homines ob sua peccata castigent & puniant; quod Deo etiam nonnunquam præcipiente & directe volente facere possunt, in ijs pœnis exequendis, quæ per se culpa vacant vt bene declarat Suarez *hic l.8.c.20. n.7.& 8.* Vnde Beda *l.var.q.q.9. Quoties*, inquit, *Deus quocunque flagello huic mundo irascitur, ad ministerium vindictæ Angeli* (mali) *mittantur: qui tamen diuina potestate coercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt.* Hoc principio posito, rem hanc omnem aliquot quæstiunculam breuiter explicabimus.

2 *Primo* igitur quæritur, *vtrum omnes dæmones promiscue, ad tentandos homines in hac vita incumbant.* Respondeo breuiter immediate ac per seipsos non tentare, nisi eos, qui in terra seu aere inter homines degunt: quod quidem contingit non omnibus simul, nec determinate ac perpetuo certis quibusdam, sed alternatis quasi vicibus, modo his, modo alijs; hoc solum excepto, quod supremus Lucifer in inferno vsque ad tempora Antichristi alligatus creditur, iuxta *Apocal.20.* At vero mediate & consilio atque hortatione credibile est, omnes pariter ad seducendos homines operam conferre: cum id & facile possint, & ob summum, quo erga homines feruntur, odium & inuidiam, vtique etiam velint.

Secundo quæritur, *vtrum inter dæmones, quoad homines tentandos, sit aliqua subordinatio, ita vt alij aliorum iussu & auctoritate hac in re ducantur?* Respondeo cum S.Thoma *q.109.a.2.* Guilielmo Parisiensi *2 part.de vniuer.p.2.cap.14. 15.16.* & Magistro, & communi Doctorum *in 2.d.6.sententia,* quam bene explicant Gregorius de Valentia *disp.8.q.4.pun.3.* & Suarez de Angel. *l.8.c.21.* esse plane inter dæmones aliquam prælationem, fundatam quidem in ipsa eorundem natura, prout alij alijs secundum speciem sunt superiores: sed quæ tamen tum ex voluntario eorundem consensu, tum etiam ex ipsa ordinatione diuinæ, prouidentiæ ac sapientiæ, partim id permittentis, partim etiam ad bonum finem ordinantis ac dirigentis eam subordinationem, compleatur & perficiatur. Hoc significatur à Christo, Luc.11.v.17. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. &c. Et si Satanas &c.* Et ab Apostolo Ephes.6.v.12. inter dæmones referuntur *principatus & potestates* quibus 1. Cor.15.v.24. adduntur *virtutes*, vbi dicitur: *Deinde finis, cum tradiderit regnũ Deo & Patri, cũ*

euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. vbi glossa ordinaria: *Quamdiu,* inquit, *durat mundus, Angeli Angelis præsunt, dæmones dæmonibus, homines hominibus, ad vtilitatem viuentium, vel ad deceptionem; sed hominibus collectis. iam omnis prælatio cessabit, quia necessaria non erit.* Et Augustinus l.83.q.69 ait: *Euacuando omnem principatum & potestatem, manifestari & omnibus notum fieri, nullum principum vel potestatum siue cælestium, siue terrestrium, per se habuisse aliquid principatus vel potestatis sed ab illo, ex quo omnia, non solum vt sint, verum etiam vt ordinata sint.* Et *ratio est.* Quia prælatio inter naturas specie distinctas, & ex se inuicem sua natura pēdere aptas, fundatur in ipsa præstantia naturæ, secundum quam inferior à superiori dependet; hæc autem diuersitas naturarum conuenit Angelis, tam bonis, quam malis, vt dictum *quæstio.*1. *dub.*1. Ergo. Qua ratione etiam S. Thomas *loc. cit.* sentire videtur, ex ipsa quoque præcise natura rei, atq; in omni statu, Angelos inferiores fuisse superioribus subiectos: quod tamen negat Suarez *cit. capit.* 21. *à n.*14.

4 Sane quia Angeli mali ab initio motioni Luciferi se peccando submiserunt, tum etiam vt post lapsum eorum regnum in ordine ad seducendos homines stabile esset, valde credibile est, inferiores etiam voluntarie consensisse in prælationē superiorum; etsi nec dubium, quin in ipsa executione, pro libertate arbitrij sui, sæpè etiam reluctentur, vt rectè Valentia *loc. cit.* præterquam quod diuinæ prouidentiæ ordo ad bonum finem hæc omnia ordinantis non permittit, vt suo arbitratu singuli ad hæc studia ferantur: etsi quidem positiue etiam non velit, aut intendat; vt inferiores superioribus in prauis eiusmodi studijs, & procurationibus obtemperent; quia malum velle non pōtest.

Sed nec Deus ipse, ob eādem causam, positiue inter dæmones ministeria nocendi distribuit, vti significat Bonauentura *in* 2. *distinct.* 6. *quæst. vltim.* sed potius Lucifer, vt cum S. Thoma *quæstion.* 114. *artic.*1. & Guilielmo Parisiensi rectè Suarez *cit. capit.* 21. *à numero* 25. Quæ autem præterea in particulari à nonnullis circa hanc prælationem referuntur, tum à Guilielmo Parisiensi *loco citato capit.* 5. 8. *& sequent.* tum ab alijs, incerta sunt, vt post Binsfeldium *libro 6. de maleficijs prælud.* 10. rectè notauit Suarez *cit. capit.* 21. *numero* 21. Quomodo autem superiores dæmones etiam possint inferiores violenter loco mouere, vel sistere, etsi directe eos ad aliquid agendū cogere non possint, patet ex *qu.* 5. *dub.* 2. *disp.* 5.

Tertio quæritur, *an dæmones ab exordio mundi, & nunc etiam cunctos homines ex æquo infestent.* Respondeo, sine permissione Dei, dæmones nihil in hac re facere posse, vt inferius dicetur; & verò hac permissione non exclusa, iuxta SS. Patrum & Scripturæ doctrinam, discrimen est inter varios status seu ætates mundi. *Nam in statu innocentiæ non permissus est dæmon* 5

ita tentare hominem, sicut post peccatum: illic enim solum externus suadendo tentauit; postea verò etiam internus alliciendo seu inclinando, vt dicetur.

6 *Secundo* post peccatum vsque ad Christum multo infestius tentare ac persequi homines permissus est, quam post aduentum Christi: hinc enim passim idolorum responsa cessabant; nec tam frequentes, ac prodigiosæ elementorum perturbationes à dæmonibus excitari potuerunt, præsertim vbi crucis Christi trophæum erectum, aliaque fidei nostræ symbola in vsu essent. Quo tempore etiam vsque ad persecutionem Antichristi, Lucifer in inferno alligatus creditur. *Apocalyp.* 20. *versic.* 2.

7 *Tertio* inter ipsos etiam homines hoc tempore discrimen est, quia baptizatos vniuersim & à toto genere minus permittitur infestare, præsertim externis & violentis machinationibus, quam infideles non baptizatos; vti etiã è terris Ethnicorũ ac gentiliũ, nẽpè Indiæ tã Orientalis, quã Occidẽtalis, multo horribiliora diabolicæ virtutis ac potentiæ documenta ad nos scripta transmittuntur, quam in terris Christianorum audiantur. Vt cum illic dæmones visibiliter ac familiariter palam inter homines versantur, docent, monent, puniunt &c. cum supra fidem prodigiosas sæpe tempestates cient, aliaque eis nocumenta inferunt; quorum etsi nonnunquam etiam vicini, seu permixti inter Ethnicos Christiani participes fiunt, credibile tamen est, ea non nisi ob Atheismi seu gentilismi impietatem, communiter ijs locis adeò molitam, à DEO permitti. Idem ferè seruata proportione dici potest de fidelibus iustis, si cum peccatoribus conferantur.

Quarto discrimen est inter tempora postrema, seu extremo iudicio vicina; & anteriora. Nam sub tempus persecutionis Antichristi, rursum soluetur Lucifer, maiorique tyrannide sæuire permittetur, vt colligitur *ex Apocalyp.* 20. *versic* 3. 7. & 9. De qua passim agunt SS. Patres, speciatim Cyprianus *libr.* 7. *epistol.* 4. *seu epistol.* 77. Lactantius *libr.* 2. *Instit. capit.* 15. Athanasius *in orat. cont.* gentes, Chrysostomus *homil.* 1. *ad populum*, Gregorius Nazianzenus *orat. de natiu. Christ.* Augustinus 20. *de ciuit. capit.* 7. & *serm.* 197. *de temp.* & Gregorius *libr.* 32. *Moral. cap.* 12. vbi tempore gratiæ dæmonem dicit esse ligatum; *quia potentia diuinæ dispositionis astringitur, ne in quantum nocere valet, effrænetur.* 8

Interim rectè Suarez *citat. capit.* 18. *numero* 17. annotat, eam dæmonis potentiam non semper limitari à DEO, pro ratione, aut certa conditione, seu statu personæ, vel Ecclesiæ: sed sæpè Deum, pro solo suæ voluntatis consilio, ac libera electione, hunc grauius, illum leuius; hunc frequentius, illum rarius; vel in hac, vel in illa materia tentari per- 9

mittere

mittere; ac vniuersim aliter electorum tentationes moderari, quam cæterorum. Quia in hoc nulli facit iniuriam, & cui vult, facit maiorem gratiam.

10 Quarto quæritur, *qua ratione vniuersim dæmon homines infestet?* Respondeo hæc iuxta Sanct. Thomam *quæstion.* 1 1.*articul* 1.2.3.4. *& quæstion.*114. *articul.*4.*&* 1.2.*quæstion.*8.*articul.*1. *&* 2. generatim hoc enim facere duobus modis; *primo* exterius, & per effecta externa affligēdo, siue tentando; siue interim simul visibilis ipse in assumpto corpore appareat; siue non; iuxta ea, quæ de hac re generatim *alio loco* docuimus. *Secundo* interius alliciendo; non quidem directè & immediatè inclinando voluntatem; hoc enim Dei proprium est; sed prauas suggestiones seu cogitationes, phantasmatum seu humorum commotione, ingerendo. Quia vt ex communi bene docet Suarez *cit. libro* 8. *ca.* 18. *numer* 8. diabolus non aliter tentat hominem, quam immittēdo prauas cogitationes, vel interius phantasmata (motis spiritibus animalibus, quæ sunt quasi vehicula phantasmatum) aut etiam ipsum corpus humoresque commutando, vel exterius obiecta sensibilia incitantia ad malum offerendo, vel etiam aliquando exterius sub diuersis figuris apparendo, & loquendo; adde, vel varijs effectibus, quos ipse per se, aut per causas secundas producere potest, hominem cruciando, vt fuse persequitur Cassianus *collat.* 7 *à ca.* 9. *vsque ad* 16. In qua re tamen omni, *Benedictus Deus non patitur nos tentari supra id, quod possumus, sed facit cum tentatione prouentum.* 1. Cor. 7. v. 13.

Quinto quæritur, *an diuersi dæmones sub diuersis ducibus destinati sint, qui ad diuersa vitia ex instituto impellant, eorumque progationem promoueant.* Affirmant Origenes *homil.* 15. *in Iosue*, Hieronymus *in Abacuc.* 3 *& Ephes.* 6. Cassianus *collat.* 7. *capit.* 17. Magister *in* 2. *distinct.* 6. & Guilielmus Parisiensis *loc. citat.* alijque apud Binsfeldium *citat. prælud.* 10. Nec est incredibile; sed incertum, vt benè Suarez *citat. libro* 8. *capit.* 21. *numero* 28. Sicut enim idem bonus Angelus ad cuiusque virtutis honestatem promouet, ita verosimile est, ad quodlibet vitium pro re nata impellere ex dæmonibus quemlibet, vt docet etiam Gregorius *libr.* 32. *moral. cap. vltim.* Et quamuis in scriptura quidam dicatur *spiritus mendax* 3. Reg. 22. alius *spiritus fornicationis* Oseæ 4. *spiritus seductores* 1. Timoth. 4. non est tamen necesse; vt hi spiritus intelligantur ex parte subiecti seu personæ esse diuersi. 11

Sexto quæritur, *an dæmon victus in oppugnatione hominis, si item ad tempus recedat, hominemque dimittat, statim enim ad inferos detrudi, verisimile non est.* Respondeo iuxta communem affirmatiue. Ita tradunt Sanct. Thomas 1. *p. quæstion.* 114. *articul.* 5. Ægidius, Richardus, Durandus & alij *in* 2. *distinct.* 6. & colligitur ex Luc. 4. vers. 13. *Et consummata omni tentatione, diabo-* 12

diabolus recessit ab vllo, vsque ad tempus. Et Iacob 4.v.7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Verum hoc intelligendum moraliter & ordinariè non post singulas partiales quasi tentationes, sed post totam aliquam machinationē, quæ pluribus sæpè insultibus constat, perfecte deuictam: pudet enim tum quodammodo dæmonem amissæ victoriæ, sibique à victore metuit: præterquam quod hoc benignitati diuinæ prouidentiæ admodum consentaneum est, vt victorem aliquantisper subleuet. Quod tamen non obstat, quominus postea dæmon audacior insistat, iuxta *Matth.* 12. *& Iob. capit.* 1. *&* 2. & Gregorium *libr.* 10. *epist.* 38. *& lib.* 3. *Moral. capit.* 8. *& lib.* 32. *capit.* 16. & Cyprianum *epist.* 6. vbi ait: *Fortiorem magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipso, quòd victus est, superantem superare conatur.*

13 Septimo quæritur, *an sicut de bonis Angelis à plerisque dicitur, ita etiam Deo permittente, & Lucifero disponente, ex malis Angelis, singulis hominibus à natiuitate, proprius adiunctus sit aduersarius & impugnator?* Respondeo ex communi & valdè probabili sententia Doctorum, affirmatiuè. Ita enim cum Magistro *in 2. distinct.* 6. communiter tradunt alij Scholastici; & docent Origenes *homil.* 35. *in Luc. &* 3. *periarchon cap.* 2. Gregorius Nyssenus *lib. de vita Moysis*, Tertullianus *lib. de anim. cap.* 39. vbi multa Pamelius *numer.* 451. & plura Eugubinus *lib.* 8. *de perrenni Philosophia*, & probabile censent Gregorius de Valentia *ad* 1. *p. S. Th. disp.* 8 *q.* 3. *punct.* 4. Vasquez *disputat.* 245. *capit.* 1. *ibidem* Suarez *cit. lib.* 8 *capit.* 21. *numer.* 31.

Ratio est. Quia dæmon studio nocendi cupit ex aduerso, quoad potest, paria facere cum Deo; nec deest facultas: quia tametsi non sit tanta multitudo dæmonum, quanta Angelorum, facile tamen credi potest, etiam ex infimo ordine tantum esse numerum dæmonum, quantus est omnium hominum simul viuentium; præterquam quod verisimile est, aliquando etiam fortasse ex superiori ordine ad idem officium aliquos destinari. Deus autem ob eandem causam hoc ipsum facile permittit, ob quam vniuersim homines à dæmonibus tentari permittit.

Octauo quæritur, *vtrum dæmones suo arbitratu, sine speciali permissione Dei possint homines tentare, eisque siue per se, siue per striges nocere?* Respondetur in modum sequentem. I. sine permissione aliqua diuina nihil in hoc genere dæmones præstare possunt. 14
Ita omnes; & tradunt passim SS. Patres, speciatim Cyprianus *in exposit. orat. domin.* Augustinus *in Psalm.* 61. *&* 100. Damascenus *lib.* 2. *capit.* 4. & Bernardus *lib. ad sororem cap.* 67. Ratio est. Quia nihil fit, nisi Deo vel faciente, vel permittente.

II. In consuetis tamen modis impugnandi non est opus speciali permissione Dei; tametsi etiam in his subinde Deus per se, vel per Angelos eorum conatus impedit vel infringit. 15

ſtringit. Ratio eſt. Quia hæc poteſtas permiſſa intelligitur, ſub generali permiſſione homines tentandi.

III. Specialia tamen nocumenta, ſiue in rebus externis, ſiue in perſonis, inferre hominibus per ſeipſos non poſſunt, neque extraordinarios & prodigioſos tentandi modos adhibere, abſque ſpeciali, in vnoquoque caſu particulari, permiſſione Dei: Colligitur apertè ex ſcriptura, exemplo Iobi *capit.* 1 *verſ.*12. *& capit.*2. *verſ.*6. & exemplo Achab *lib.*3. *Reg.ca.*22. *verſ.*22. item documento porcorũ *Matth* 8. *verſ.*39 idem docent Damaſcenus *lib.*2. *fid. cap.*4. Auguſtinus *libr.* 20 *de ciuit capit.*8. *& in Pſalm.*77. *& ſer.* 193. *de temp. & lib.*3 *de Trinit. cap.*8. *&* 9. Ratio mox afferetur.

16 IV. Sed nec per ſtriges aut maleficos, ſine ſpeciali, in vnoquoque caſu particulari, permiſſione Dei, dæmones nocere hominibus poſſunt; ſicubi ſtriges non adhibeant res naturaliter homini nociuas. Colligitur ex iiſdem ſcripturis, & teſtimonijs. Quocirca nec poteſt dæmon, ſuo arbitratu, tempeſtates ciere, etiamſi ſtriges ſcopis adhibitis, ollaue malefica [illegible] diaboli in eam rem opem inuocent; tametſi facilius hoc caſu permittat Deus, exoptatum à ſtrige malum per dæmonem inferri; quia ſaltem aliqua ad eam rem hominis cooperatio accedit.

17 V. At verò quando ſtriges à diabolo vnguentum venenoſum ſeu naturaliter noxium acceperunt, tũc ſanè ſuo ipſæ arbitratu, niſi Deus ſpeciatim conatui obſiſtat, eo vti, eiuſq; vſu & applicatione, quibus volunt, nocere poſſunt. Ratio eſt, Quia Deus ligauit diaboli poteſtatem, ne per ſe, ſuoque arbitratu noceat, vt colligitur, ex *Luc.*11. *verſu* 22. *& Apocalyp.* 20. *verſu* 2. nec vnquam generalem fecit ei poteſtatem, naturis rerum ſuo arbitratu vtendi, aut nocendi vti liberet. At verò hominibus, in hac vita, reliquit liberam poteſtatem, rebus naturalibus vtendi ſuo arbitratu, ſeu bene, ſeu male.

Atque ita quoque docet Trithemius *lib. quæſt. ad Maximil. I. Imperatorem q.*7. vbi inter cætera etiam recte cauet, ne maleficium nouo maleficio depelli à Magiſtratibus permittatur, *Non ſunt*; inquit, *inter Chriſtianos tolerandi, O ſacratiſſime Cæſar, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem, qui per maleficia curant maleficiatos; qui furta miniſterio dæmonum reuelant & adulteria; qui lapidum aut ſpeculi inſpectione prænunciant futura. Non exaudias illos, precor, qui diuinarum legum ignari, huiuſmodi miniſtros dæmonum imperio tuo exiſtimant vtiles; propterea quod maleficio nouerunt maleficia diſſoluere. Quoniam iſta pernitioſa curatio corporum mortem inducit animarum, & facit homines à Deo creatore omnium recedere, & impijs apoſtatis dæmonibus adhærere, cum quibus poſt mortem damnabuntur in æternum.* 18

Nono quæritur, *Vtrum omnes tentationes, omniaque peccata hominum, ex dæmonum machinatione proueniant?* Reſpondeo cum S. Thoma *q.*114. *artic.*3. 19

O media-

mediate quidem & remote omnia peccata, omnesque tentationes à dæmone prouenire; quatenus induxit primum hominem ad peccatum, ex quo concupiscentia & naturæ corruptio, adeoque cætera peccata consecuta sunt, de quo nulla est controuersia: directè verò & immediatè non est omnium peccatorum seu tentationum causa; sed quædam ex libertate arbitrij nostri propriæque carnis corruptione nascuntur; iuxta illud Iacob. 1. v. 14. *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.*

Idem docent Origenes *libro 3. Periarchon capit.* 2. Basilius *in reg. brev. numero* 75. Chrysostomus *homil.* 54. *in Acta & in opere imperf. homil.* 49. Gregorius Nazianzenus *carmin. seu metro* 52. Gennadius *libro de Eccles. dogm. capit.* 81. & Gregorius *libro* 11. *Moral. capit.* 25. etsi contrarium significent Leo *sermon.* 4. *de Collect.* Auctor *sermon.* 68. *ad Fratres in Eremo*, apud Augustin. Hieronym. *in Eph.* 6. Cassianus *Collat.* 7. Damascenus *lib.* 2. *capit.* 4. quibus fauet Suarez *citat. lib.* 8. *capit.* 19. *à numer.* 20. cum nonnullis recentioribus.

Ratio patet ex dictis. Quia cum concupiscentia partim sua natura sæpè fortuitis quibusque casibus ab extrinseco excitetur, non est verisimile, à dæmonibus omnes eiusmodi tentationes immitti; vtcunque alias in suo labore & perdendi studio sint indefessi, de qua re pluribus disserit Cassianus *collat.* 7. *capit.* 7. 15. 20. *& collat.* 8. *cap.* 12.

Decimo quæritur, *quid sentiendum sit de varijs dæmonum partitionibus, quas nonnulli authores à varijs nocendi studijs, aut habitationum diuersitate desumptas tradunt.* Respondeo. De hac re agit Trithemius *libr.* 8. *qq quæstion.* 6. vbi Orpheum, Psellum, & ipsius Apollinis Pseudooraculum, apud Eusebium *libr.* 4. *demonstrat. Euang.* ferè secutus, sex dæmonum genera recenset, nimirum *igneum, aereum, terrestre, aquaticum, subterraneum, & lucifugum*; eorumque etiam studia & affectus prolixe describit. Sed hæc examine indigent; & vniuersim nec probanda sunt, nec improbanda videntur, vt notauit etiam Delrius *libr.* 2. *quæstion.* 27. *sect.* 2. Certe S. Ignatius Martyr *epist ad Eph.* ab ipso etiam Trithemio relatus, duo tantum eorum genera, omisso igneo, assignat, cum ait: *Nihil melius est, quam pacem habere, in qua omne telum euacuatur, aereorum simul, & terrestrium spirituum.* Sub quibus vtique eos etiam, qui in aquis, & speluncis quandoque hominibus infesti sunt comprehendit. 20

Nec verò simile est in regione ignis aliquos dæmones ordinariè habitare, quando ab Aposto[illegible]hes. 6. Rectores *tenebrarum*, & à Iuda, *caligini*, seu caliginoso aëri adscripti dicuntur: nec est quicquam, quod in regione ignis aduersus homines machinentur. Quod si dæmonum genus igneum dicatur, ab igne infernali, iam omnes dici poterunt ignei, non solum quia ab igne omnes patiuntur,

untur, sed etiam quia alternatim, & ad tempus omnes aliquandiu inferis addicuntur. Ob quam causam etiam non est verosimile, eosdem numero spiritus perpetuo aut in aquis, aut in speluncis degere, sed pro occurrentium circumstantiarum varietate, varijs in locis, ad seducendos homines, incumbere.

21 Plenius ex scriptura varia dæmonum studia & affectus describit Cassianus *collat.7.capit.32.* vbi tamen & illud, cum Trithemio commune, pia interpretatione indiget, cum ait, quosdam dæmonum solummodo Ioculatores esse; *vt non tormentis hominum, sed derisione delectentur; & illusione contenti, fatigare potius studeant, quam nocere.* Quorum similia etiam habet S. Antonius apud Athanasium *in vita eiusdem:* nimirum quia plus illis diuinitus non permittitur, vt recte ab Henrico Cuickio in citatum locum Cassiani annotatum. Vide quæ in simili diximus *ad 1.part.S.Thom.disputa.5.quæstion.1.dub.1.* de imperitia & inertia dæmonum. Plura de dæmonum tentationibus & studijs ex Patribus & historijs Coccius *tom.1 lib.4.a.5.& 6.*



TRACTATVS alter Theologicus *De Sagis & Veneficis.*

SVMPTVS EX OPERIS Moralis libro tertio R. P. Pauli Laymanni in Dilingana Vniuersitate publici Canonum professoris.

Seruauimus Ordinem, quem auctor ipse in Opere suo exhibuit, distributa & in certos numeros relata vniuersa doctrina.

SVMMARIVM.

1 *Plures fœminæ, quàm viri veneficijs obstrictæ sunt.*

2 *Sagas ad veram pœnitentiam conuertere difficile, sed non impossibile est.*

3 *Confessarius agendo cum sagis à Iudice captis, aut condemnatis, magna prudentia vti debet.*

4 *Sagæ tenentur eiusdem criminis reas, quas nouerunt, Iudici prodere.*

5 *Si testis, aut denuntiator testimonium suum reuocet, probabilem erroris sui rationem afferens, audiri debet.*

6 *Iudex plerumque æstimare non debet reuocationem denuntiationis, post latam sententiam condemnatoriam denunciantis; etsi is morti proximus reuocet.*

7 *Confessarius frustra plerumque laborabit, si post Sagæ supplicium Iudici significet, eam reuocasse denuntiationes.*

8 *Qui sibi crimen morte dignum falsò affinxit, retractare tenetur, si spes sit mortis supplicium ea ratione effugiturum: quanquam opposita sententia ob auctoritatem Doctorum, in praxi probabilis est.*

9 *Etsi Confessarius ex sacramentali Confessione colligat, mulierem metu tormentorum confessam, reipsa innocentem esse, tamen iudicem de ea re mouere non expedit.*

10 *Iudex mulieres de maleficio suspectas capere, & torquere debet secundum indiciorum grauitatem.*

11 *In criminibus exceptis, etsi reus confessus non sit, damnari potest propter multiplicatas denuntiationes personarum infamium; modo sint contestes eiusdem criminis particularis.*

12 *Consuetudo apud Christianos est, vt rei ad ignem damnati non lenta morte crucientur; nisi impœnitentes decedant.*

13 *Crimina morte extinguuntur, nisi excepta sint; vt hæresis, veneficij &c.*

14 *Saga in carcere priùs mortua, quàm crimen confessa, vel de eo conuicta sit, si nihil aliud obstat, in loco sacro sepeliri debet.*

15 *Quæ de crimine conuictæ non fuerunt, nec confessæ, non debent post mortem publica sententia infamari.*

16 *Sacra Eucharistia, & sacra sepultura Sagis negari non potest, si iudicio adhuc pendente, in carcere decedant.*

17 *Sacra Eucharistia ad Sagas, & alias eiusmodi personas cum minore solemnitate deferenda est.*

18 *Casus implexus de obstetrice, quæ infantes multos in nomine diaboli baptizauit.*

QVÆSTIO I.

Cur plures fœminæ, quàm viri cum Diabolo paciscantur, & maleficia discant?

RESpond. Quia mulieres, ob defectum iudicij, & experientiæ, citiùs credunt, & facilius decipiuntur, quàm viri: sunt magis curiosæ, & rerum nouarum appetentes; ad libidinem & luxum proniores; magis item pusillanimes, atque infirmæ, vt animi mœstitiam, aut rancorem ægrè nimis ferentes, faciliùs quoduis, quantumuis impium Dæmonis solatium, auxiliumque admittant. Ita Binsfeld *in rubr C. de Maleficis & Mathemat. notab*. 8. Iacob Simancas *de Cath. instit. tit.* 37 *num*. 3. Paulus Grillandus *tract. de sortilegijs, quæst.* 7 *num*. 31. 17

QVÆSTIO II.

Quomodo Confessarius cum Sagis vltro ad sacram Confessionem accedentibus se gerere debeat?

REspondeo: Si mulier ad confessionem veniens, ob aliqua indicia, vel asserta eius, Cófessario de maleficijs suspecta sit; proponat illi ex vna parte periculum animæ, in quo versatur, nisi rite confiteatur; ex altera verò parte obligationem maximam sigilli sacramentalis, vt mors potiùs Confessario perferenda sit, quam peccatum quodcunque 18

cunque pœnitentis directè, vel indirectè significare ei liceat: ideoque quæ coram Confessario tanquam Dei Vicario peccata fassa fuerint, secretissima fore, perinde ac si nulli hominum dicta essent. Quod si Confessarij exhortatione permota confiteatur, se sagam esse; plurimum expedit, vt diligenter; & exactè exquirat quo tempore, qua occasione in tale crimen lapsa fuerit: cum enim mulieres tales in dictis suis inconstantes esse soleant, enarratis circũstantijs conuinci deinde poterunt, vt quod semel dilucidè confessæ fuerant, retractare facilè non possint. Postea examinet confessam de modo, & qualitate superstitionis; vtrum ex animo Fidei Christianæ renunciarit; Diabolum adorarit; Falsa de Deo & æternitate senserit; an rebus sacris abusa sit? hominibus nocumentum intulerit in bonis fortunæ, aut corpore? num etiam læserit personas valde coniunctas, vt maritum, parentes, liberos? item an viros Principes, Clericos, Religiosos: idque propter censuram excommunicationis, &c. Vtrum alios seduxerit, & an hi in tali crimine persistant: quia tenetur illos ad viam veritatis reducere, aut si conuerti nolint, Magistratui deferre, sicuti docet Martinus Delrius *lib. 6. disquisit. Magic. sect. 3. §. quoad interrogatoria.* Qua tamen denunciandi obligatione non astringetur, si exinde probabile periculum immineat in suspicionem, atque capturam veniendi.

Sed quia difficile, quamuis non impossibile, est, è potestate Diaboli eripere eos, quos sibi deuinxit inito pacto, magnam operam Confessarius adhibere debet: I. Vt agnoscere incipiant hostis infestissimi mendacia, fraudes, & falsa promissa. II. Vt abiurato diabolo, fidem, ac spem in Deum concipiant, qui peccatores omnes ad se inuitat, & reuerti volentes recipit: Eximenda enim ipsis est persuasio, quam multæ habere solẽt, propter pactum initum, à Dæmone liberari non posse. qua de re Barth. Spineus *de strigibus, q. 32.* III. Frequentes preces, vt litaniæ Sanctorum, & variæ Collectæ; quæ si vel ab ipso pœnitente, vel alio coram ipso, spiritu fidei feruente recitentur, maximã vim habent ad Diabolum repellendum. IV. Crucis signum, sacræ imagines, & reliquiæ Sanctorum, aqua, agni Dei, & similia benedicta, de quibus Less. *l. 2. c. 44. n. 5.* V. Frequens peccatorum confessio, facta apud eundem Confessarium, qui statum hominis cognitum habet, vt congruas interrogationes formare, & apta remedia præscribere possit. VI. Fidei Catholicæ sæpius repetita professio, frequens recitatio symboli Apostolici.

QVÆSTIO III.

Quomodo Confessarius se gerere debeat cum Sagis à Iudice captis, vel condemnatis?

RESpondeo: De hac re tenenda 19

esse, quæ sequuntur: I. Consultum non est, vt Sagæ captæ ante iudiciale examen ad sacram Confessionem admittantur: quia spe liberationis consequendæ innocentiam tunc suã prædicare solent: & vix adigi possunt, vt crimen confiteantur, dum timent sibi à delatione. Quamobrem consuetudo in plerisque tribunalibus viget, non admittendi Confessarium ad Reos, priusquam omni examine expedito, noxij iudicati sint. Quamuis, nisi consuetudo prohibeat, nihil obesse videtur, quominùs Confessarius prudens, etiam ante iudiciale examen, Sagas, aliosue Reos suspectos accedat, ad contritionem de peccatis suis disponat; ad patientiam & obedientiam Magistratui debitam seriò cohortetur.

II. Cauere debet, ne coram Reo reprehendat, aut in dubium reuocet modum procedendi, aut sententiam Iudicis: Igitur querimoniæ, præsertim à fœminis plerumque mendacibus, de iniuria ipsis facta admittendæ haud sunt: cum officium Confessarij non sit talia iudicare; sed Reos ad veram pœnitentiam disponere, ad patientiam & mortem, si ita opus sit, fortiter perferendam hortari, eorundemque Confessiones audire.

III. Expedit, Confessarium vtcunque cognita habere, quæ in iudicio acta fuerunt; quæ indicia, & probationes deprehensæ, quæ mira acciderunt per aquam benedictam: agnos Dei, &c. vt si postea per inconstantiam suam coram Confessario crimen negent, refelli possint, atque conuinci; addita exhortatione, vt in vitæ suæ termino sincerè agant coram Deo, eiusque ministro Sacerdote, neque sinant se à Dæmone decipi, atque ad æternas pœnas deduci. Ita enim fiet, vt si Sagæ virum prudentem ac grauem nanciscantur, qui non facilè earum excusationibus & querelis moueatur, denique ad cor redeant, atque ad Deum conuertantur.

IV. Si Saga Confessario fateatur crimen, statim illam examinet de modis & circumstantijs, de quibus dixi *qu. præced.* §. *Quod si Confessarij*. Postea cohortetur, & disponat illam ad veram pœnitentiam, proposita magna Dei misericordia: per quam id iam consecuta sit, vt facilè ex faucibus Dæmonum eripi possit; alioquin æternum cum ipsis arsura: animetur ad fortiter subeundũ supplicia corporis breui tempore duratura; quibus satisfacere poterit pro peccatis suis, atque diu duraturas alterius vitæ pœnas redimere. Sin autem Saga in iudicio confessa, apud Confessarium constanter dicat se innocentẽ esse, & tormentorum metu confessionem extortam; si eam verum dicere, consideratis circumstantijs, arbitretur, (præsertim cum in foro interno confessionis credendum sit Reo, sicuti dicenti contra se, ita & dicenti pro se) hoc casu consolari eam potest; etiam Martyres passos fuisse immeritos

immeritos; pœnam hanc fore illi ad meritum, atque vberem satisfactionem aliorum peccatorum suorum: Interim vero scire debeat, Deum non decipi, ideoque caueat, ne si innocentem se faciat contra scientiam & voluntatem Dei, cum Diabolo perpetuum luat.

20 V. Sagam de crimine suo confessam examinet Confessarius, vtrum consortes, siue eiusdem criminis reas, quas nouit, Iudici prodiderit: quia ad id obligatur; vt perniciosa flagitia à Magistratu impediri, atque extirpari possint. Sin vero Saga constanter asseueret, se per inuidiam, aut ob tormentorum metum innocentes denuntiasse, vrgere eam debet Confessarius, exposita grauissima obligatione, vt falsam denuntiationem coram Iudice reuocet; etiamsi timeat, quod ob variationem & inconstantiam noua tormenta sustinere cogetur, sicuti constat ex doctrina Pet. Nauar. *libro 2. cap tertio numero 251.* Modo spes aliqua sit, Iudicem eiusmodi reuocationi, contra priorem iuratam iudicialem depositionem, fidem aliquam habiturum. Ordinariè enim Iudices stare solent confessione, aut denuntiatione criminis semel iudicialiter facta, licet reuocatio eius postea interiecto temporis interuallo fiat, sicuti docet Abb. *in cap. sicut, numero primo de testib.* Couar. 2. *resol. cap.* 73 Iacobus Meno-
21 chius *de arbitr. Iudicum quæstion. casu* 108, Binsfeld. *membr.* 2. *conclus.* 5. §. *hac quæstio*; excepto, si deponens de crimine, postea errorem suum alleget, eius probabilem rationem afferens, sicuti docet Abb. *c. præterea, num. 4. de testibus cogendis*, Couar. *num.* 8. Menoch. *numero septimo* Deinde rectè admonet Delrius *lib. 5. s. quinto in fine*, post Couar. *cit. num.* 8. Si ex manifestis indicijs appareat testem, aut denuntiatorem, non ex leuitate & perturbatione animi; non prece, aut suasione testimonium suum corrigere, aut reuocare: etiam in crimine hæresis, & maleficij à Iudice audiendum esse: quæ tota doctrina colligi potest *ex cit cap. sicut.*

Dubitant autem Doctores, *vtrum Iudex attendere, & æstimare debeat reuocationem denuntiationis, post latam sententiam condemnatoriam denuntiantis, quando is supplicio proximus sit, innocentem personam esse, quam in iudicio falso denuntiarat?* Pro parte affirmatiua quæstionis est; Quod instante morte nemo salutis suæ immemor censetur, sicuti docent Doctores *in l. vlt. Cod. ad l. Iuliam repetundarum.* Ergo magna præsumptio est, reuocationem veram esse, per quam proinde elidatur denuntiatio.

Sed negatiuam partem tenent 22
Binsfeld. *de confess. malefi. memb.* 2. *concl.* 5 §. *Videtur quod elidat*, Martinus Delrius *lib.* 5 *disquisit. magic. sect.* 5. *numero quinto* & alij communiter. Quia denuntiatio in tormentis facta, ac postea coram Iudice, & Notario ratificata, præsumptionem veritatis

tatis inducit. Ergo non eliditur per subsequentem reuocationem extraiudicialem, & non solemnem.

Ad rationem in oppositum respondetur; Denuntiationem, aut reuocationem hominis morituri (præsertim si animo perturbato sit, sicuti plerumque esse solent, qui ad supplicium ducuntur) non efficere præsumptionem certam, sicuti colligitur ex *l. si quis in graui. §. 1 ff ad SC. Syllanianum*, vbi dicitur; Quod vulnerato non creditur, si mox decessurus dicat, se à Titio percussum fuisse; nisi id aliter probari possit.

23 Nihilominus, si Saga constanter Confessario ingerat, quod personam innocentem denuntiarit; permittere illi, imo suadere poterit, vt publice coram populo retractet: tum quia tali reuocatione conscientiam criminis commissi pacatiorem reddet: tum quia negari non potest, talem reuocationem apertè coram Deo teste factam à morituro, aliquatenus debilitare priorem denuntiationem: vt si alia etiam indicia commissæ antea falsitatis accedant, contra denuntiatam personam procedi non debeat.

Ex dictis porro colligitur: Quod Confessarius operam suam frustra locabit, imo querimoniæ, aut scandali occasionem præbebit, si post mulieris supplicium significet Iudici, eam in extremis reuocasse denuntiationes: cum Iudices eiusmodi reuocationem non acceptent, plus fidei habentes iudiciali antea legitimæ factæ denuntiationi, quippe per quam quodammodo ius ipsis quæsitum est; quam extraiudiciali, eique non probatæ reuocationi.

His adde, quod si confessarius sigillum sacramentale violaret, si non accepta prius licentia, aut non declarata voluntate pœnitentis, Iudici, vel alteri cuicunque significaret innocentiam personæ denuntiatæ: eo ipso significans iniuriam personę denuntiantis. Quare si in aliquo casu Confessarius arbitretur consultum fore, vt Iudicē de hac re admoneat, quia alia etiam indicia innocentiæ habentur: roget mulierem, extra cōfessionem sibi dicat, vt hoc ipsum Iudici significare deinde possit: quippe, qui persuasum sibi habere debet, Confessarium nihil omnino eorum, quæ in confessione sacramentali accepit, siue pro Reo, siue contra Reum sint, indicare.

QVÆSTIO IV.

Si fœmina coram Confessario constanter neget, se Sagam esse dicatque metu grauium tormentorum se maleficii crimen sibi in iudicio affinxisse, quid agendum?

R*Espondeo, & dico* I. Si talis persona alia peccata sua rectè confiteri, ideoque sincerè agere videatur, à Confessario absolui debet.

Dico II. Confessarius deinde hortari debet mulierem, vt considerato dedecore, quod sibi, ac familiæ suæ infe- 24

infe-

inferet, necnon mortis malo, cuius sibiipsi causa existit, confessionem suam coram Iudice constanter retractet: dummodo spes aliqua sit, quòd Iudex ante sententiam latam Reum retractare volentem auditurus, aut fidem aliquam habiturus sit. Multi enim Iudices stare solent confessione semel iudicialiter extra metum tormentorũ facta, aut confirmata; nisi probabilissima argumenta commissæ falsitatis appareant: Tunc autem inanis & frustanea erit reuocatio, quæ nihil profutura putatur, sicut bene monet Iacob. Simanca *de Cathol. instit. tit.* 13 *n.* 28.

24 *Dico* III. Si mulier, vel quicunque alius Reus, qui falsa confessione crimen sibi imposuit, ob quod mortis supplicio afficiendus erit, persuaderi sibi non sinat, vt retractet: quia timet, grauissima, qualia antea se passum tormenta recordatur, iterum inferenda fore, ideoq; mori mauult, quàm ea sustinere; hunc Confessarius denique vrgere non debet, ad retractationem cum taliũ tormentorum periculo: quia Reus conformare se potest sentẽtiæ probabili Doctorum negantium, in hoc casu obligationem retractandi sub peccato mortali incumbere: hi sunt Angelus *ver. detractio*, §. 7. Sotus *lib.* 5. *q.* 10. *a.* 2. Tolet *lib.* 5. *c.* 66. Less. *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 7. *assert.* 5. Sa *ver. infamare.* Quamquam cõtraria sententia speculatiuè vera mihi videtur, quæ est Couar. 1. *resol. c.* 2. *n.* 8. Nau. *c.* 18. *n.* 29. Mol. *tract.* 4. *disp.* 37. *concl.* 15. Qui enim causam suæ mortis posuit, tenetur eam tollere, si possit; alioquin sui ipsius occisor erit: Sed Reus, qui sibi crimen falsò affinxit, ob quod morte puniendus est, is causam suæ occisionis posuit: Ergo tenetur eam tollere, retractando crimen falsò sibi impositum. Minor est clara: Maior declaratur simili: Si enim aliquis ignem posuit, ex quo intelligit oriturum esse incendium, nisi extinguat ignem, si possit; tanquam incendiarius damnabitur. Confirmatur: Si enim is, qui crimen falsò affinxit alteri, ob quod supplicio extremo afficietur, omnium sentẽtia: homicida est; cur non etiam, qui sibi affinxit? cum neque suæ, neque alienæ vitæ dominus existat.

QVÆSTIO V.

Si Confessarius ex Sacramentali confessione prospicere se arbitretur, mulierem crimen metu tormentorum confessam, re vera innocentem esse, vtrum Iudicem, tanquam internuntius, & aduocatus hominis confessi, de ea re monere debeat?

RESpondeo, Id consultum non esse. 25 I. Quia, vt suprà dictum, Iudex huic retractationi extra iudiciali fidem nullam habebit, post publicã Rei confessionẽ, aut cõuictionem. II. Quia si sciatur, Confessarium intercedere pro Reis, quos ipse innocẽtes esse ex sacramẽtali cõfessione

suspicatur; alij verè nocentes exinde occasionem accipient, facinora sua Confessarium callidè celandi, non sine graui sacrilegio, & animarum suarum pernicie. III. Quia si Confessarius plures Sagas, vel alios supplicij Reos audire solitus, de vnius, non item aliorum innocentia contestetur; hoc ipso aliorum nocentiam tacitè confirmare videtur, sicuti in simili dicam *lib. 5. tract. 6. c. 14. ver. Quinto.*

QVÆSTIO VI.

Quodnam sit Iudicis officium in processu contra maleficas?

R*Espondeo* I. Vt nulla capiatur, & ad iudiciarium processum trahatur, nisi adsit verisimile criminis commissi indicium: & non sola delatio personarum infamium: siue sola infamia ab hominibus vilibus, & improbis orta, sine probabili causa, aut coniectura, sicuti videre est apud Farinac. *l. 1. tit. 5. q. 42.* & dixi explicatius hoc *c. in fine, q. 2.* II. Vt secundū numerum delationum, & grauitatem indiciorum, deueniat ad torturam: neq; seuerius, aut sæpius Reū torqueat, quàm indicia exigant. Dicunt tamen Doctores, quod in crimine hæresis (cui propter grauitatem, crimen maleficij æquiparatur, teste Binsfeld. *memb. 2. conclus. 2. §. hæc quæstio.* Delrio *lib. 5. sect. 5. prope finem*) Iudices proniores esse soleant ad torturam; cùm sit crimen valde perniciosum, suapte natura occultum, ac plena probatione plerumque destitutum, *arg. l. Diuus ff. de qu.* & ex communi testatur Ioānes Royas *tract. de hæret. assert. 31. n. 296.* Addunt aliqui, dicta crimina adeò detestabilia, & perniciosa, vt quamuis interdum accidat quibusdam pauci ex denuntiantium malitia iniuriam fieri, potius id permittendum sit; quàm vt bonum publicum per Magistratus dissimulationem periclitetur. Arbitror tamen dicendum esse, etiam in hoc crimine veneficij, & alijs similibus, requiri indicia absolutè grauia, vt aliquis tanquā reus capi, & ad criminalem processum trahi possit, vti docet Delrius *lib. 5. disqu. s. 3.* Grauiora autem indicia necessaria sunt, si persona denuntiata, vel aliter suspecta, magni nominis sit, dignitatis, aut status, v. g. clericalis. Ad torturam verò suspecto inferendam generalis regula est, *ex l. 1. ff. de quæstionibus*; Quod talia indicia opus sint, quibus animus Iudicis planè inclinetur ad existimandum, hominem noxium esse: vt iam nihil aliud deesse videatur, quam ipsius Rei confessio, sicuti bene explicat Mart. Delrius *lib. 5. disqu. Magic. sect. 3. §. ad assumendas.*

Controuersia autem inter Doctores est; *Vtrum Reus de maleficio condemnari possit mortis pœna propter multiplicatas personarum infamium denuntiationes, etsi ipsemet crimen confessus non sit?* Affirmant Binsfeld *de conf. malef. memb. 2. concl. 7.* Gomez *3. resolut. c. 12.*

num.

*num.*18.& alij plerique, contra Prosperum Farinacium *quæst* 43.*nu* 39.
27 62.Martinum Delrium *lib.*5. *sect.* 5. Ratio est: Quia licet depositio seu testimonium personæ infamis minus ponderis habeat, tamen indicium aliquod facit: tantoq; maius, quantò plurium infamium personarum depositiones concurrunt & consentiunt. Ergo fieri potest, tot personas, v.g. duodecim, aut quindecim Sagas de proprio crimine confessas, aliam vt sociam perseueranter denuntiare, vt exinde oriatur indicium moraliter certum seu indubitatum, quod plenæ probationi in criminib. exceptis, suapte natura occultis, æquiualere debet.

Hæc sententia vera est, per se loquendo, & secundùm eam in praxi procedendum est in hæresis crimine. Verùm quod attinet ad crimen sagarum seu maleficarum, alia difficultas non modica se offert. Nam vt testimonia, seu depositiones plurium ad condemnationem hominis non confessi sufficiant, debent ij esse contestes, id est, testificari de eodem facto particulari, sicuti suprà ex communi docui. Atqui existimo, vix vnquam accidere, vt decem, aut duodecim Sagæ in eandem personam denuntiando consentientes, de eodem particulari facto contestentur. Aut enim confessæ, & de socijs interrogatæ id solùm dicunt, Titiam quoque maleficã esse: cuiusmodi tamen denuntiationes, nisi particularium factorum indicijs specificentu, nihil aliud generare possunt, quàm infamiam commissi criminis; quæ si sola sit, parùm probat. Accedit hoc loco, quòd maleficæ interrogatæ de socijs interdum aliquas prodant; non quia eas verè tales esse sciunt, sed quia propter earundem in hoc genere infamiam, vel antecedentem capturam; tales esse suspicãtur. Sin verò vlterius examinatæ specialia facta denuntient, vix accidet, vt multæ in eodem particulari cõsentiant: sed vna dicet, se ante tres annos: altera se ante duos annos Titiam in conuentu Sagarum, ac Dæmonum vidisse: tertia, se eandem sociam habuisse in creanda tempestate: quarta se sociam habuisse in alio magiæ genere. Cuiusmodi denuntiationes infamium personarum, quantumuis multiplicatas, si solæ sint, & non alijs grauioribus indicijs, aut testimonijs confirmatæ, arbitror ad condemnatoriam sententiã haud sufficere.

QVÆSTIO VII.

Vtrum condemnati ad ignem viui comburendi, an prius strangulandi sint?

RESP. ex doctrina Couar. 2. *resol. cap.* 10 *nu.* 9. Iulij Clari 5. *fin. q* 99. *n.* 7. Binsfeld. *cit. memb.* 2. *concl.* 7. *dub.* 4. & *dico* I. Si lex ob criminis atrocitatem iubeat Reum igne comburi,

intelligitur, vt viuus comburatur: Consequenter Iudex id legis præscriptum exequi debet; nisi sit supremus, qui in lege dispensare possit; vel nisi ob circumstantias, epikeia dictet, legis rigorem in casu particulari mitigandum esse: qua de re vide Prosp. Farinac. *in pract. criminali q.17.n.5.*

28 *Dico* II. Consuetudo apud Christianos viget, vt Rei ad ignem damnati non lenta morte, absque omni subsidio, crucientur; ne in desperationem, aliudve graue peccatum incidant, atque impœnitentes decedant: sed quibusdam locis pectori illorum puluis tormentarius appenditur, cuius concussione extinguantur. Excipe: Nisi impœnitẽtes, & in crimine pertinaces perseuerent hæretici, aut malefici; tum viui, absque subsidio, non immeritò cremantur: cum cesset ratio, cur pœna legibus decreta mitigari debeat.

QVÆSTIO VIII.

An, & quatenus Saga, si in carcere moriantur, de crimine infamari, aut damnari possint?

29 RElpondeo, & dico I. Licet ordinariè crimina, eorumque pœnæ morte extinguantur, sicuti habetur *l.1. & 2. C. si Reus, vel Accusator mortuus sit, & l. Lucius, ff. de iure fisci*: tamen id locum non habet in criminibus exceptis: cuiusmodi est v.g. crimen desertæ militiæ, *l. defunctorum, C. de re militari, lib.12.* Crimen læsæ Maiestatis, *l. vlt. C. ad l. Iuliam Maiest.* Crimen hæresis, *l. Manichaeos, Cod. de hæreticis,* Crimen Apostasiæ, *l. hi qui, Cod. de apostatis.* Crimen veneficij, seu maleficij, quippe quod secundùm praxin forensem, hæresi æquiparatur. In eiusmodi, inquam, Reus conuictus, aut antea confessus, etiam post mortem damnari, aut bona eius confiscari possunt, sicuti docet Gl. *in cit. l.1. C. si Reus, vel Accusator,* Gomez *3. resol c.1. num.*8. Clarus *cit.* §. *fin. qu. 51. n.13.* Martinus Delrius *lib. 5. sect. 19.* Quamobrem quibusdam locis consuetudo est, vt tali casu Sagæ, si in carcere, post iuridicam criminis confessionem, aut conuictionem, mortuæ sint, publico loco crementur. Idemque in alijs grauissimis criminibus puta hæresis, læsæ Maiestatis, sodomiæ, latrocinij factitari solitum esse, vt cadauer hominis in tali crimine notoriè deprehensi, conuicti, aut confessi, post eius mortem crematur, aut furca suspendatur, testis est Gomez *cit. c. 1. n. 81.* Clarus *nu. 15.*

Dico II Si Saga in carcere moria-
tur, antequam crimen confessa, vel 30
de eo conuicta est (nisi aliud obstet) in sacro loco sepeliri debet: tãtũ abest, vt corpus eius cremari, aut memoria seu fama eius publicè damnari possit. Ita ex cõmuni Delrius *loc. cit.* Excipe I. Nisi Reus in carcere sibi ipsi mortem consciuerit, tunc corpus eius igne comburi, vel furca suspendi iure potest: cùm

cen-

censeatur crimen, tali pœna (vt ponimus) dignum, ipso facto confiteri, sicut docet Gomez *cit. c. 1. num. 79.* Couarruu. 2. *resolut c. 2.* Delrius *cit. ca.* 19. & videri potest Menoch. *de arbitr. qq. casu* 285. Sed etsi Saga, verbi gratia, sibi ipsi necem adferens, ante mortem de crimine doleat, confiteatur, imò & Eucharistiæ sacramẽtum accipiat, nihilominus Iudex tribunalis sui consuetudinem sequi potest, vt eius, tãquam de crimine suo confessæ, cadauer cremetur, memoria damnetur, bona confiscentur: cùm pœnitentia illa sacramentalis foro externo nihil prçiudicij adferre soleat.

Excipe II. Iudex permittens corpus sepulturæ tradi, tamen protestari poterit, quod litem contra maleficum cœptam prose qui velit; citatis ad defensionem ijs quorum interest, sicuti & in hæresis crimine seruatur, teste Delrio l. c. Verum hoc ius agendi contra defunctum, quinquennij tantum spatio durat, secũdum ciuile ius, sicuti colligitur *ex l si quis defunctum, Cod. de apostatis,* & docet Gloss. recepta *in l. Manichæos , Cod. de hæreticis, ver. subire,* Clarus *quæstion.* 51. *numer.* 14 Gomez *numer.* 81. In foro autem canonico quid obseruãdum sit, videre est *in c. 2. de præscript. in 6.*

31 Corollarium. Reprehendenda est praxis quorundam Iudicum, qui in promulgata sententia Sagæ ad mortem damnatæ, aliam extra, aut intra carcerem defunctam interdũ nominant; quod verbi gratia, fuerit socia, aut magistra artis magicę, cum tamen de hoc crimine coniuncta nõ fuerit, nec confessa. Quare iniquum esse videtur, talem publica sententia veluti damnatam, infamare. Si tamen vehementissima, & quasi indubitata indicia habeantur, vt si quinque, aut sex Sagæ cum debitis circumstantijs ac coniecturis, constanter asseuerarent de aliqua defuncta, quod fuisset magistra in hoc genere magiæ; tolerari potest consuetudo, vt in promulgatione nominetur, si de hoc crimine iam publicè infamata fuerit.

QVÆSTIO IX.

An S. Eucharistia Sagis in carcere morituris ministrari debeat?

NOn loquor de ijs, quæ ad supplicium mortis ducendæ sunt, quibus (sicuti & alijs Reis damnatis) sacrum Viaticum si pœnitentes, & confessæ sint, negari non posse, dicam *lib. 5. tract. 4. c. 6. numer. 13.* & videri potest Binsfeld. *memb. 2. conclus. 7. dub. 5.*

Ad propositam autem quæstionem respondeo, & dico I. Si mulier de veneficijs valdè suspecta, crimen non confiteatur (siue torta sit, siue non torta propter corporis infirmitatem, fœtum in vtero &c.) sacra Eucharistia priuari non potest; si petat, & sacramentaliter confessa sit. Est communis, & probatur ex regula canonica: Cui sacramentum reconciliationis, seu pœnitentiæ da- 32

tur, neque viaticum negandum est. Atque extẽdi debet assertio I. vt locum etiam habeat, etsi mulier crimẽ in tortura confessa sit; sed postea in publico iudicio reuocarit: quia confessio in tortura, nisi postea ratificetur, nõ censetur esse alicuius momẽti. II. Etsi mulier corã Iudice, & Notario extra torturam crimen confessa sit, postea tamen reuocarit, allatis indicijs falsitatis, ob quę Iudex, propter variationẽ & inconstantiã; ad nouo tormenta deuenerit; si ea mulier constanter pertulit, censetur expurgasse priorẽ confessionẽ. Quare si postea in dicta retractatione, seu contestatione innocentiæ perseueret, non debet in mortis periculo constituta sacramentis priuari. Neque his obstat, in quibusdam tribunalibus consuetudinem esse, vt confessio semel facta non nisi per tres torturas purgetur: nã, vt taceã, hanc praxin iuri conformem nõ esse; quia tortura expurgat antecedẽtes criminis præsumptiones, sicuti ex communi Farinacius *q. 4 n. 16 & q. 40 n. 2.* Delrius *lib. 5 s 9. §. cæterùm*: saltem illa extendi non debet ad sacramentorum subtractionem. Etenim sacramenta morituro negari non possunt, nisi constet, eum esse in statu peccati mortalis: de tali autẽ muliere, quæ crimen semel cõfessa, postea retractauit, non constat esse in statu mortalis peccati, videlicet falsæ, & pertinacis reuocationis. Alioquin enim Iudex non debuisset eam torturæ subijcere: cùm tortura adhibenda sit tantùm in causa dubia ad dignoscendam veritatem.

Dico II. Etsi mulier de crimine cõfessa, vel secundum præsumptionẽ fori externi cõuicta sit; si tamen corã Confessario, post seriam admonitionem, constanter neget, fides ei habenda est in foro conscientiæ; ideoque à peccatis absoluenda, & sacro Viatico ante diem supplicij munienda est, sicuti constat ex ijs, quæ supra dixi *q. 3.* Data opera dixi, *Corã Cõfessario*, videlicet in secreto: si enim post Confessionem sacramentalem palàm dixit, se innocẽtem esse; Cõmunio illi neganda est, propter scãdalum: quia publicè præsumitur mendax, pertinax; atque impœnitens.

His quædam addẽda sunt: *Primũ.* Quod dixi de sacro Viatico, non esse denegãdum mulieribus, si iudicio adhuc pendẽte in carcere decessuræ putẽtur; idem fermè sentiendũ de sacra sepultura, non esse negandam decedẽtibus, si de crimine, neq; sufficienter conuictæ, neq; confessæ fuerint. *Ratio est*: Quia consuetudo illa denegandi sepulturam maleficis, alijsve Reis, licet ante mortem sacramentis muniti fuerint; locum tantùm habet in damnatis, vel quorum memoria etiam post mortem damnari potest: horum autem, qui crimen nec confessi, neque de eo sufficienter conuicti sunt, memoria damnari nõ potest: Ergo non debẽt sacra sepultura priuari. Cæterùm, si contra mulierem, crimen maleficij consi-

confiteri recusantē, vehementissima atque indubitata indicia adsint, improbari non potest praxis, vt ipsi mortuę propter violentā præsumptionem criminis, sacra sepultura denegetur. Quamquam eiusmodi homini sacramentaliter confessæ sacrū Viaticum negare non oportet: quia indicia illa & præsumptiones fori externi transferri non debent ad internum conscientiæ examen, q̧ Iudici spirituali, seu Confessario committitur.

Alterum. Si sacra Eucharistia ad Sagas, & alias eiusmodi personas infames deferenda sit, cum minore id solemnitate fieri conuenit; ideoque pulsus cāpanæ per plateas, & magnus comitatus omitti potest. Neque tamen etiam omnino clàm S. Eucharistia deferenda est; perinde, ac si id indecens sit, ideoque nemo scire debeat. Simili ratione dicendum in casibus, quibus Sagæ, vel similes Rei in carcere decedentes, vel vltimo supplicio affecti sacræ sepulturę tradi possunt; non esse id agendum magna cum solemnitate, & cum publicis exequijs; neque tamen etiam omnino clanculum atque furtiuè; sed cum cæremonijs saltem præcipuis, & quasi substātialibus, quæ in Rituali præscriptę sunt. Interim pietatis opus exercent sanguine iuncti & amici, si pro condemnatis, & supplicio affectis priuatim orent, Sacrificia offerant, vel offerri curent, modò non constet, aut vehemens præsumptio sit, impœnitentes decessisse.

Corollarij loco hic adiicere licet casum difficilem & perplexum, at difficiliorem in praxi, ex eodem auctore. Obstetrix quædam, pauper mulier, confitetur Sacerdoti se 40. *circiter infantes baptizasse in nomine Zabulon; quibus postea à Parocho, sine alio baptismate, ceremoniæ tantùm adhibitæ fuerunt. Personæ autem illæ non rectè baptizatæ partim mortuæ sunt, partim adhuc viuunt; sed ferme per varia oppida, vel etiam regiones dispersæ: vt, consideratis omnibus, nullus modus excogitari possit, quo illis defectus Baptismi significetur, nisi mulier Magistratui se prodat, & extremum supplicium subire debeat. Quæritur, quid Cōfessario hic agendum?*

Respondendum videtur; quòd Confessarius *inprimis* mulieri explicare debet grauitatem peccati sui, & spirituale damnum, quod hominibus à se perperā baptizatis accidit; inducere etiam ad renuntiandum Diabolo, si cum eo (quod verisimile est) pactum habeat: Quòd si eam semel, iterum, vel sæpius, si opus sit, instructam & catechizatam, rectè dispositam existimet, & verum propositum concepisse non solùm abstinendi in posterum ab eiusmodi sacrilegijs, sed etiam satisfaciendi, & præstandi ea, ad quæ Confessarius eam obligatam esse indicauerit, tūc, si hæc promiserit mulier, à peccatis absoluenda est.

Deinde verò seu in ipsa Cōfessione, seu postea, tempore magis opportuno,

tuno, Cõfeſſarius operam dare debet, vt in muliere excitet deſideriũ plenè ſatisfaciẽdi pro peccatis ſuis, & reparandi ſpirituale magnum dãnum, quod innocentibus intulit; & ea propter extremum ſupplicium corporis libenter ſuſtinendi ad ſalutem animæ ſuæ & aliorum, ſeq; ipſam ad hoc offerendi. Quod ſi autẽ Confeſſarius ab iſto tam heroico facto mulierem ſuapte natura infirmam, planè abhorrentem conſpiciat, non illam vrgendam multum arbitror, dicendo v.g. aliter ſaluam fieri non poſſe; ne omnino in deſperationem agatur, & in retia Diaboli recidat: ſed contentus eſſe debet, ſi mulier inpoſterum à peccatis & ſacrilegijs eiuſmodi abſtinere firmiter proponat. Licet enim, caſum iſtum ſpeculatiuè conſiderando, probabiliſſimum videatur, quod hæc mulier teneatur ſeipſam Magiſtratui prodere: quia ſalus corporis ex lege Charitatis poſtponenda eſt ſaluti animæ, præſertim non ad vnius, ſed plurium perſonarum: Imò hæc obligatio ex iuſtitia eſſe videtur: quãdoquidem ipſamet mulier homines illos innocentes in ſalutis ſuę diſcrimen per ſummam iniuriam coniecit: Tamen hic ipſe diſcurſus fortaſſe non tam certus eſt, vt à nemine in dubium reuocari poſſit: propterea, quod licet maius in genere ſuo abſolutè conſideratum ſit ſpirituale, quàm corporale damnũ; tamen corporale in hoc caſu maximum & certiſſimum eſt, non item ſpirituale; cum homines illi contritionem ſaluari poſſint. Sed quidquid ſit de hac reſponſione, ſaltem mulier, vt ponimus, obligationem hanc ſeipſam prodendi & ad mortem offerendi non agnoſcit: edocere autem illam probabiliter ignorantem in re non omnino euidente, conſultum non eſt, ſi Confeſſarius arbitretur, ſe non perſuaſurum, ſed magis obfuturum.

* * *



LECTO-



LECTORI CANDIDO S.

Aiebat olim magnus ille Gentium Doctor Paulus debitorem ſe omnibus; & omnibus omnia factum, vt omnes Chriſto lucrifaceret. *Laudaui ſemper & exoſculatus ſum S. Viri zelum, & vbi licuit, veſtigia eius diſcipulus preſsi. Hoc fine cum ſeparatim aliquot magnorum Theologorum tractatus, tum de Eccleſiæ in ſpiritus malignos poteſtate à Deo, tū de eorum internecino in mortales odio: tū de Sagarū & maleficorum horrenda apoſtaſia, criminibus inauditis, & mediis ſeu extirpādi hoc nefaſtum hominum genus, ſeu reducendi ad veri & vnius Dei cultum & religionem, orbi Chriſtiano, maximè verò Sacerdotibus & Confeſſariis dediſſem; volui quoque iis, quibus ſententiæ ferendæ ius eſt tributum, quibusq́; gladius ad iram vindex porrectus ad hanc hominum fecem proſcribēdam & delendam, ſuffragari. Hoc animo clariſs. viri M. Anton. Pereg. Iuriſconſ. Patauini Conſilium ſecundum, quod eſt de Magia & ordine in hoc flagitio procedendi criminaliter, exhibeo, & te valere iubeo.*

tatis inducit. Ergo non eliditur per subsequentem reuocationem extraiudicialem, & non solemnem.

Ad rationem in oppositum respondetur; Denuntiationem, aut reuocationem hominis morituri (præsertim si animo perturbato sit, sicuti plerumque esse solent, qui ad supplicium ducuntur) non efficere præsumptionem certam, sicuti colligitur ex *l. si quis in grau. §. 1 ff ad SC. Syllanianum*, vbi dicitur; Quod vulnerato non creditur, si mox decessurus dicat, se à Titio percussum fuisse; nisi id aliter probari possit.

23 Nihilominus, si Saga constanter Confessario ingerat, quod personam innocentem denuntiarit; permittere illi, imo suadere poterit, vt publice coram populo retractet: tum quia tali reuocatione conscientiam criminis commissi pacatiorem reddet: tum quia negari non potest, talem reuocationem apertè coram Deo teste factam à morituro, aliquatenus debilitare priorem denuntiationem: vt si alia etiam indicia commissæ antea falsitatis accedant, contra denuntiatam personam procedi non debeat.

Ex dictis porro colligitur: Quod Confessarius operam suam frustra locabit, imo querimoniæ, aut scandali occasionem præbebit, si post mulieris supplicium significet Iudici, eam in extremis reuocasse denuntiationes: cum Iudices eiusmodi reuocationem non acceptent, plus fidei habentes iudiciali antea legitimæ factæ denuntiationi, quippe per quam quodammodo ius ipsis quæsitum est: quam extraiudiciali, eique non probatæ reuocationi.

His adde, quod Confessarius sigillum sacramentale violaret, si non accepta prius licentia, aut non declarata voluntate pœnitentis, Iudici, vel alteri cuicunque significaret innocentiam personæ denuntiatæ: eo ipso significans iniuriam personæ denuntiantis. Quare si in aliquo casu Confessarius arbitretur consultum fore, vt Iudicē de hac re admoneat, quia alia etiam indicia innocentiæ habentur: roget mulierem, extra cōfessionem sibi dicat, vt hoc ipsum Iudici significare deinde possit: quippe, qui persuasum sibi habere debet, Confessarium nihil omnino eorum, quæ in confessione sacramentali accepit, siue pro Reo, siue contra Reum sint, indicare.

QVÆSTIO IV.

Si fœmina coram Confessario constanter neget, se Sagam esse dicatque metu grauium tormentorum se maleficii crimen sibi in iudicio affinxisse, quid agendum?

RESpondeo, & dico I. Si talis persona alia peccata sua rectè confiteri, ideoque sincerè agere videatur, à Confessario absolui debet.

Dico II. Confessarius deinde hortari debet mulierem, vt considerato 24
dedecore, quod sibi, ac familiæ suæ infe-

inferet, necnon mortis malo, cuius sibiipsi causa existit, confessionem suam coram Iudice constanter, retractet: dummodo spes aliqua sit, quòd Iudex ante sententiam latam Reum retractare volentem auditurus, aut fidem aliquam habiturus sit. Multi enim Iudices stare solent confessione semel iudicialiter extra metum tormentorũ facta, aut confirmata; nisi probabilissima argumenta commissæ falsitatis appareant: Tunc autem inanis & frustanea erit reuocatio, quæ nihil profutura putatur, sicut bene monet Iacob. Simanca *de Cathol. instit. tit.* 13 *n.* 28.

24 *Dico* III. Si mulier, vel quicunque alius Reus, qui falsa confessione crimen sibi imposuit, ob quod mortis supplicio afficiendus erit, persuaderi sibi non sinat, vt retractet: quia timet, grauissima, qualia antea se passum tormenta recordatur, iterum inferenda fore, ideoq; mori mauult, quàm ea sustinere; hunc Confessarius denique vrgere non debet, ad retractationem cum taliũ tormentorum periculo: quia Reus conformare se potest sentẽtiæ probabili Doctorum negantium, in hoc casu obligationem retractandi sub peccato mortali incumbere: hi sunt Angelus *ver. detractio*, §. 7. Sotus *lib.* 5. *q.* 10. *a.* 2. Tolet *lib.* 5. *c.* 66. Less. *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 7. *assert.* 5. Sa *ver. infamare.* Quamquam cõtraria sententia speculatiuè vera mihi videtur, quæ est Couar. 1. *resol. c.* 2. *n.* 8. Nau. *c.* 18. *n.* 29. Mol. *tract.* 4. *disp.* 37. *concl.* 15. Qui enim causam suæ mortis posuit, tenetur eam tollere, si possit; alioquin sui ipsius occisor erit: Sed Reus, qui sibi crimen falsò affinxit, ob quod morte puniendus est, is causam suæ occisionis posuit: Ergo tenetur eam tollere, retractando crimen falsò sibi impositum. Minor est clara: Maior declaratur simili: Si enim aliquis ignem posuit, ex quo intelligit oriturum esse incendium, nisi extinguat ignem, si possit; tanquam incendiarius damnabitur. Confirmatur: Si enim is, qui crimen falsò affinxit alteri, ob quod supplicio extremo afficietur, omnium sentẽtia: homicida est; cur non etiam, qui sibi affinxit? cum neque suæ, neque alienæ vitæ dominus existat.

QVÆSTIO V.

Si Confessarius ex Sacramentali confessione prospicere se arbitretur, mulierem crimen metu tormentorum confessam, re vera innocentem esse, vtrum Iudicem, tam quam internuntius, & aduocatus hominis confessi, de ea re monere debeat?

R*Espondeo*, Id consultum non esse. 25
I. Quia, vt suprà dictum, Iudex huic retractationi extra iudiciali fidem nullam habebit, post publicã Rei confessionẽ, aut cõuictionem. II. Quia si sciatur, Confessarium intercedere pro Reis, quos ipse innocẽtes esse ex sacramẽtali cõfessione

suspicatur; alij verè nocentes exinde occasionem accipient, facinora sua Confessarium callidè celandi, non sine graui sacrilegio, & animarum suarum pernicie. III. Quia si Confessarius plures Sagas, vel alios supplicij Reos audire solitus, de vnius, non item aliorum innocentia contestetur; hoc ipso aliorum nocentiam tacitè confirmare videtur, sicuti in simili dicam *lib. 5. tract. 6. c. 14. ver. Quinto.*

QVÆSTIO VI.

Quodnam sit Iudicis officium in processu contra maleficas?

RESpondeo I. Vt nulla capiatur, & ad iudiciarium processum trahatur, nisi adsit verisimile criminis commissi indicium: & non sola delatio personarum infamium: siue sola infamia ab hominibus vilibus, & improbis orta, sine probabili causa, aut coniectura, sicuti videre est apud Farinac. *l. 1. tit. 5. q. 42.* & dixi explicatius hoc *c. in fine, q. 2.* II. Vt secundũ numerum delationum, & grauitatem indiciorum, deueniat ad torturam: neq; seuerius, aut sæpius Reũ torqueat, quàm indicia exigant. Dicunt tamen Doctores, quod in crimine hæresis (cui propter grauitatem, crimen maleficij æquiparatur, teste Binsfeld. *memb. 2. conclus. 3. §. hæc quæstio.* Delrio *lib. 5. sect. 5. prope finem*) Iudices proniores esse soleant ad torturam; cùm sit crimen valde perniciosum, suapte natura occultum, ac plena probatione plerumque destitutum, *arg. l. Diuus ff. de qu.* & ex communi testatur Ioãnes Royas *tract. de hæret. assert. 31. n. 296.* Addunt aliqui, dicta crimina adeò detestabilia, & perniciosa; vt quamuis interdum accidat quibusdam pauci ex denuntiantium malitia iniuriam fieri, potius id permittendum sit; quàm vt bonum publicum per Magistratus dissimulationem periclitetur. Arbitror tamen dicendum esse, etiam in hoc crimine veneficij, & alijs similibus, requiri indicia absolutè grauia, vt aliquis tanquã reus capi, & ad criminalem processum trahi possit, vti docet Delrius *lib. 5. disqu. s. 3.* Grauiora autem indicia necessaria sunt, si persona denuntiata, vel aliter suspecta, magni nominis sit, dignitatis, aut status, v.g. clericalis. Ad torturam verò suspecto inferendam generalis regula est, *ex l. 1. ff. de quæstionibus*; Quod talia indicia opus sint, quibus animus Iudicis planè inclinetur ad existimandum, hominem noxium esse: vt iam nihil aliud deesse videatur, quam ipsius Rei confessio, sicuti bene explicat Mart. Delrius *lib. 5. disqu. Magic sect. 3. §. ad assumendas.*

Controuersia autem inter Doctores est; *Vtrum Reus de maleficio condemnari possit mortis pœna propter multiplicatas personarum infamium denuntiationes etsi ipsemet crimen confessus non sit?* Affirmant Binsfeld *de conf. malef. memb. 2. concl. 7.* Gomez *3. resolut. c. 12.*

num.

*num.*18.& alij plerique, contra Prosperum Farinacium *quæst* 43.*nu* 39.
27 62.Martinum Delrium *lib*.5. *sect*. 5. Ratio est: Quia licet depositio seu testimonium personæ infamis minus ponderis habeat, tamen indicium aliquod facit: tantoq; maius, quantò plurium infamium personarum depositiones concurrunt & consentiunt. Ergo fieri potest, tot personas, v.g. duodecim, aut quindecim Sagas de proprio crimine confessas, aliam vt sociam perseueranter denuntiare, vt exinde oriatur indicium moraliter certum seu indubitatum, quod plenæ probationi in criminib. exceptis, suapte natura occultis, æquiualere debet.

Hæc sententia vera est, per se loquendo, & secundùm eam in praxi procedendum est in hæresis crimine. Verùm quod attinet ad crimen sagarum seu maleficarum, alia difficultas non modica se offert. Nam vt testimonia, seu depositiones plurium ad condemnationem hominis non confessi sufficiant, debent ij esse contestes, id est, testificari de eodem facto particulari, sicuti suprà ex communi docui. Atqui existimo, vix vnquam accidere, vt decem, aut duodecim Sagæ in eandem personam denuntiando consentientes, de eodem particulari facto contestentur. Aut enim confessæ, & de socijs interrogatæ id solùm dicunt, Titiam quoque maleficã esse: cuiusmodi tamen denuntiationes, nisi particularium factorum indicijs specificentur, nihil aliud generare possunt, quàm infamiam commissi criminis; quæ si sola sit, parùm probat. Accedit hoc loco, quòd maleficæ interrogatæ de socijs interdum aliquas prodant; non quia eas verè tales esse sciunt, sed quia propter earundem in hoc genere infamiam, vel antecedentem capturam; tales esse suspicãtur. Sin verò vlterius examinatæ specialia facta denuntient, vix accidet, vt multæ in eodem particulari cõsentiant: sed vna dicet, se ante tres annos: altera se ante duos annos Titiam in conuentu Sagarum, ac Dæmonum vidisse: tertia, se eandem sociam habuisse in creanda tempestate: quarta se sociam habuisse in alio magiæ genere. Cuiusmodi denuntiationes infamium personarum, quantumuis multiplicatas, si solæ sint, & non alijs grauioribus indicijs, aut testimonijs confirmatæ, arbitror ad condemnatoriam sententiã haud sufficere.

QVÆSTIO VII.

Vtrum condemnati ad ignem viui comburendi, an prius strangulandi sint?

RESP. ex doctrina Couar. 2.*resol.cap.* 10 *nu*.9. Iulij Clari 5.*fin.q* 99.*n*.7. Binsfeld.*cit.memb*.2.*concl*.7.*dub*.4. & *dico* I. Si lex ob criminis atrocitatem iubeat Reum igne comburi,

intelligitur, vt viuus comburatur: Consequenter Iudex id legis præscriptum exequi debet; nisi sit supremus, qui in lege dispensare possit; vel nisi ob circumstantias, epikeia dictet, legis rigorem in casu particulari mitigandum esse: qua de re vide Prosp. Farinac. *in pract. criminali q.17.n.5.*

28 *Dico* II. Consuetudo apud Christianos viget, vt Rei ad ignem damnati non lenta morte, absque omni subsidio, crucientur; ne in desperationem, aliudve graue peccatum incidant, atque impœnitentes decedant: sed quibusdam locis pectori illorum puluis tormentarius appenditur, cuius concussione extinguantur. Excipe: Nisi impœnitẽtes, & in crimine pertinaces perseuerent hæretici, aut malefici; tum viui, absque subsidio, non immeritò cremantur: cum cesset ratio, cur pœna legibus decreta mitigari debeat.

QVÆSTIO VIII.

An, & quatenus Sagæ, si in carcere moriantur, de crimine infamari, aut damnari possint?

29 RESpondeo, & dico I. Licet ordinariè crimina, eorumque pœnæ morte extinguantur, sicuti habetur *l.1.& 2.C.si Reus, vel Accusator mortuus sit, & l. Lucius, ff. de iure fisci*: tamen id locum non habet in criminibus exceptis: cuiusmodi est v.g. crimen desertæ militiæ, *l. defunctorum, C. de re militari, lib.12.* Crimen læsæ Maiestatis, *l. vlt. C. ad l. Iuliam Maiest.* Crimen hæresis, *l. Manichæos, Cod. de hæreticis,* Crimen Apostasiæ, *l. hi qui, Cod. de apostatis.* Crimen veneficij, seu maleficij, quippe quod secundùm praxin forensem, hæresi æquiparatur. In eiusmodi, inquam, Reus conuictus, aut antea confessus, etiam post mortem damnari, aut bona eius confiscari possunt, sicuti docet Gl. *in cit. l.1. C. si Reus, vel Accusator,* Gomez *3. resol c.1. num.8.* Clarus *cit. §. fin. qu. 51. n.13.* Martinus Delrius *lib. 5. sect. 19.* Quamobrem quibusdam locis consuetudo est, vt tali casu Sagæ, si in carcere, post iuridicam criminis confessionem, aut conuictionem, mortuæ sint, publico loco crementur. Idemque in alijs grauissimis criminibus puta hæresis, læsæ Maiestatis, sodomiæ, latrocinij factitari solitum esse, vt cadauer hominis in tali crimine notoriè deprehensi, conuicti, aut confessi, post eius mortem cremetur, aut furca suspendatur, testis est Gomez *cit. c. 1. n. 81.* Clarus *nu. 15.*

Dico II. Si Saga in carcere moriatur, antequam crimen confessa, vel de eo conuicta est (nisi aliud obstet) in sacro loco sepeliri debet: tãtũ abest, vt corpus eius cremari, aut memoria seu fama eius publicè damnari possit. Ita ex cõmuni Delrius *loc. cit.* Excipe I. Nisi Reus in carcere sibi ipsi mortem consciuerit, tunc corpus eius igne comburi, vel furca suspendi iure potest: cùm 30

cen-

censeatur crimen, tali pœna (vt ponimus) dignum, ipso facto confiteri, sicut docet Gomez *cit. c. 1. num. 79.* Couarruu. 2. *resolut c. 2.* Delrius *cit. ca.* 19. & videri potest Menoch. *de arbitr. qq. casu* 285. Sed etsi Saga, verbi gratia, sibi ipsi necem adferens, ante mortem de crimine doleat, confiteatur, imò & Eucharistiæ sacramẽtum accipiat, nihilominus Iudex tribunalis sui consuetudinem sequi potest, vt eius, tãquam de crimine suo confessæ, cadauer crementur, memoria damnetur, bona confiscentur: cùm pœnitentia illa sacramentalis foro externo nihil prę-iudicij adferre soleat.

Excipe II. Iudex permittens corpus sepulturæ tradi, tamen protestari poterit, quod litem contra maleficum cœptam prosequi velit, citatis ad defensionem ijs quorum interest, sicuti & in hæresis crimine seruatur, teste Delrio l. c. Verum hoc ius agendi contra defunctum, quinquennij tantum spatio durat, secũdum ciuile ius, sicuti colligitur *ex l si quis defunctum, Cod. de apostatis,* & docet Gloss. recepta *in l. Manichæos, Cod. de hæreticis. ver. subire,* Clarus *quæstion.* 51. *numer.* 14 Gomez *numer.* 81. In foro autem canonico quid obseruãdum sit, videre est *in c. 2. de præscript. in 6.*

31 Corollarium. Reprehendenda est praxis quorundam Iudicum, qui in promulgata sententia Sagæ ad mortem damnatæ, aliam extra, aut intra carcerem defunctam interdũ nominant; quod verbi gratia, fuerit socia, aut magistra artis magicę, cum tamen de hoc crimine coniuncta nõ fuerit, nec confessa. Quare iniquum esse videtur, talem publica sententia veluti damnatam, infamare. Si tamen vehementissima, & quasi indubitata indicia habeantur, vt si quinque, aut sex Sagæ cum debitis circumstantijs ac coniecturis, constanter asseuerarent de aliqua defuncta, quod fuisset magistra in hoc genere magiæ; tolerari potest consuetudo, vt in promulgatione nominetur, si de hoc crimine iam publicè infamata fuerit.

QVÆSTIO IX.

An S. Eucharistia Sagis in carcere morituris ministrari debeat?

NOn loquor de ijs, quæ ad supplicium mortis ducendæ sunt, quibus (sicuti & alijs Reis damnatis) sacrum Viaticum si pœnitentes, & confessæ sint, negari non posse, dicam *lib. 5. tract. 4. c. 6. numer.* 13. & videri potest Binsfeld. *memb. 2. conclus.* 7. *dub.* 5.

Ad propositam autem quæstionem respondeo, & dico I. Si mulier de veneficijs valdè suspecta, crimen non confiteatur (siue torta sit, siue non torta propter corporis infirmitatem, fœtum in vtero &c.) sacra Eucharistia priuari non potest; si petat, & sacramentaliter confessa sit. Est communis, & probatur ex regula canonica: Cui sacramentum re- 32 conciliationis, seu pœnitentiæ datur,

tur, neque viaticum negandum est. Atque extẽdi debet assertio I. vt locum etiam habeat, etsi mulier crimẽ in tortura confessa sit; sed postea in publico iudicio reuocarit: quia confessio in tortura, nisi postea ratificetur, nõ censetur esse alicuius momẽti. II. Etsi mulier corã Iudice, & Notario extra torturam crimen confessa sit, postea tamen reuocarit, allatis indicijs sufficientibus, ob quę Iudex, propter variationẽ & inconstantiã; ad nouo tormenta deuenerit; si ea mulier constanter pertulit, censetur expurgasse priorẽ confessionẽ. Quare si postea in dicta retractatione, seu contestatione innocentiæ perseueret, non debet in mortis periculo constituta sacramentis priuari. Neque his obstat, in quibusdam tribunalibus consuetudinem esse, vt confessio semel facta non nisi per tres torturas purgetur: nã, vt taceã, hanc praxin iuri conformem nõ esse; quia tortura expurgat antecedẽtes criminis præsumptiones, sicuti ex communi Farinacius *q. 4 n. 26. & q. 40 n. 2.* Delrius *lib. 5 s. 9. §. cæterùm*: saltem illa extendi non debet ad sacramentorum subtractionem. Etenim sacramenta morituro negari non possunt, nisi constet, eum esse in statu peccati mortalis: de tali autẽ muliere, quæ crimen semel cõfessa, postea retractauit, non constat esse in statu mortalis peccati, videlicet falsæ, & pertinacis reuocationis. Alioquin enim Iudex non debuisset eam torturæ subijcere: cùm tortura adhibenda sit tantùm in causa dubia ad dignoscendam veritatem.

Dico II. Etsi mulier de crimine cõfessa, vel secundum præsumptionẽ fori externi cõficta sit; si tamen corã Confessario, post seriam admonitionem, constanter neget, fides ei habenda est in foro conscientiæ; ideoque à peccatis absoluenda, & sacro Viatico ante diem supplicij munienda est, sicuti constat ex ijs, quæ supra dixi *q. 3.* Data opera dixi, *Corã Cõfessario*, videlicet in secreto: si enim post Confessionem sacramentalem palàm dixit, se innocẽtem esse; Cõmunio illi neganda est, propter scãdalum: quia publicè præsumitur mendax, pertinax; atque impœnitens.

His quædam addẽda sunt: *Primũ.* Quod dixi de sacro Viatico, non esse denegãdum mulieribus, si iudicio adhuc pendẽte in carcere decessuræ putẽtur; idem fermè sentiendũ de sacra sepultura, non esse negandam decedẽtibus, si de crimine, neq; sufficienter conuictæ, neq; confessæ fuerint. *Ratio est*: Quia consuetudo illa denegandi sepulturam maleficis, alijsve Reis, licet ante mortem sacramentis muniti fuerint; locum tantùm habet in damnatis, vel quorum memoria etiam post mortem damnari potest: horum autem, qui crimen nec confessi, neque de eo sufficienter conuicti sunt, memoria damnari nõ potest: Ergo non debẽt sacra sepultura priuari. Cæterùm, si contra mulierem, crimen maleficij

confi-

confiteri recusantē, vehementissima atque indubitata indicia adsint, improbari non potest praxis, vt ipsi mortuę propter violentā præsumptionem criminis, sacra sepultura denegetur. Quamquam eiusmodi homini sacramentaliter confessæ sacrū Viaticum negare non oportet: quia indicia illa & præsumptiones fori externi transferri non debent ad internum conscientiæ examen, qþ Iudici spirituali, seu Confessario committitur.


Alterum. Si sacra Eucharistia ad Sagas, & alias eiusmodi personas infames deferenda sit, cum minore id solemnitate fieri conuenit; ideoque pulsus cāpanæ per plateas, & magnus comitatus omitti potest. Neque tamen etiam omnino clàm S. Eucharistia deferenda est; perinde, ac si id indecens sit, ideoque nemo scire debeat. Simili ratione dicendum in casibus, quibus Sagæ, vel similes Rei in carcere decedentes, vel vltimo supplicio affecti sacræ sepulturę tradi possunt; non esse id agendum magna cum solemnitate, & cum publicis exequijs; neque tamen etiam omnino clanculum atque furtiuè; sed cum cæremonijs saltem præcipuis, & quasi substātialibus, quæ in Rituali præscriptę sunt. Interim pietatis opus exercent sanguine iuncti & amici, si pro condemnatis, & supplicio affectis priuatim orent, Sacrificia offerant, vel offerri curent, modò non constet, aut vehemens præsumptio sit, impœnitentes decessisse.

Corollarij loco hic adiicere licet casum difficilem & perplexum, at difficiliorem in praxi, ex eodem auctore. Obstetrix quædam, pauper mulier, confitetur Sacerdoti se 40. circiter infantes baptizasse in nomine Zabulon; quibus postea à Parocho, sine alio baptismate, ceremoniæ tantùm adhibitæ fuerunt. Personæ autem illæ non rectè baptizatæ partim mortuæ sunt, partim adhuc viuunt; sed fermè per varia oppida, vel etiam regiones dispersæ, ut, consideratis omnibus, nullus modus excogitari possit, quo illis defectus Baptismi significetur, nisi mulier Magistratui se prodat, & extremum supplicium subire debeat. Quæritur, quid Cōfessario hic agendum?

Respondendum videtur; quòd Confessarius *inprimis* mulieri explicare debet grauitatem peccati sui, & spirituale damnum, quod hominibus à se perperā baptizatis accidit; inducere etiam ad renuntiandum Diabolo, si cum eo (quod verisimile est) pactum habeat: Quòd si eam semel, iterum, vel sæpius, si opus sit, instructam & catechizatam, rectè dispositam existimet, & verum propositum concepisse non solùm abstinendi in posterum ab eiusmodi sacrilegijs, sed etiam satisfaciendi, & præstandi ea, ad quæ Confessarius eam obligatam esse indicauerit, tūc, si hæc promiserit mulier, à peccatis absoluenda est.

Deinde verò seu in ipsa Cōfessione, seu postea, tempore magis oppor-

tuno,



LECTORI CANDIDO S.

Aiebat olim magnus ille Gentium Doctor Paulus debitorem ſe omnibus; & omnibus omnia factum, vt omnes Chriſto lucrifaceret. *Laudaui ſemper & exoſculatus ſum S. Viri zelum, & vbi licuit, veſtigia eius diſcipulus preſsi. Hoc fine cum ſeparatim aliquot magnorum Theologorum tractatus, tum de Eccleſiæ in ſpiritus malignos poteſtate à Deo, tū de eorum internecino in mortales odio: tū de Sagarū & maleficorum horrenda apoſtaſia, criminibus inauditis, & mediis ſeu extirpādi hoc nefaſtum hominum genus, ſeu reducendi ad veri & vnius Dei cultum & religionem, orbi Chriſtiano, maximè verò Sacerdotibus & Confeſſariis dediſſem; volui quoque iis, quibus ſententiæ ferendæ ius eſt tributum, quibusq́; gladius ad iram vindex porrectus ad hanc hominum fecem proſcribēdam & delendam, ſuffragari. Hoc animo clariſs. viri M. Anton. Pereg. Iuriſconſ. Patauini Conſilium ſecundum, quod eſt de Magia & ordine in hoc flagitio procedendi criminaliter, exhibeo, & te valere iubeo.*

MAXIMILIANVS DEI gratia Comes Palatinus Rheni Vtriusque Bauariæ Dux.

NObiles, Clariss. & Amplissimi viri, Nobis sincere Dilecti: Occurrunt nobis in causa quarundam maleficarum fœminarum, quoad processum iudiciarium contra illas informandum, aliquot dubitationes ex iure decidédæ: è re igitur nobis fuit visum facti speciem exactè descriptam, vna cum deductione rationum in vtramque partem allatarum, nec non quæstiones aliquot in eadé materia ex iure determinādas ad vos transmittere, benignè requirentes, vt ista omnia maturo iudicio & consilio vestro collegialiter ponderare, & quid vobis de illis videatur, sententiam vestram vna cum allegationibus iuris latius deductam ad nos prima occasione perscribere velitis. Præstabitis nobis eo ipso rem gratam, quam remunerari condigne haud erimus immemores. Vobisq; vicissim fauorem & beneuolétiam pollicemur, Valete. Datū Plumier, I. mensis Iunij Anno 1601.

Nobilib. Clariss. & Ampliss. viris nobis sincere Dilectis Professoribus iuris vniuersitatis Paduanæ.

Padua.

DVBIA.

1 *An denunciatio plurium per se sit sufficiens indicium ad torturam absque alijs indicijs aut adminiculis?*

2 *An inimicitia denūciantium erga denunciatos debeat plene probari per duos testes, vel sufficiat semiplena probatio per vnū testē, aut præsumptio ad elidēdum indiciū denuntiationis?*

3 *An denuntiantes debeant esse contriti, sicuti quidā volunt, cū hoc iure nō sit expressum, & sagæ rarissime pœniteant?*

4 *An ea, quæ de iure, & Constit. Carolina art. 31. requiruntur in denunciatione vnius, requirantur etiam in denunciatione plurium.*

5 *An denūciationibus infamium sit credendum in criminibus exceptis contra personas bonæ famæ, & an duorum, vel plurium infamium denunciationes requirantur?*

6 *An vltra denunciationē pluriū requiratur diffamatio in exceptis, vt possit procedi ad inquisitionem & torturā?*

7 *An satis sit denunciari aliquē, aut aliquā à pluribus quod ipsam viderint in cōuentu & congregatione sagarū ordine ad torturam, absque eo, quod damna fecerit.*

8 *Quando sit talis denunciatio, quod hic aut illa persona interfuerit Conuentibus sagarum, an requiratur specificatio temporis & loci, vel vtrū sufficiat generalis denunciatio plurium absque eiusmodi circumstantijs ad inquisitionem & torturam?*

9 *An in denūciatione plurium requiratur, quod quilibet fecerit confessionē in tormentis, vel vtrum hoc solum procedat in denunciatione vnius.*

10 *An in hoc crimine, aut alijs exceptis admittantur testes singulares in circumstantijs, dummodo concordent in effectu, substantia, & in fine, & an eiusma-*

eiusmodi testes singulares, quando plures sunt, faciūt indi iū ad torturā.

11 *An mulier possit esse testis in causis criminalibus, & an ad confessionem duarum mulierum procedi possit, siue ad torturam siue ad condemnationē.*

12 *An denunciationes fœminarū tanto magis fidem faciant, quando non adsunt testimonia virorū in contrariū.*

13 *An plurium Mirorennium denunciatio faciat indicium ad torturam.*

14 *An Verisimilitudo denunciationis ab vno tantū facta sit sufficiens adminiculum, vt possit procedi ad torturā.*

15 *An malefici denunciātes implicati etiā alijs criminibus faciant indicium ad torturā, maximè quādo sunt plures.*

16 *An extraiudicialis reuocatio infirmet iudicialem, quod non amplius faciat indicium ad torturam.*

17 *Quando nihil inuenitur de instrumentis malefi. ij an denunciatio plurium per hoc eludatur, quod non amplius sit indicium ad torturam.*

18 *An leuiora, & quæ indicia sufficiant ad torturam in criminibus exceptis.*

19 *An iudex prōptior & facilior debeat esse ad torturā in atrociorib. & occultis*

30 *An dignitas excuset à tormentis in hoc crimine.*

21 *An in atrocioribus maior debeat adhiberi tortura, quā in alijs criminibus, & cum sagæ plerunque sint indurata, & maleficio taciturnitatis munita, qualis tortura in hoc crimine maioris sit effectus.*

22 *Quoties possit eleuari reus, & quot possint dari ictus corde pro quolibet indicio in corda, possit teneri eleuatus ordinarie.*

23 *Et quid in vtroq; adsūmā fieri possit*

24 *An nō possit iudex, cum videt esse reū induratam, aut ex alijs iustis causis desistere ab examine, & tortura, & per aliquot dies eam repetere.*

25 *Quid sentiēdum sit de affusione aquæ frigidæ inter gam suspensi rei.*

26 *An, & quādo tortura ex primis indicijs repeti possit, maximè in hoc crimine, cum sagæ plerunq; sint induratæ & obstinatæ.*

27 *An in iure & legibus fundamentum habeat, quod quidam dicūt, torturā repeti debere vltra tertiam vicem, & an illæ tres vices sint intelligendæ de vna die, vel tribus diebus interpolatis, & quid dicendū. si reus cōmisisset tot delicta quod examen vno die absolui non posset.*

28 *An cōsuetudines locorū quoad modū torturæ simpliciter sequendæ sunt, cū magna sit differētia personarū indiciorū, criminum, ita quod nō sēper vno, & codē modo possit procedi, & casus causæ, & genera tormētorum sine lege, sine consuetudine determinari nequeant.*

29 *An etiam iudicibus inferioribus à superiore modus torturæ præscribi possit*

30 *An sit danda copia indiciorū & processus informatiui in criminibus atrocioribus seu exceptis, vel an sufficiat indicia à iudice reo proponi, eumque in continenti cum suis defensionibus oretenus audiri, cum isto modo melius possit haberi veritas.*

31 *An sint concedendi aduocati in atrocioribus, cum soleant ex hoc rei magis indurari, & instigari ad negandum?*

32 *An Confrontatio sagarum, quæ vt plurimum solent esse pronæ ad reuocandum, sit consulta?*

SERENISS. MAXIMILIANO Com. Palatino Rheni vtriusque Bauariæ Duci.

AD singula Serenis. Celsitudinis tuæ postulata, Nos sacri Collegij Patauini Iurisconsulti, rebus pro virili nostra collegialiter examinatis, quæ sequuntur, vnanimi consensu respondemus: Tibi vero interim, quippe Principi religiosissimo & inter alios eminentissimo, cum nostrã operam, tum maximè quàm debemus obseruantiam, propensamque voluntatem, pari cõsensione deferentes. Atque à Deo fœlicia omnia precantes manus ex animo osculamur. Datũ Pataauij 6. Idus Ian. 1602.

Prior & Doctores Sacri Colleg. DD. Iuristarum Paduæ.

SVMMARIA.

1 *Denunciatio plurium, de per se, an sit sufficiens indicium ad torturam.*

2 *Denunciatio vnius tantum, an sit sufficiens indicium ad torturam. Reus de se confessus potest interrogari de sociis in criminibus exceptis, magia crimen est de criminibus exceptis.*

3 *Nominatio sola vnius rei confessi, non facit indicium ad torturam contra nominatum.*

4 *Testis vnicus infamis infamia iuris etiã in exceptis nõ facit indiciũ ad torturã, nisi alia accedant adminicula.*

5 *Nominatio rei confessi de aliquo in socium criminis facit indicium ad inquirendum & ad retinendum eius personam, in criminibus exceptis, secus tamen in non exceptis.*

6 *Nominatio plurium reorum de se ipsis confessorum, an sufficiat ad torturã contra nominatum in exceptis, & in non exceptis.*

7 *Testes vbi inhabiles sunt, an numerus suppleat fidem.*

Numerus an suppleat fidem plurium testium inhabilium. ibid.

8 *Denunciatio plurium criminosorum de se ipsis confitentium, facit contra nominatos fidem ad torturam.*

9 *Numerus supplet fidem in testibus.*

10 *Testes plures licet infames in criminibus exceptis faciunt fidẽ ad torturã.*

11 *Rei cõfessi nominatio de alio correo facit indicium, accedentibus aliis coniecturis.*

12 *Indicia plura etiam remota sufficiunt ad torturam.*

13 *Singula quæ non possunt, multa coaceruata iuuãt in probationibus, quæ diriguntur ad vnum certum finem.*

14 *Rei plures de se confessi nominãtes aliquem correũ probãt, secundũ aliquos ad illius condemnationem. Sed illorũ opinio communiter improbatur.*

15 *Testes alias inhabiles & non integri, quamuis plures, non sufficiunt ad cõdemnationem ordinariam.*

16 *Testes inhabiles recepti in criminibus occultis & exceptis, non tamen sunt omni exceptione maiores.*

17 *Testes si habiles essent, qui facerẽt fidẽ ad condemnationem, si inhabiles sint, prosunt ad torturã. Et vbi si habiles essent ad torturam tantũ sufficerent: si inhabiles sint prosunt ad inquirendum.*

18 Te-

18 *Testes in grauibus probant, nisi ex aliquibus falsa dicere præsumantur.*
19 *Testes plures inhabiles quando poßint inuicem se habilitare.*
20. *Probationes an debeant esse claræ, quo ad torquendum.*
21 *Probationes vehementiores desiderantur ad condemnandum in atrocissimis.*
22 *Inimicus repellitur à testimonio ferendo contra inimicum.*
23 *Inimicus testis receptus etiam in tortura non facit indicium, etiam in criminibus exceptis.*
24 *Inimicitia est contra ius naturale, ideo non præsumitur, sed probatione indiget.*
25 *Inimicitia probatur per verisimiles coniecturas.*
26 *Inimicitia in probanda seruantur regulæ in materia probationum.*
27 *Inimicitia quæ repellat, an debilitet dictum testis.*
28 *Inimicitia an sit leuis, an grauis, relinquitur arbitrio iudicis.*
29 *Inimicitia probatur ex causis grauis odii.*
30 *Inimicitiæ causa & qualitates probari debent.*
31 *Odiosus repellitur à testificando, licet non inimicus. Amicus inimici non est idoneus testis. ibidem.*
32 *Denunciatores in crimine publico, & in aliis exceptis, an debeant esse contriti & pœnitentes.*
33 *Caroli V. Imper. constitutio de indiciis sufficientibus in crimine Magiæ ponitur.*
34 *Infamium denunciationibus an sit credendum.*
35 *Bona fama denunciantis elidit præsumptionem ex nominatione rei orientem, etiam in exceptis. Sed an elidat præsumptionem ex nominatione plurium, difficilis est quæstio.*
36 *Testes famosi, etsi recipiantur in criminibus exceptis, non tamen sunt integræ fidei.*
37 *Indicia sufficientia ad torturam contrariis eliduntur.*
38 *Rei criminis denuntiantes alios, si alias præterea patiantur inhabilitates, non faciunt sufficiens indicium ad torturam.*
39 *Diffamatio an præcedere debeat etiam in exceptis, vt deueniri poßit ad inquisitionem & torturam.*
40 *Inquisitio de iure formari non potest, nisi præcedat diffamatio inquisiti, secus tamen in atrocibus.*
Inquisitiones de consuetudine formantur, etiam non præcedente diffamatione.
41 *Nominatio rei de se confeßi de aliquo pro conreo criminis, sufficit ad inquirendum, personaliter citandum, detrudendum in carceres, non tamen ad torturam.*
42 *Indicia ad torturam debent esse clara & proxima.*
43 *Fama sola in criminibus occultis facit indicium ad torturam.*
44 *Striges non solent conuenire in suis conuentibus priusquam Christum Deum abnegauerint, & societatem cum Diabolo coierint.*
45 *Tempus & locus inseri debent in accusationib. denunciis, & inquisitionib.*

46 Iudex inquirẽs succedit loco accusatoris.
47 Dies an debeat inseri in inquisitionib.
48 Inquisitio formata sine adiectio ne temporis & loci, est ipso iure nulla.
49 Tempus & locus delicti necessario inseri nõ debet, vbi citatio reo trãsmittitur de crimine aliquo occulto, læsæ Ma. Hæresis. Fals. Magiæ. & similibus.
50 Tempus & locus an inseri debeant in accusationibus, denunciis & inquisitionibus in delictis successiuis consistentibus in facto. Et quid in delictis ob non factum.
51 Testibus criminosis & infamibus non creditur absque tortura.
52 Reus criminis nominans alium non probat, nisi in tortura, & si extra torturam nominauerit, debet in tortura confirmare.
53 Tortus præsumitur dicere veritatem.
54 Testibus singularibus an standum sit in criminibus grauibus & atrocibus.
55 Probationes in criminibus atrocibus & exceptis requiruntur prout in aliis, nisi contra reperiatur dispensatum.
56 Testes non probant, vbi agitur de probatione vnius certi actus, si testes ipsi discordẽt inter se de loco, aut de tẽpore.
57 Singularitas obstatiua est vbi agitur de probatione certi actus, & testes discordant in loco aut in tempore: sed non vbi agitur de probando in genere.
58 Singularitas nõ obstat in actib. reiterabil.
59 Singularibus testibus Iudex potest adhibere fidem.
60 Testes plures inhabiles singulares in factis reiterabilibus, quamuis non sufficiant ad condemnationem, satis tamen sunt ad torturam.
61 Testes repulsati, qui non sufficiunt ad cõdemnationem, satis sunt ad torturã.
62 Testes singulares super diuersis indiciis an sufficiant ad torturam.
63 Testes famosi, qui admittuntur in exceptis super facto principali, attamen super adminiculis & indiciis non sunt idonei, nisi plures, aut verisimilia deponant
64 Mulier an possit esse testis in causis criminalibus.
De iure Canonico nõ recipitur, ac ideo in foro Ecclesiastico repellitur
Fallit vbi ciuiliter pro crimine agitur
Fallit vbi iudex inquirit & mulierem assumit in testem.
Fallit in criminibus exceptis.
65 Mulier de iure ciuili testificatur in criminalibus. Nisi pateretur defectus Infamiæ, Vilitatis, Paupertatis.
66 Mulierum duarum testimonium in criminalibus prodest ad torturam.
67 Mulierum testimonium in criminalibus minoris fidei est, quam virorum.
68 Mulierum duarum testimonium non prodest ad condemnationem ordinariam in criminalibus criminaliter actis Imo nec etiam trium.
69 Mulierum testimonium in ciuilibus integrum est.
70 Testium conditio spectanda est.
71 Minor 25. annis maior 20. est testis idoneus in criminalib.
72 Pubes minor 20. annis an in criminalib. sit testis idoneus? Si sit pauper & vilis, non est idoneus.
73 Minorem 20. annis puberem tamen, potest iudex assumere in testem.
74 Puberis testimonium recipitur in criminalibus

minibus exceptis.

75 Impuberes nō testificātur in criminalib. Fallit cum de morte domini occisi quæritur.

76 Impubes maior infante, in exceptis est testis idoneus.

77 Iudex in criminalibus ex officio suo examinat impuberes.

78 Impuberis testimonium non facit probationem ad effectum condemnationis: sed an ad effectum torturæ sunt opiniones: negatiua verior est; nisi plures impuberes testificarentur, aut cōcurreret indicium aliquod non leue.

79 Impuberum duorum testimonium non sufficit ad condemnationem ordinariam, sed ad extraordinariam secundum aliquos.

Verisimilitudo denunciæ cum denunciatore an sit sufficiens indicium ad torturam.

80 Inuerisimilitudo multum detrahit de fide testis.

81 Falsitatis imaginem habet, quod verisimile non est.

82 Confessio nō verisimilis nō nocet cōfitēti. Numerus testium non supplet fidem vbi inuerisimilia testificantur.

83 Verisimilitudo multum de fide auget, & supplet defectus testium.

84 Verisimilitudo magnum præstat fundamentum ad torturam.

85 Torturam in atrocioribus iudex facile adhibere debet.

86 Testes infames & repulsati verisimilia deponentes, in non exceptis non faciunt fidem ad torturam.

87 Infames infamia facti aut iuris, quam fidem faciant in criminalibus exceptis, & non exceptis.

88 Rei de se confessi & conuicti infamati pro alijs criminibus denunciantes socium criminis, non faciunt indicium ad torturam, etiam in exceptis.

89 Extraiudicialis assertio rei exculpantis nominatum, an infirmet nominationem de eo iudicialem, vt nominatus torqueri non debeat.

90 Morientis dictum non probat in præiudicium tertij, si fuerit testis, Iudex, aut Notarius.

91 Morientis dictum ad exculpandū Reum prodest ad vitandum torturam. Moriens non præsumitur mentiri, & facit indicium Innocentiæ pro reo.

92 Morientis exculpatio prodest reo, etiam in grauioribus & atrocioribus.

93 Inuentio instrumentorum apud reum pertinētium ad delictum subiectum, facit indicium ad torturam, non inuentio facit indicium pro reo.

94 Indicia quæ sufficiant ad torturam in criminibus exceptis.

95 Transgredi iura licet in grauioribus, & in his ordo est, ordinem non seruare.

96 Tortura facile adhibetur in atrociorib.

97 Tortura an adhibeatur in atrocioribus, nō præcedentibus legitimis indiciis.

98 Confessio facta in tortura, non legitime adhibita, non nocet reo.

99 Tortura est iniuria corporalis, & cruciatus morti proximus.

100 Probationes vehementiores desiderantur in atrocissimis ad effectum condemnandi.

101 Indicia etiā non legitima sufficiunt ad torquendū in occultis & in atrociorib. id est, quæ leuia sint, non tamen sine indi-

135 Reus

135 *Reus reuocans confeßionem factam in tortura, poteſt repeti.*

136 *Torturam vltra tres vices repeti non poſſe deciſum eſt.*

137 *Reus confeſſus & retortus per trinas vices, negant extra torturam, non eſt vlterius torquendus.*

138 *Teſtis varij dictum preualet quod aſſeruit in tertia tortura.*

139 *Conſuetudines curiarum in modo torquendi ſeruandæ ſunt.*

140 *Stylus curiarum in ordinib. indiciorum ſeruatur, & in torturis.*

141 *Torturæ modus ſeruandus eſt pro ſtylo & vſu loci.*

142 *Torturæ modum Princeps præſcribere poteſt.*

143 *Princeps committere nequit, vt non torquendus torqueatur, & indices qui obediunt, non excuſantur.*

144 *Copia indiciorum danda eſt reis inquiſitis.*

Etiam in atrociſsimis, & n. 145.

Et etiam quod reus ſit malæ opinionis & famæ. 146.

Ac etiam quod proponeretur timor ſubornationis teſtium num. 147.

148 *Tortura adhibita non decreta indiciorũ copia, nullitatis vitio ſubiacet.*

149 *Defenſiones poteſt iudex cõſtringere reo.*

150 *Princeps circa defenſionum modum poteſt alterare iuris ordinem.*

151 *Aduocatorum patrocinium reo in quibuſdam caſibus negarunt.*

152 *Aduocatus intereſſe non debet examinibus reorum.*

153 *Aduocatus non debet inſtruere reum ad tacendum veritatem.*

154 *Aduocatus niſi conſulat clientem reſtituere, quod indebite tenet peccat.*

155 *Aduocatus mortuo reo iuſte defendit hæredes vbi agitur de damnanda memoria defuncti.*

156 *Confrontatio reorum an conſulta ſit, vt fiat.*

157 *Nominatio rei confeßi de aliquo illum non grauat, niſi in tormentis præſente nominato repetita ſit.*

CONSILIVM.

De Maleficiis, De Strigiis, & de ordine procedendi criminaliter, plures Quæſtiones.

AD I. quæſitum. An denunciatio plurium per ſe ſit ſufficiens † indicium ad torturam abſque alijs indicijs, aut adminiculis? 1

Reſpondemus, prius videndum eſſe, quid ſi nominatio facta ſit ab vno † tantum. Nam plures auctores magni nominis ſenſerunt, in criminibus exceptis, in quibus criminoſus de ſe confeſſus poteſt interrogari de ſocijs criminis, inter quæ numeratur crimen Magiæ *l. fi. C. de Malef. & Mathem. cum pluribus auctoribus congeſtis à Proſp. Farinac. l. 2. q. 43. n. 67.* nominationem vnius ſolius criminoſi facere indicium ad torturam, ob grauitatem, & immanitatem horum criminum. Pet. Cyn. & Angel. *in l. fi. C. de accuſat. Butr. Imol. & Abb. in c. 1. de confeſ. Gandin. in tit. de quæſt. & Tort. nu. 18. Bonif. de Vitalin. in rub. Quæ indicia præced. deb. ſub nu. 9. Guid. de Suzar. in tract. de indic. ſub nu. 42. Amber. de* 2

Bonon. in suo tract. de quaest. sub num. 9. vbi refert fic vidisse practicari. Marc. Anton. Blanc. Patauinus Iurisconsultus celeberrimus in tract. de indic. sub num. 378. Anton. Gomet. Delictorum in tit. de probation. sub num. 18. Petr. Plac. Delict. cap. 13. num. 28. Feder. Scot cons. 10. num. 28. & 31. libr. 2. vbi in occultis. nam in istis regulae iuris scripti in pluribus degenerant, tum quo ad hoc, quod reus de se cõfessus potest interrogari de socijs criminis, *d. l. fi. C. de Malefi. c. literas. de praesumptio. cap. 1. de confess. & cap. nemini 15. quaest 3. contra regulam in l. repeti. ff. de quaest. & in l. fin. C. de accusatio.* tum etiam quod testes infames etiam infamia iuris audiuntur aduersus reum tanti facinoris, *l. famosi ff. ad l. Iul. Ma. cap. in fidei de haeretic. in 6. cap. per tuas de Simon. & l. ob carmen. §. si ea. ff. de testibus.*

Communis tamen recepta sententia contra stat, quia etiam in istis
3 † grauioribus, & atrocissimis non est incipiendum à tortura, absque legitimis indicijs praecedentibus, ad regulam *in l. 1. in princ. ff. de quaest. & in l. milites. C. eod.* & pro regula statuerunt Hip. Marsil. *in l. 1. col. 2. & in l. de minore. col. 2. ff. eod. & in singul. 117. Gigas de crim. laes. Ma. in tit. quomod. & per quos. q. 26. Iul. Clar. in criminalib. §. fin. q. 64. sub n. 9. Mascard. plures alios adducens conclus. 1391. n. 4. & plenius dicemus in resolutione, 18 dubij.*

At dictum vnius solius testis infamis de iure alias regulariter inha-
4 bilis † in criminalibus, etiam in istis exceptis, solum non facit fidem ad torturam, nisi alijs adminiculis iuuetur. *Bal. cons. 259. lib. 1. Ang. in l. 3. C. ad leg. Iul. Maiest. Alex. cons. 11. n. 11. lib. 1. & cons. 89. n. 12. lib. 3. Dec. cons. 189. sub n. 10. vers. Secundo etiam respondetur. Mars. cons. 101. nu. 36. 37. Parij. cons. 151. num. 3. l. 4. Carer. de indic. & tortur. §. quae autem. num. 3. & 5.* vbi ampliat, etiam cum tortura. *Menoch. de praesump. lib. 1. q. 89. numero duodecimo, cum pluribus alijs adductis à Farin. lib. 2. q. 37. numero 58. & q. 56. num. 68. & nu. 70.* & est regula generalis tradita à Bart. *in l. 1. §. idem Cornelio. ff. de quaestion. per illum text. de qua re dicetur infra in 18. quaesito.* Igitur pari ratione reus de se confessus, qui quidem perditus & infamis est, interrogatus de alijs non faciet fidẽ quo ad effectum torturae, & sic communiter concluditur. Gloss. & Sal. *ad fin. in d. l. fin. C. de accusatio. Bart. in l. maritus. ff. de quaest. iuncta l. qui vltimo. ff. de poen.* vbi quod facit quale quale indicium. Bald. *d. cons. 259. Ang. & Rom. in l. si certus. ff. ad Sillan. Alex. explicite cons. 11. numero quinto libro 1. & 89. sub num. 12. lib. 3. & 124. ad finem lib. 6. Corn. cons. 95. ad finem, lib. 1. Socin. 96. col. 4. lib. 3. decis. 189. sub num. 10. versic. secundo etiam. Marsil. in §. diligenter, n. 60. & in l. 1. §. diuus. num. 5. ff. de quaest. & sin. cons. 74. num. 8. & 12. & cons. 109. num. 16. & 130. num. 42. & in sing. 109. Ruin. cons. 146. col. 1. & 147. sub n. 3. l. 5. Paris. d. cons. 151. n. 9. l. 4. Boer. decis. 319. col. 1. & nu. 3. Grammat. decis. 28. n. 12. 34. n. 37. & melius decis. 56. n. 1. & in cons. 21. nu. 6. & 66. n. 4. Nat. 298. n. 3. Crau. optime in cõs. 78. col. 2. Rol. l. 1. cons. 16. n. 17. & 73. n. 20.*

Bertaz.

Bertaz. cons. 40. n. 11. & infra, & plenius in cons. 310. per totum, & 332. & 341. nu. 25. vbi secus concludit concurrentibus alijs indicijs, & adminiculis. Decian. *cons. 18. n. 64. 67. 68. l. 1. & pulchre Onded. cons. 100. n. 16. l. 1.* & in tractatibus subsecuti sunt, Gigas in tit. *quomod. & per quos q. 7. n. 5. Carer. sub tit. de haeresi n. 118. Boss. de indic. n. 11. 66. 149. & 198. Clar. q. 21. n. 9. Ioan. de Arnon. Soliloq. 94. Menoch. de arbitr. casu 474. nu. 43. & praeter hos Fran. Brun. Cason. & alij adducti à Mascard. conclus. 1317. num. 52. Farinac. qu. 43. n. 145. & 155.* vbi concludit nominationem rei confessi in istis exceptis facere indicium ad torturam, si praeterea concurrant alia adminicula & praesumptiones, & idem prius clare dixit; *n. vigesimo septimo* & sic declarāda sunt dicta ab eo sub *num. 43.* & nouissime Delrius Disquisition. Magicar. *lib. 5. tom. 3. section. in § ad torturam.* vbi in solo dicto vnius criminosi communem dicit, vt non faciat indicium sufficiens ad torturam. & ita vt alia adminicula & euidentia Argumenta desiderentur, videtur text. *in l. sicuti Cod. de qu.* vnde infertur nihil obesse, quod reus de se confessus in criminibus exceptis interrogari possit de socijs, nam non sequitur, vt vnius indicatio sufficiat ad torturam absq; alijs indicijs, istud enim est: de quo quaeritur. An quia iura permittunt reum de se confessum in istis exceptis interrogari posse de alijs eius nominatio sufficiat ad torturam absque alijs adminiculis, quod communiter negatur.

5 Fatentur tamen communiter omnes nominationem vnius rei confessi † sufficere ad inquirendum aduersus reum nominatum, & ad trāsmittendum inquisitionem reo, vt personaliter comparere debeat, Bal. *in l. primo C. de Sum. Trin. sub numero 5. Clar. d. q. 21. n. 2.* quod tamen secus est in alijs non exceptis, idem Clar. *sub num. 6. & latius alijs adductis declarauit Farin. d. qu. 43. numero 130.* & praeterea prodest ad capturam rei, si haberi poterit. Salic. *in l. absentem, numero 9. C. de accusat. Boer. decis. 319. sub numero quarto.*

6 Videndum modo est iuxta ordinem quaesiti, an plurium criminosorum † nominatio faciat fidem ad effectum torturae, vt in puncto, & adhuc dubitabile est? Sane in criminibus non exceptis nominationem plurium non grauare, quia de iure eis non creditur in caput alterius, *l. fi. C. de accus.* professi sunt Grammat. *cons. 21. post num. 10. Natta cons. 298. nu. 10. Mascard. conclus. 1317. numero 18.* & in exceptis, in Maleficis, & Falsarijs idem Marsil. *consilio 109. numero 10. & 78. numero 13.*

7 & vbi testes † sunt omnino inhabiles, vt numerus non suppleat fidem, Pet. Ancar. *cons. 246. in causa Alex. in l. si quis ex argentarijs, § cogentur, n. 1. ff. de eden. Corn. cons. 333. col. 7. l. 1. Fel. in c. testimon. n. 5. de testib. Crau. cons. 99. numero decimo, & de antiq. temp. in 1. par. in § quod libro officialis n. 19.* vbi absurdū reputat, quod plures testes omnino inhabiles possint se facere habiles.

habiles, & vnus dare alteri, quod ipse non habet. Et in criminalib. vt plures inhabiles testes non iungantur ad quæstionem, & torturam, videtur casus *in d. l. 1. §. Idem Cornelio. ff. de quæst. & ibi Bar.* & in pluribus nominantibus, Rolan. *cons. 16. n. 18. & n. 23. l. 1. Burs. cons. 201. n. 61. Bertaz. cons. 28. n. 3. & 116. n. 21. c. 234. col. 1.*

Sed contra, quod nominatio plurium criminosorum † in his atrocibus faciat fidem, etiam ad torturam, ratione demonstratur. Nam isti iure interrogari possunt de socijs, *d. l. repeti. ff. de quæst. l. fin. C. de Malefic. & d. c. in fidei, de hæret. in 6.* & licet singuli non faciant fidem ad torturam, faciunt tamen qualem qualem præsumptionem, vt supra diximus, quæ sufficit ad inquirendum. Numerus ergo augebit illam qualem fidem, vt sufficiat ad torturam, népe † in testibus numerus supplere solet, quod deficit in fide. *l. 3. §. quæ argum. ff. de testib. cum Gloss. in verbo numerus*, & inde notarunt Iaccob. Butrig. & Florian. *& l. ob carmen § si ff. eo. Alex. cons. 47. col. 1. & cons. 78. l. 2. & 149. col. 2. l. 5 Dec. cons. 163. col. pen. Curt. iun. 168. n. 16.* Præterea † plures testes infames infamia iuris regulariter inhabiles, in alijs non faciunt indicium ad torturam, in exceptis auté vtique, & ad transmittendum reo inquisitionem particularem, si personaliter capi nō poterit; sicuti post plures ab eo relatos firmauit Farinac. *q. 56. n. 68.* igitur & plures rei de se conuicti, & confessi, nam quo ad illum nominatum sunt loco testium.

Vlterius, si cum dicto rei criminis † contra denunciatum concurrat aliquod adminiculum, seu indicium veluti vnus testis de auditu, vnus testis de visu non integer, inimicitia nominati, fama, fuga extemporanea conuersatio, secreta collocutio, & eiusmodi, dictum rei sufficit ad torturam, quamuis hæc sint remota à facto, sicuti ex aliorum traditionibus plene probauit Farinac. *dict. qu. 43. à nu. 163. vsque 177.* igitur & multo magis si cum nominatione vnius ex reis concurrat nominatio alterius, aut duorum, nam hi afferunt adminiculum de facto, & super facto, & ad hoc videatur text. *in dict. l. 1. § si serui ff. de quæst.*

Rursus plura indicia † etiam remota sufficiunt ad torturam. Bart. & communiter posteriores *in l fin. ff de Quæst. Ang. Aret. in verbo, quod fama publica. nu 6. & Aug. ad eum sub n. 52. Boss. in tit. de indic nu. 71. Blanc. de indic. num. 150 & ex communi pluribus citatis Farinac. dict. quæst. 37. nu. 11. & latius nu. 43.* item plures testes quamuis singulares, & ipsi sufficiunt ad torturam, vt dicetur *infra in 8. quæsito.* Item † in probationibus, quæ diriguntur ad probationem vnius facti, seu vnius delicti, quia tendunt ad vnum & eundem finem, quæ non prosunt singula, multa coaceruata iuuant. Barr. & posteriores *in d. l. 1. §. Idem Cornelio.* Quibus ac similibus rationibus sic concludunt Auctores.

Boer.

Boër. *d. decis.* 319. *num.* 17. vbi refert, sic bis iudicatum in Curia Burdegal. ob nominationem duorum aut triũ reorum. Et in Curia Parisien. sic seruari retulit Papon. *libro duodecimo, titulo decimotertio. Aresto* 2. *&* 3. *Clar. qu.* 21. *sub num.* 11. vbi refert Grammat. super Capitul. regni attestantem sic seruari in regno, & præter hos Gigas. *dict. titul. Quomod. & per quos quæst.* 8. *Crau. consil.* 178. *sub numero tertio. Roland libro primo consil.* 16 *num.* 20. *Bona. cos. commun. opinion part.* 1. *versicul. indicium faciunt. Farinc. quæst.* 43. *num.* 37. *& q.* 44. *num.* 6. *Bertaz. cons.* 225. *num.* 20.

14 Quinimò, quod magis est, senserunt nonnulli, duos aut tres † reos criminis nominantes in tortura aliquem conreum criminis, facere fidem, etiam ad condemnationem. Gomet. *Variar. Resol. tomo* 3. *cap.* 12. *sub tit. de probation delictor. num.* 18. & sic seruari in Regio Cathaloniæ consilio testatur Ludouic. Regner. *in criminal. decision* 5. *num.* 38. Imò & vnius, concurrentibus multis alijs adminiculis. Menoch. *consil.* 171. *nu.* 62. Sed horum opinio communiore scriptorum calculo improbatur. Boss. *de indic sub num* 165. *iuncto numer.* 177. *Marsil in* §. *Diligenter. num.* 68. *Boer. dict. decis.* 319 *sub numero* 4. *Blanc. de indic n.* 384 *cum pluribus alijs adductis à Farin. qui sic ex communi concludit. quæst* 43. *n.* 39 *&* 40. nisi testimonium inhabilium ex verisimilibus alijs cõfirmaretur. Menoch. post alios *consil* 149. *num.* 12 *&* 13. & multorum auctoritatibus iterum confirmat; *q* 62. *num.* 73. *& infra.*

Et est ratio, quia vbi testes † alias inhabiles, & non integri admittuntur, non faciunt plenam probationem, nec numerus supplet in eis fidei defectum, ad effectum cõdemnationis ordinariæ. Ias. post alios. *in Auth si vero contigerit. C de indic. Marsil. cons.* 109. *num.* 6. *& in singul.* 177. Sed quo ad torquendum sic. Gram. *cons.* 1. *num.* 5 *Natt. consil.* 474 *num.* 3. *Farinac. quæst.* 43. *num.* 167 *& quæstion.* 62. *num.* 75. 15

Et ratio rationis est, quia testes iure inhabiles recepti † in criminibus occultis aut exceptis, non tamẽ sunt omni exceptione maiores. Marsil *consil* 109. *num.* 15. *Gram. consil.* 59 *num.* 12. *cum concordantibus adductis ab eodem Farin. q.* 37. *num.* 63 *& q.* 43. *n.* 40. *& q.* 56. *num.* 71. *&* 155. *& quæst.* 62. *num.* 383. 16

Et conclusio denique sit, quod vbi testes † si essent omni exceptione maiores, facerent fidem ad effectum condẽnationis, hi si inhabiles sint faciant fidẽ ad torturam, & vbi illi prodessent ad torturam tantum, isti iuuent ad inquirendum, & ad transmittẽdum reo inquisitionem, & ad capiẽdum personaliter reum: Sic Ias. *in l.* 1. *C. de Sum. Trin. in* 2. *lect. n.* 46. *Barbat. in rep. c. testimonium. ext de testib. par.* 2. *n.* 15. *Farin. q.* 56. *n.* 54. *& infra.* 17

Hanc tamen firmatam cõclusionem † libenter moderamus ad tẽperamenta *text in c. in fidei. de hæret. in* 6. *ibi* si ex verisimilibus coniecturis, ex numero testium, vel ex qualitate 18

deponentium, vel ex personis eorum, contra quos deponunt, falsa non dicere præsumantur, quem ad ad hoc aduertit Franc. Aret. *in c. cum P. Manconella. ex. de accusat. sub num. 21. & 22.* sequitur Hip. Marsil. *consil 24. num. 13. Roland. consil. 73. numer. 25. lib. 1. Onded. cons 100 n. 17. Sprenger. q. 4. fol. 376.* Quibus cōsensit Petr. Rinsfeld. *lib. 3. conclus. 6.* vbi vltra numerum ponderat diuersas circūstantias; An testes constanter perseuerent, pœnitentes ad iudicium accedant, moueantur cum contritione, nullo odio, aut rancore occupati contra denūciatos, verisimilia deponant. Nec dissentit Delr. *tomo 3. lib. 5. section. 3. in vers. Ad torturam, vbi inquit:* Ad torturam sufficiunt hæ conditiones, si aliæ confessiones plurium reorum concurrant, vel etiam adminiculētur alia indicia. Et vltra dicta istorū patrum est text elegans *in c. accusatus. §. licet, de haret. in 6. in illis verbis.* Et postmodum velint corrigere dictū suum contra alios suos complices deponendo, cum crimen huiusmodi sit exceptum, si ex manifestis indicijs apparuerit, tales non animi leuitate, aut odij fomite, seu corruptione pecuniæ, sed Zelo fidei orthodoxæ, velle dictum suum corrigere, in fauorē fidei, nisi aliud obsistat, stari debet tam contra se, quam contra alios attestationibus eorundem.

19 Et sic tenendo & declarando, non obstat opposita ratio, quod † plures inhabiles testes simul iuncti non possint inuicem se habilitare. Nam regula & ratio procedit in omnino inhabilibus, sed vbi tales sunt, quod quilibet de per se facit qualē qualem præsumptionem, intrat, vt plures simul iuncti ex pluribus præsumptionibus suborientibus ex dicto cuiuslibet faciant vnam probationem integram, quæ sufficiat ad torturam, Bart *in d. § Idem Cornelio* & sic clare sensit Natt. *consil. 298. num. 10.* & fuit resolutio Corn. *in l. 1. C. de testam. num. 35. & in cons. 42 col. fin. lib. 1. & 172. num 20 volum. 2. Crau. consil. 9. num. 12. & 99. num. 10. Roland. cons. 98. num. 34 cum alijs congestis à Farin. quæst. 34. num. 41. & latius quæst 62. num. 317. & num. 341.*

Nec obest, si diceretur, quod † sicut probationes in condemnando debent esse claræ, *l. fin. C. de probat.* sic & ad torquendum, Bald. *consil. 257. verba col. 2. volumin. 1. per text. in l. si quis. C. ad leg. Iul. Ma. Marsil. consil. 101. nu. 13. Roland. cons 16. num. 29 lib. 1.* Nam solutio est, vt probationes debeāt esse claræ, proportionabiliter in suo genere, & prout de quali periculo agitat. Farinac. *d qu. 37. sub n. 5 post Franc. Personal. & Bruonor. à Sole ab eo relatos.* 20

Nec n. negamus in istis † atrocissimis, in quib⁹ agitur de honore, de substātia, & de vita hominis, nō desiderari vehemētiores probationes & præsumptiones ad condemnandum. Nam requiri concedimus ad glos. & Abb. *in c literas, de præsumpt.* & in crimine læsæ Ma. Gigas. *d. tit. quomod. & per quos q. 20. Decian in criminal. lib. 7. c. 46. n. 1.* & in crimine hæresis, 21

Oldrad.

Oldrad. *cons.* 210. *colum.* 1 *Menoch. cons.* 149. *n.* 1. & suadet Melchiadis Sum. Pōtif. monitum. *in c. primo semper.* 2. *q.* 1. *in illis verbis.* Primo semper, ante omnia diligenter inquirite, vt cū iustitia & charitate diffinitatis, neminem condemnetis ante verum & iustum iudicium, nullū iudicetis suspitionis arbitrio. Sed primum probate, & postea charitatiuam sententiam proferte, & quod vultis vobis non fieri, alteri non faciatis.

Ad II. An inimicitia denunciantium erga denunciatos debeat plene probari per duos testes, vel sufficiat semiplena probatio per vnum testem, aut præsumptio ad elidendū indicium denunciationis.

Respond. absolutum esse naturali & politica ratione, nimirum † 22 repellendum esse à testimonio ferēdo aduersus inimicum. *l.* 3. *in princ. ff. de testib. c. repellantur c. cum p. c. cum oporteat. c. nimis nimis. de accusat. c. per tuas de Simon. & Authen. si dicatur. c. de testib* & latius in corpore vnde sumitur, & in Ecclesiast. c. 12. legitur. ***Non credas inimico tuo in æternum.***

Et in criminibus exceptis, vt inimicus † denunciator, aut testis, nullum faciat indicium etiam receptus 23 in tortura, quia facile inimicus mētitur in caput inimici; sic tamen vt non omnino detrahatur quæstioni fides, inquit tex. *in l.* 1. §. *præterea ff. de quæst.* & de inimico, vt fidem non faciat, Alexand. *cons.* 127. *sub nu.* 16. *libr.* 4. *Marsil. in l. de minore. num.* 8. *ff. de quæstion. Gigas de crim. læs. Ma. in tit. quomo. & per quos. quæst* 7 *nu.* 6. *Menoch. de arbitrar. casu* 474. *nu.* 55. *& cons.* 149. *n* 14. *cum alijs adductis, & Farin. q.* 42. *n* 179. *& latius quæst.* 53 *num.* 5. 7. *& nu.* 2 Et huiusmodi inhabilitas non etiā supplerur per torturā. *d.* § *præterea Marsil. ibi. in princ. Gigas d. tit. quæst.* 2. *n.* 4. *Farin. eodem loco nu.* 10. *Bertazol. in crimin.* 1. *lib. cons.* 38. *num.* 15. *&* 528. *num.* 7. Nec etiam quia sit confessus & in articulo mortis, Farin. *ibidem numer.* 11. *post Marsil. Gigan. Grammat. Crot. & alios.*

Inimicitia autem, quia est † cōtra 24 ius naturale, ad *l. vt vim. ff. de iust. & iur.* non præsumitur, ideo probatione indiget. *l. in ratione.* § *cū quidam. ff. ad leg. Falc. l.* 2. *C. de mandat. princ. c. cum in iure, de offic. deleg. Marc. Mant. cons.* 24. *nu.* 13. *&* 52. *n* 17. *lib.* 1. *Crau. cons.* 8. *n* 8.

Et quia inimicitia est † affectus, 25 & passio quædam animi intrinseca, quæ oculis corporeis cerni non potest, sed indicio intellectus percipitur ex aliqua facti circumstantia, vnde inimicitia causari potuerit, ideo per verisimiles coniecturas probatur suborientes ex facti qualitate. Bald. *consil.* 46 *præmittendum est. nu.* 4. *volum.* 5. *Abb. d. c. repellantur. colum.* 2.

Et probationes fieri debent † ad 26 regulam text. *in c. in omni negotio, de testib. & in l. vbi numerus. ff. eod.* quæ quidē in probatione inimicitiæ non reperitur mutata. Bald. *in l. errore. C. de testament.* Mascard. *concl.* 901 *n.* 2. ac ideo vnius solius testis dictum non sufficeret, quacunq; etiā dignitate præditus esset. *ad l. iurisiurand. C. de testib.* faceret tamē semiplenā probationē,

adnot.

ad not. *in l. admonendi. ff. de iureiur. & in*
l. maritus. ff. de quæst. & eius dictum e-
lideret indicium ex denunciatione
ſurgens, prout etiã aliqua alia cõtra-
ria præſumptio, veluti bona fama
rei inquiſiti, ad ea quæ dicentur *in-*
fra in 5. quæſito.

Quæ autem inimicitia repellat,
27 aut † debiliter dictum teſtis, ſeu no-
minantis; iure ſcripto ac ex conſen-
ſu ſcriptorum conſtat inimicitiam
capitalem repellere teſtem, & no-
minatorem *iuribus ſupra allegatis.* Le-
uis autem inimicitia nõ repellit, ſed
debilitat. Bald. *in d. Authentic. ſi dica-*
tur. ad finem. C. de teſtibus. Iacobin. à S.
Georg. in l. teſtium. ff. eo. Grammat. deciſ.
34. num. 26. 27. Iacob Spreng in ſuo mal-
leo Maleficar. in vltim. part. quæſtion. 5. q.
11. & quæſt. 12. vbi exactè proſequitur
materiam iſtam: & alios concordã-
tes citat Farinac. *quæſtion 53. num. 54.*
Carolina autem conſtitutio, de qua
infra, requirit ſingularem inimici-
tiam, maleuolentiam, vel contrarie-
tatem cum denominato.

Inimicitia autem, an ſit grauis,
28 vel leuis, relinquitur † arbitrio iu-
dicis. Innocent. *in dicto capit. cum o-*
porteat Iacobin. & Grammatic. dictis locis.
Farinac. quæſtion. 49. numero 86. & quæ-
ſtion. 53. num. 57.

Et eſt notandum, quod ad repel-
lendum † ſufficit probare † cauſas
29 grauis odij, quamuis ille non de-
monſtret ſe odioſum. Innocent. *in c.*
Cum I. & A. de re iudic. in fin. per text. in
capit. 2. & ſeq. 4. quæſtion. 5. cuius dictũ
probarunt Bald. *in l. præſcriptione. C. ſi*
contra Ius. numer. 36. Fom in rubr. de ar-
bitr. colum. 11. Grammat. deciſ. 33. nu. 7.
Marſil. d. l. 1. §. præterea n. 3. Farinac. q. 13.
num. 21. & num. 24. & 25. vbi quod
præſumptus, ac etiam occultus ini-
micus repellitur.

Et probari debent particulariter 30
† cauſæ, ſeu ſpecies, & qualitates i-
nimicitiæ. Bart. *in l ſi quis teſtib. C. de*
teſt. in fine, Gram. dec. 34. num. 11. vbi in
id infert Imol *in cap. Raynutius. de te-*
ſtament. & poſt Iaſon in l. Titiæ textores co-
lum. 3. ff. de leg. 1. concludit, non ſuffi-
cere probari de inimicitia in genere,
& poſt Bald *in l. ſolam. C. de teſtib.* non
ſufficere teſtes dicere inimicitiam
ſubeſſe, niſi cauſas inimicitiæ refe-
rãt. Et idẽ Iaſon *in lege prima n. 9. C. de*
teſtament. Farinac. qu. 49. nu. 126. 127.
& in ea quæſtione ample diſcernit
cauſas, ex quibus inimicitia capi-
talis contrahitur, quas hic recenſe-
re minimè putauimus.

Dicimus tamen ad repellendum
teſtem ſufficere, quod † ſit odioſus 31
ei, aduerſus quem teſtificatur, licet
non ſit inimicus. Præpoſ. *in cap. Quod*
vero, colum. fin. 3. quæſtion. 5. & poſt eum
Gigas *d. quæſtion. 2. num. 30. per text. in*
cap. inquiſitionis. de accuſation. & in capit.
teſtes. 3. quæſtion. 5. & conſulendo A-
lexand. *conſilio 99. colum. 2. lib. 1. Natta*
412. num. 24. & concordantes addu-
cit Farinac. *eodem loco. num. 30.*

Amicus autem inimici mei † an 32
idoneus teſtis? & quidem in non ex-
ceptis idoneus non eſt. Nam pro iu-
dicis arbitrio inſpecta amicitia de-
trahitur de fide. Bart. *in l. ſciendum, §.*
1. ff. de

1. ff de legationib. Cin. Bald. & pulchre Sal in l eos. C. de testib Boss. in tit. de oppos. cont. test. num. 102. Quorum dicta etiam in crimine laesae Maiest. accepit G g s in tit. Quomod. & con. quos. libro secundo, quaest. 2. num. 28. Farinac. d. quaestion. 53 num. 30. vbi alios citat & ample declarat. Sufficiet remisisse ad loca praeallegata, cum de hoc quaesiti non simus.

Ad III. An denunciantes debeāt esse contriti, sicuti quidam volunt, cum hoc iure non sit expressum; & sagae rarissimè poeniteant.

Respond. ex modernis auctoribus Rinsfeld. libro tertio concl. 6. vltra numerum reorum nominantium ad faciēdum indicium ad torturam diuersas circumstancias, an constanter perseuerent, poenitentes ad iudicium accedant, moriantur cum contritione, nullo odio, contra denunciantes occupati verisimilia deponant, à quo, vt in primo quaesito retulimus, non disse sit Delr. Magic. Disquisition. tomo 3. libro 5. sect. 3. & his assentiri videtur text. in c. accusatus. §. licet. de haeretic. in 6. ibi. si ex manifestis indicijs apparuerit, non ex leuitate animi, aut odij fomite, sed Zelo orthodoxae fidei. Quare assertio horū patrum iure satis fundata videtur.

Ad IV. An ea, quae de iure & constitutione Carolina Artic. 31. requiruntur denunciatione vnius, requirantur etiam in denuntiatione plurium? Illius autem constitutionis haec sunt particularia ad magiae crimen.

RVBRICA:

De magia sufficientia Indicia Artic. 44.

Si quis se offerat alios magiā docere, vel † aliquem maleficare minetur, & illi, cui minatus est, eiusmodi quid contigerit, vel etiam singularem consuetudinem cum Magis, aut maleficis habeat, vel talibus suspectis rebus, gestibus, verbis, & substantijs, vtatur, quae magiam secum important, & illa persona de hoc alias sit diffamata, hoc praebet firmum indicium magiae, & sufficientem causam ad torturam. 33

Respondemus itaque, absolutū esse ad denunciationem vnius concurrente aliquo ex indicijs in constitutione relatis suboriri sufficientem causam ad torturam, sed in denunciatione plurium non esse opus alio adminiculo, quia pluralitas denunciatorum supplet, vt dictū fuit in resolutione primi dubij.

Ad V. An denunciationibus infamium sit credendum † in criminibus exceptis cōtra personas bonę famae, & an duorum, vel plurium infamium denūciationes requirātur. 34

Respond in denunciatione vnius tantum bonum famam † denūciati elidere praesumptionē qualē qualem orientem ex denunciatione illius rei, quoniam merita vitae praecedentis plurimum iuuant. l. 3. §. sed ex improuiso. & l. non omnes, §. à Barbaris. ff. de re milit. & in princip. illius legis. Sed in denunciatione pluriū difficilis est quaestio: multi etenim tenuerūt cō- 35

stantem & non vulgarem denuncia- ti bonam famam elidere indicium prouenient ex nominatione pluriũ, vt non sufficiat ad torturam, ne sit in facultate horum infamium, de se conuictorum grauare bonum nomen, existimationem, & quod peius est, personam viri probi, Raph. *Cum consil.* 136. *Ad primum. colum.* 4. *Alexand. consilio* 89. *num.* 13. *libr.* 3. *Marsil. consil.* 74 *num.* 25 *& in crimine maleficij consil.* 109. *num.* 27. *Paris.* 151 *numer.* 13. *libr.* 4. *Grammat. in suis consilijs.* 21. *num* 8. 35. *n.* 37. 57. *num.* 11. 58. *n.* 18 *&* 66. *n.* 5 *& pulchre in decis.* 28. *numer* 17. *&* 18 *vbi post Andr. Isern. Decian Felin & Bertrand. ab eo allegatos sic plene firmat Socin iun. consil.* 39. *num* 66. *libr.* 2. *Roland. consil* 16. *n.* 24. *&* 73. *numer.* 36 *libr.* 1. *Menoch casu* 474. *num.* 42. *Bertazol consil.* 59. *numer.* 8. *&* 61. *num.* 16. *Onded. consil.* 100 *num.* 40. *libro primo. Ladereb. de Imol. consi.* 181. *num.* 18. *vbi plures alios adducit.* Et quamuis plures alij contra steterint, à quorum opinione non facilè diuellitur, licet præcedens sit communiter recepta, Farinac. *question.* 47. *numer.* 287. Quia, vt experientia docet, nullus est tam prauæ conditionis, qui de facili reperire nõ possit duos, aut tres testes attestãtes de illius bona fama; & præterea exculatio respectu bonæ famæ pluribus modis solet dilui. Menoch. *cons.* 101. *n.* 57. Verum, vt aduertimus supra, intelligimus de bona fama constanter & firme probata, vt dubitari nõ possit, communi in eo loco hominum existimatione denunciatum pro retroactis suis moribus haberi pro bono viro, alieno à crimine imputato. Nam ex eo, quod cuius existimationis quisq; in ciuitate sua sit, plurimum adiumenti affertur ad illuminandam veritatem, vti præcise inquit text. *in l. de minore, § plurimum. ff. de quæst* Aliqui tamen dixerũt, bonam famam denunciati tollere indicia leuia, & elidere grauia, Paul. Meren. in criminalibus *diuersorũ. cõs.* 88. *n* 77. *Vulpell. cõs.* 105. *n.* 6. *&* 125. *n.* 26

Alij autem senserunt bonam famam nominati probatã, tollere malam famam generalem; sed non indicia particularia. Alexand. *cons* 77. *n* 9. *lib.* 1. *& cons* 62. *n.* 5. *lib.* 3. Ioan. de Arnon. *Soliloq.* 37. Quare in criminibus maleficis, quæ grauissima sunt, Binsfeld. *lib.* 2. *conclus.* 6. *Dub.* 3. *Illation.* 6. *& Delrius lib.* 5. *section.* 3. *vers. Admittũtur. & vers. fama bona,* senserunt indicium hoc particulare denunciationum plurium excludere præsumptionem generalem suborientem à bona fama, ac ideo nominatum torquendum esse, leuiter tamen.

Nos aũt aduertendum putamus, quod † etsi in criminibus exceptis admittantur, & recipiantur testes criminosi & infames, item etiam audiantur rei de se ipsis confessi & cõuicti, iuribus satis allegatis in primo quæsito: non tamen nec isti, nec illi sunt integræ fidei. Alexãd. *consilio* 11. *sub numero secundo. lib* 1 *Gigas de crimin. laes. Maiest. tit. Quomodo & per quos q. nu.* 3 *AEgid. Boss. in tit. de indic n.* 177. *Farin. q.* 43. *n.* 4. *& q* 56. *n.* 71. *& n.* 155. 36

Præ-

Præterea aduertimus, quod vbi extāt aliqua indicia, quorum † causa procedi possit ad torturam, si tamen in contrarium alia vrgeant, eliduntur, vt ad torturam deueniri non possit. Bart. *in lege prima. §. 1 ff. de quæst. Angel. de Malefic. in ver. Quod fama publica. num. 34. Marsil. in §. diligenter. num. 190. Alex. consil. 189. numer. 9. in 2.* *Grammat. voto. 3. n. 10.* vbi etiam in id adducunt Ioan. Andr. & Bald. plenissime Farinac. *q. 38 num. 110.*

38 Quare si efficaciter fundatā & † probatam vltra bonam famam concurrerent aliqua adminicula ad exculpandum reum denunciatum, vel etiam rei denunciantes paterentur alios defectus inhabilitātes eorum personas, aut debilitantes eorum dicta, vel quia essent infames, ac rei pro alijs atrocibus criminibus, ita vt apparerent personæ sceleratæ, & vitæ infamatæ, vel quia essent viles, in his sane casibus concurrente bona fama rei denunciati bene constabilita, fortè melius est dicere, vt à tortura denunciatus eripiatur. Nam in omni materia duplicitas in iure multum consideratur, ad augendū, & ad detrahendum: Duo vincula sanguinis: Duæ fictiones: Duæ improprietates: Duæ prohibitiones: Duo iudicia: Duo actus geminati: Duæ confessiones, & eiusmodi plura. Et in exceptis ad euadēdum torturam ex nominatione reorum cōuictorum, & vitæ infamatæ sic tradiderunt Grammatic. *consilio primo. Fori iudicat. numer. 61. & consil. 15. numero vicesimo septimo. & latius consil. 70. numero octauo. Gig. loco praall. qu. 7. numer. 7. Natta consil. 298. num. 6. Roland. lib. p. consilio decimo sexto numer. vigesimo. & 73. numer. 24. Menoch. dict. casu 474. num. 54. Mascard. conclus. 1317. numero quadragesimo primo. Vinc. Onded. dicto consilio 100. numero 17. & 18. Farinac. quæstion. 43. num 179. vbi plures alios cōcordantes adducunt.* Quare obstātibus ipsis denunciatoribus duabus, vel pluribus exceptionibus, torturæ indicium ex eorum denominatione suboriens potest dici elisum, vt insufficiens reddatur ad torquēdum.

Ad condemnandum autem solā malam famam non sufficere compertum est, Ioan. Anan. *consil. 59. colum. 3. per text. in cap. cum oporteat, & in cap. Qualiter & quando. de accusation.* prout nec etiā dictum vnius solius testis idonei. *Deuteron. Cap. 17. Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.*

Item si nominantes essent periuri nullam facerent fidem, etiam in exceptis, ac nec etiam ad inquirendū. Roland. *consil. 73. numero decimo nono. lib. 1.*

Ad VI. An vltra denūciationem † plurium requiratur diffamatio in exceptis: vt procedi possit ad inquisitionem & torturam. 39

Respō. de iure scripto pro regula constitutum esse, Inquisitionem † non præcedente fama, nullam & inualidam esse, text. ad hoc. *in ca. inquisitionis in cap. qualiter & quando. el. secundo. vbi plene scribentes de accusat. & cap.* 40

& cap. licet Hely. de Simo. Angel de Malefic. & Marsil. vterque in sua practica crimin. in verbo. Hac est quadam inquisitio. & est dictum commune apud Criminalistas. Clar. §. fin. quæstio. 6. in princip. Boss. in titul. de inquisit. n. 7. Farinac. libr. 1 quæst. 9. in princip.

Fallit autem propositio hæc in crimine hæresis & læsæ Maiestat. capit. excommunicamus, §. adijcimus, de sententia excommun. & inde not. Cardinal. Zabbar. & Ioan. Anan. & idem Cardinal. in Clement. secunda, quæstione secunda, de haret. Bartol. in Extrauag. ad reprimendã in verbo, per inquisitionem. num. 29. Felin. dict. cap. qualiter & quando, in vltim. verbis. Clar. dict. quæstione 6. versicul. Item scias. Gig. de crim. læ. Ma. in tit. Qualiter procedatur. quæst. 9. num. 2. vbi ampliat etiam in omnibus alijs criminibus atrocibus & grauibus, & fuit ampliatio Præpos. Alexandr. in c. 1. n. 64. 2. qu. 8. subsecuti sunt Dec. cons. 18. nu. 42. lib. 1. Cephal. cons. 304. n. 88. Menoch 100. n. 64. Et post hos Farinac. dict. q. 9. n. 14. 15. Delr. Magicar. disquisit. libr. 5. section. 1. versic. Quinto requiritur. Decian. in criminal. libro 7. capit. 43. num. 8. Sed in his non est immorandum, quia quicquid sit de iure, de consuetudine & vsu iudiciorum, solennitas diffamationis recessit ab aula. Iul. Clar. loco præcitato. Bonacos. commun. opin. libr. 1. in versicul. inquisitionem præcedere debet. quos subsecutus est Farinac. d. loco num. 11.

41 Ad inquirendum itaque non est necessaria in crimine malefico † præcedentis diffamatio, sed sufficit nominatio reorum, etiam vnius de se confessi Bal. in l. 1 C. de sum. Trin. num. 6. Marsil in suis cons. 12. n. 38. 15 n 5. & 6. & 28. num. 16. Grammat. consil. 21 num. 71. Clar. in § fin quæst. 21. num 5. vbi etiã in criminibus non exceptis, & quod ita seruatur. Et in exceptis nominationem vnius sufficere ad inquirendum. Menoch. casu 474. n. 41. ac etiã ad citandum personaliter, & ad detrudendum in carcerem. Clar. eodem loco. n. 6. Nam etiam in istis sola fama sufficit ad inquirendum, citandum personaliter, & ad detrudendum in carcerem. Cyn. in l. nullus C. de exhiben. Reis. Crau. cons. 41. num. 6. cum alijs adductis à Mascar. conclus. 754. numero decimo nono.

Non tamen ad torturam Crau. & Mascar. dictis locis num. 5. Clar. dict. quæstion. 21. Bursat. consil. 20. numer. 32. & consil. 35. num. 16 & ex veriori, receptiori, & in practica frequenter recepta, plurimis relatis, Farinac. quæst. 47. num. 4. & infra.

Quia fama est † indicium remotum à facto. Et quia indicia ad torquendum debent esse grauia, verisimilia, certa, clara, & facto propinqua, quod iudex sit quasi certus reũ inquisitum esse delinquentem l. 1. in princip. ff. de quæstion. ibi, vt sola reorum confessio deesse videatur. & leg. milites. C. eod. ibi. Et si veluti certis indicijs deducti. Præclarè Bald. consil. 259. num. 4. libr. 1. Corn. 101. numer. 3. volum. 2. Marsil. consil. 18. num. 12. & 51. n. 6. Socin. consil. 6. num. 8. volum. 4. Crau. consil. 6. num. 12. & consil. 9. n. 11. & 99. nu. 1. 42

Natt-

Natt. consil. 42 n. 1. cum pluribus congestis à Farinac. qu. 37. n. 3. Fama autem persæpe est vox populi vana & fallax, & conclusio procedit, etiam quod fama traheret originem à personis honestis & fide dignis, vti idem Farinac. constituit num. 28. & num. 46.

43 Cæterum in criminibus occultis sola fama suboriens † facit indicium ad torturam, ex recepta sententia Clar. dict. quæstion. 21. versic. Fama sola Rimin. iun. consil. 362. num. 3.

Quæ tamen concurrere debeant ponit Menoch. consil. 149. num. 40. Qui tandem sub num. 42. post Simanc. concludit in crimine hæresis solam famam, quamuis publicam, non sufficere ad torturam, sed ad inquirendum, prout in alijs criminibus, Marsil. consil. 15. nu. 12. & singul. 97. copiose Crau. consil. 41. num. 6.

Vel etiam si cum fama concurreret aliquod aliud adminiculum, veluti nominatio rei confessi. Clar. eod. loco Gandin. Guido Suzar. & cæteri alij relati à Farinac. d. quæst. 47. numero 17. Sed de hoc quæsito satis, hæc sufficiant.

Ad VII. An satis sit denunciari †
44 aliquem, seu aliquam à pluribus, quod ipsam viderint in conuentu & congregatione sagarum, in ordine ad torturam, absque eo, quod damna fecerit.

Respond. Satis esse quo ad effectum torturæ, vt nominatores dicant, illam, aut illas, vidisse in conuentibus & conuenticulis sagarum, nec oportere probare de damnis alicui illatis. Nam non ante striges conuenire solent, quam abnegauerint Christum Deum, & societatem cum Diabolo coierint. Binsfeld. de confess. Malefi. membr. 3. concl. 6. dubio 2. Delr. l. 5. sect. 16.

Ad VIII. Quando fit talis denunciatio, quod hæc, aut illa persona † 45
interfuerit conuentibus sagarum, an requiratur specificatio temporis, & loci; vel vtrum sufficiat generalis denunciatio plurium, absque eiusmodi circumstantijs ad inquisitionem & torturam.

Respond. Iure scripto regulariter si procedatur, pro delicto iure accusationis † exprimi debet locus & tẽpus, scilicet mensis & annus, dies 46
autem non l. libellorum de accusat. Bar. ibid. n. 2. c. fin § libellorum 2. q. 8. nisi factum tale sit, quod vna certa die esset punibile. Bar. d. l. libellorum. nu. 12. & idem est in inquisitione particulari. Nam Iudex inquirens succedit loco accusatoris, idem Bar. sub nu. 12. in l. 2. § si publico, ff. de adult. & est communis traditio, Aret. & Fel. in c. qualiter, § debet de accus. Bos. in tit. de inquis. n. 90. Clar. qu. 31. num. 11. & per totum mundum sic seruari dixit Angel. in leg. ea quidem numero tertio, capit. de accusat.

Iudex tamen ad petitionem rei † 47
vt possit instruere suas defensiones, tenetur, si inquirit, exprimere in inquisitione etiam diem, prout etiam teneretur accusator, quia forte velit reus probare, se eo die abfuisse. Bartol. in leg. si qui reus ff. de publ. iud. sub n. 10.

& est communis traditio, Iason. *in l. 2. § si quis Ephesi ff de eo quod cer. loc. Boss. d. loco n. 92. Gigas de crim. la. Ma. in tit. Qualit. proced. quæst. 3. Clar. quæstion. 12. num. 6 & num. 9.* & præter hos Angel. Aretin. & August. in addition in gloss. de anno præsente, sub *num* 2. etsi Imol. aliter senserit *in dict. leg. is qui reus*, nam communiter recipitur Bart. illa traditio, Mascar. *concl. 512. n. 3. Farinac. quæst. 1. nu. 20.* Si tamen accusator dicat se ignorare diem, quia dicat non recordari, excusatur, maximè si iuret Clar. *quæstion. duodecimo, sub num 9.* Ergo multo magis Iudex inquirens.

48 Rursus in inquisitione & in accusatione adeo requiritur, vt inseratur † locus & tempus anni & mensis, vt citra insertionem inquisitio sit ipso iure nulla, etiam parte non opponente, vti deficiens in substantia-libus. Sic post Alexand. Aretin. Decian. Curt. iun. Claud. Rip. Bellon. & alios, ex communi Clar. *quæst. 12. n. 6. Farinac. qu. 1 nu. 11. & num. 15.*

Et in crimine Magiæ Delrius *Magic. Disquis. tomo 3. lib. 5. section 3.* inquit, quod nominans debet esse interrogatus de omnibus circumstantijs. Quis; quid, quando, vbi. Et sic quoque videtur requirere constitutio Carolina *Artic. 31. ibi.* Secundo conuenit, quod ille denuncians omnino specifice interrogetur, qualiter, quomodo, & quando, & infra, *ibi*, debet denuncians interrogari de omnibus possibilibus & necessarijs circumstantijs, quæ pro occasione & qualitate cuiusque facti, omnium optimè ad sequentem inuestigationem veritatis conducere possunt.

Sed cum receptum sit in crimine læsæ Ma. non esse necessarium, dum † citatio reo transmittitur, inserere 49
in libello citatorio locum & tempus delicti commissi, & sufficiat citare reum, vt veniat responsurus super crimine læsæ Ma. *vt habetur in extrauag. Ad reprimendam ibi.* super dicto crimine, & inde notauit Bart. *in primis verbis.* sequitur Gigas post Sal. & Præpos. ab eo allegatos. *in tit. Qualit. in crim. læs. Ma proced. q. 10. Decian. cons. 18. n. 72. lib. primo Menoch. cons. 100. n. 88. Cephal. cons. 304. n. 115. Farinac. d. q. 1. nu. 17.*

Et quæ dicta sunt in crimine læs. Ma humanæ, trahunt Doctores ad causam hæresis, læsæ Ma. diuinæ. Angel *in Authentic. Quomod. oport. Episcop. § fin. Angel. Aret. in verbo. Hæc est quædam inquisitio num 63.* quia hæ criminum species à pari procedunt quoad relaxationem solemnitatum iuris positiui.

Idem quoque in crimine falsi, quod pro sui natura occulte, & ab vno solo committi potest, vt non sit necessarium in accusatione, aut inquisitione locum & tempus falsi commissi inserere, firmauit Bald. *in cap. primo in tit. Quib. mod. feud. amit. n. 21. ex Gloss. Insti. de publ. iudic. in prin.* & subsecuti sunt cōmuniter posteriores. Angel. Aret. *dicto loco num. 64. & in verbo Falsario, num. 37. August. in addit. ad eum, in verbo de anno præsente. Purpur. in*

rep.

rep. l. edita C. de eden sub nu. 54. Cephal. & Menoch. in consil. supra alleg. Rimin. iun. consil. 18. sub num. 72. Farinac. dict. qu. 1. num. 13.

Propterea videretur, vt etiam in crimine isto malefico tam detestabili non sit necessarium exprimere locum & tempus, scilicet, cum citatio transmittitur reo prout in crimine Maiestatis. Denunciator autem nominans aliquam personam, quæ interfuerit conuentibus sagarũ, de tempore, & de loco, ac de cæteris circumstantijs interrogabitur, vti instruit Delrius supra relatus, prout etiam in crimine læsæ Ma. nã non conuenit in tanto crimine denunciatorem absolute vagari, cum discrimine alienæ existimationis, *ad l. prætor edixit. in princ. ff. de iniur. & l. Itẽ exigit ff. de dolo.* Et si saga de aliquo alio particulari delicto fuisset delata, veluti de aliquo dãno in rebus, vel de aliqua offensa in personam, locũ & tempus, circumscribi oportere, de iure sentimus per præmissa.

Non tamen placet traditio Farinac. *d. quæstion. 1. sub num.* 17. quatenus proponit non esse in inquisitione &
30 accusatione †exprimendum locum & tempus in delictis, quæ habent tractum successiuum; sed in ijs, quæ temporis momento committuntur. Nam Bar. ab eo allegatus *in d. l. lib. ll. sub num. decimo, & sub num.* 16. id non dicit, sed contra. Nam *sub num.* 16. quærit, pone, quod aliquis tenuit occupatam aliquam terram per vnum annum, ego volo accusare eum lege Iul. Maiest. quia tenuit contra Principem, sufficitne dicere, quod tenuit per annum, an vero etiam debeo dicere mensem? Respondet credere in Maleficiis momentaneis oportere exprimi locum, mensem & annum; sed in maleficijs, quæ habent causam successiuam & continuam, credit sufficere annum exprimere vel mensem; secundum quod ipse tenuit illam terram occupatam *Authent. si vero Dominus temporalis. C. de hæret.* & illam Bar. traditionem nullus ibi impugnat, ex qua constat etiam in crimine læsæ Ma. si factum est momentaneum, oportere accusatorem inserere locum & tempus, scilicet annum & mensem, prout in alijs criminibus. Si vero est factum successiuum continuatum per vnũ annum, vel per vnum mensem, sufficit exprimere illum annum, vel illum mensem. Quare licet in citatione reo transmittenda insertio temporis non sit necessaria, vt supra dictum fuit, secus tamen in accusatione, ac etiam in examinibus & interrogationibus, testibus, & reo faciendis; ne reo delato defensio tollatur, quam minime denegandam, aut coercendam toties testatus fuit Bart. *in d. Extrauag. ad reprimendam.*

In delictis autem commissis ob non †factũ & in omittendo. Si quidẽ ob nõ factũ respectu alicuius certi loci aut certi tẽporis, eo casu debet inseri certus locus & certũ tempus, 31

cuius

cuius respectu delictum in omittẽdo fuit commissum. Si vero illud, quod debebat fieri, non habet certum locum, aut certum tempus determinatum, & hoc casu non opus est inserere tempus, aut locum, Bar. *d. l. libellorum sub nu. 10 Bal. in l. actor col. vlt. n. 7. C. de probat.*

Ad IX. An in denunciatione plurium requiratur, quod quilibet fecerit confessionem in tormentis, vel vtrum hoc solum procedat in denunciatione vnius.

Respond. pro regula receptum esse apud maiores nostros, vt testi-
51 bus† criminosis & infamibus infamia iuris, quales sunt conuicti & confessi de seipsis, non credatur nisi in tormentis. *l. quoties C. de quaest. l. ob carmen §. si ea conditio ff. de testibus. & § si vero ignot. in Authen. co. Specul. in tit. de test. & § 1. nu. 28. Bar. in l. cunctos populos. C. de Sum. Trin. n. 12. Bald. n. 5. Albe. n. 34. Sal. n. 18. Ias. in 1. lectura, n. 67. & in 2. nu. 46. Fulgos. cons. 173. in causa col. 1. vbi sic concludit post Oldrad. & Alber. ab eo relatos, per illa iura subsecuti sunt posteriores. Arct. in cap. 1. nu. 40. de accusat. Ruin consi. 146. col. 1. & 147. lib. 5. Ioa. de Arno Soliloq. 60. Marsil. in § Diligenter nu. 62. & in l. 1. § Diuus, sub nu 5 ff. de Quaestion. & suo consil. 78. nu. 15. 109. num 13. & 130. num 40 Grammat. cons. 70. nu 10 Blanc. in tractat. de indicijs. num. 381. Boss. in eo titul num. 151. Clar. § fin. quaestion. 31. numero decimo tertio.* Vbi quod sic seruatur in praetoriis Mediolani, quamuis secus in praetorijs Galliae, & vltra hos Roland. *consilio 51. numero 30. & consilio 73. num. 22. libro primo. Menoch. casu 474. sub nu. 49. Vincen. Onded consi. 100. num. 16 libro primo Mascard. conclus. 1317. num. 38.* Et idem est in testibus infamibus, de quibus ea iura loquuntur Clar. *qu. 24. nu. 13.* & infinitos propemodum auctores ad hoc refert Farinac. *qu. 43. num. 132. & qu. 56. n. 56. & 57.*

Et est notandum, quod requiritur specialiter vt reus † in tortura nominet, & si extra torturam nominauerit, specialiter torqueri debet pro confirmatione nominationis. Cla. *q. 41 vers. caeterum si reus Farin. d. lo. nu. 136 & iterum q. 56. n. 6.* 52

Et cum ita sit receptum, putamus assertionem hanc procedere, etiam vbi plures testes examinantur, seu vbi plures sunt nominatores. Nam receptum est vnius solius nominationem non sufficere ad torturam.

Tortura autem in his requiritur, quia† tortus praesumitur dicere veritatem. Glos. efficacissimi *in l. edictũ ff. de quaest. Alber. ibi nu. 2. Boer. dec. 163. nu. 12. Grammat. decis. 8. nu. 7 Couar. in pract. cap. 23. nu. 5. Farin. qu. 43. sub nu. 15.* ideo dictum à teste in tormentis praeualot primo sine tormentis. Bart. *in l. eos. ff. de fals. & in l. si postulauerit, § sed & si ff. de adulter. in princ. Dec. consil. 189. col. 6. versic. Non ob quod secundum.* 53

Ad X. An in hoc crimine, & in alijs exceptis admittantur testes singulares† in circumstantijs, dummodo concordent in effectu, in substantia, & in fine: & an eiusmodi testes singulares, quando plures 54

sint

sint, faciant indicium ad torturam.

Resp. quod etsi in criminibus priuilegiatis & exceptis probationes† debeant fieri secundum regulas iuris communis, nisi quatenus contra repeciatur dispensatum, veluti in crimine hæresis tradiderunt Card. & Imol. *in Clement. 1. de hæretic.* &
56 decisum sit, quod † vbi agitur de probando vno particulari actu, testes singulares discordantes inter se in loco, aut tempore, non sufficiãt, nec probent: quia de diuersis actibus in effectu testificantur *l. iurisiurandi. C. de testib. c. Bona, de elect. c. licet causam, de probation. c. literis & c. licet ex quadam. de testib.* optimus text. *in c. Nihilomin. 3. q. 9.* vbi Leo Papa ita sanxit. Nec eorum voces, tanquam plurium admittuntur, quos temporum quidem diuersitas simul interfuisse prohibuit. Veluti si agatur de probando vno contractu, vel de vno homicidio, insultu, aut vulnere.

57 Attamen si agatur de probando vno, quod † ex pluribus & diuersis actibus illud singulis de per se inferentibus resultat, valet probatio per testes singulares, per singulos actus testificantes de illo, quia testes omnes in id, quod principale est, conuenirent quamuis per diuersa media in eundem finem tendentia. *l. qui sententiam. C. de pœn.* & tunc singularitas, vti Doctores aiunt, non est obstatiua, sed cumulatiua, & adminiculatiua.

Exempla sunt, veluti si agatur de probando quem esse hæreticum, hoc quidem deducitur in probatione, esse autem hæreticum ex pluribus causis deduci potest, ideo si vnus testis deposuerit inquisitum esse hæreticum, quia abnegauit Christum Deum esse, alius quia abnegauerit Mariam virginem; tertius, quia negauerit Sacramenta Ecclesiæ, testes quidem licet de diuersis medijs dixerint, quia tamen media ista singula de per se inferunt hæresin, ideo probant illum esse hæreticum, quamuis per diuersa in facto media sic cognouerint, & perceperint. Sic etiam si agatur de probando, quem habere iurisdictionem, seu esse in possessione iuris dicendi in aliquo loco, aut iuris decimandi, aut in possessione alicuius fundi, & testes dicant illum esse in possessione, & in hoc omnes concordant, quamuis causam scientiæ reddiderint per diuersa media in facto singula de per se inferentia possessionem, quia actus possessorij fuerint diuersi, probant tamen. Et sic quoque si agatur de probando conspirationẽ in Principem, aut quem esse furiosum, & mente captum, & testes in hoc principali proposito conueniant, quamuis per diuersa media, id tamen de per se inferentia, probant.

Et in his & similibus causarum figuris conueniunt magis communiter auctores, quamuis contradictores, non defuerint. Sic in crimine hæresis Iacob. Butrig. *in l. Arriani.*

C. de haret. Sal in l. quicunque C. eo Ioan. Anan. in cap. 1. ex eod. sub num. 7. Corn. consil. 91. numero 42. in 1. & cons. 34. colum. 2. & 147. colum. 6. libro secundo, Socin. iun. consil. 99. libro secundo plenissime Marsil. consil. 1. vbi sic firmat in crimine hæresis, Maiest. Simoniæ, & huiusmodi, & late Crau. *consil. 73. numero 32. & 78. num. 6 & 267 numero tertio, & de Antiq. temp. in 4. par. num.* 157. & omnium latissime Rimin. iun *consil. 7. per totum.* vbi in crimine hæresis, & generaliter in similibus, & sub *num.* 27. retulit eius consultationem fuisse à iudicibus receptam: in crimine autem læsæ Maiestatis, conspitationis, & tractatus aduersus Principem, Petr. Ancar. *consil. 277. in 2 dub. cum alijs adductis ab Aegid. Bos. in titul. de crimin. læs. Ma. num. 117. & à Hieron. Gigar. in eo tractat. in tit. quomod. & per quos quæst. 8. & de impudicitia Bald. cons. 207. quia dicta volumin. 4. Alexan. cons. 13. col. vlt. in 7. Alba cons. 25. Vdal. Zas. cons. 11. n. 15 volum. 2. Bertaz. cons. vigesimo, numero decimo sexto,* & generaliter in actibus reiterabilibus Alexand. *cons. 53. num. 6. lib. 1.*

Non tamen, vt dixi, defuerunt auctores magni nominis, tenentes & in istis testes singulares non sufficere, & signanter in causa hæresis excommunicari posse. Sal. *in l. testium, n. 16. C. de testib. Io. de Amic. Menibiac & alios ab eo relatos firmauit Iul. Clar. in §. fin. qu. 53. sub num. 18.* vbi disquirendo conceptum Doctorum distinguentium, an agatur de probando delicto in specie, an in genere; in specie autem secundum eum dicitur agi, quando agitur de puniendo delinquentem, & hoc casu verior sit opinio, testes singulares non probare ad effectum condemnationis, etiam in crimine hæresis, & quod ita vidit seruari; de probando autem delicto in genere, tunc secundum eum agitur, quando ad alium finem, non de pœna infligenda. subiungit tamen testes singulares multum aggrauare reum vt seuerius torqueatur. Nos autem putamus tunc tractari de probando delictum in genere, quãdo in libello accusationis aut denunc. proponitur, quem hæreticum, vsurarium, maleficum adulterum, & huiusmodi, non descendendo ad aliquem actum particularem, de delicto autem in specie, vbi proponitur quem abiurasse Christum, & ideo hæreticum esse, & hoc casu singularitas esset obstãtiua, & sic sensit Felin. *in cap. licet el. 2. col. 5. de testib.* quem totulit Gigas *loco praallegato. Mynsinger. centur. 3. obseruat.* 76. clare in hæreticalibus Franci sc. Pegn. *in commentar. ad director. inquisitor. comment. 121. in versic. ego quantum & in versic. subsequitur nunc.* vbi sic concludit cum D. Th. Caiet. Soto, & alijs ab eo relatis cõtra. Sal. & nonnullos alios, & hoc casu videtur loqui Menoch. *consi. 149. n. 17.* vbi post plures asserit testibus singularibus non probari quem esse hæreticum. Qui tamen sub 44. admittit per testes singulares hæresin in genere probari posse, requirit tamen tres testes singulares omni exceptione ma-

ne ma-

ne maiores, post Arti. Albert. *in c. 1. q. 16. n. 53. de haret. in 6.*

Quare conclusio sit, quod in factis & delictis reiterabilibus testes † singulares deponentes de diuersis actibus, singulis de per se inferentibus crimen, & factum illud, de quo agitur, veluti si agatur de probanda hæresi, Magia, læsa Maiest. de iurisdictione, de possessione, de fatuitate, & huiusmodi, testes singulares probant, & si sint bonæ conditionis & omni exceptione maiores, sufficient ad condemnationem ordinariam, aut extraordinariam pro motu iudicis, per *supradicta.* 58

Nam iudex ex qualitate personarum & facti potest testibus singularibus † fidem adhibere *leg. 3. § tu magis ff. de testib.* quia probationes fiunt iudici. *l. quingenta ff. de probat.* ac ideo probationes sunt arbitrariæ iudicũ, sic pulchre Paul. Castr. *in l. Lucius ff. de infam. & in l. admonendi ff. de Iureiur. Seuerin. ibi. fol. 10. colum. 2. Hip. Marsil. consilio 1. numero septimo, & in leg. 1. §. si quis vltro. nu. 40 ff. de qu. Socin. iun. consil. 32. nu. 10. & consil. 50. colum. 4. lib. 2. Blanc. de indic. num. 367 Boss. eo tit. numero vigesimo tertio. Rimin. iun. d. consil. septimo num. 105. Gabriel. de testib. conclus. 2. limitat. 2.* 59

Nec resistit, quod testes alias inhabiles quamuis plures non faciant plenam fidem ad effectum condemnationis, vti diximus in solutione primi quæsiti. Nam conclusio illa procedit, vbi testes sunt inhabiles, respectu personarum, quia infames, vel aliter non integræ personæ.

Quamobrem si plures testes singulares patientes defectus in † personis suis testificarentur contra reũ in istis reiterabilibus, quamuis non sufficerent ad condemnationem, prodessent ad torturam. Grammat. *decis. 34. nam. 30. post Alexand. & alios ab eo allegatos. Gigas de crim. laes. Ma. in titul. Quomod. & per quos. qu. 25. Bertazol. consi. 213. n. 7. & 8.* 60

Et est ratio, quia testes repulsati, qui † non sufficiunt ad condemnationem, sufficiunt ad torturam. Bartol. *in leg. 1. § quaestion ff. de quaestion. cum aliis adductis à Gramm. dict. decisione* 34. *num. 51.* 61

Si vero testes essent singulares † super diuersis indicijs, maxima oritur quæstio, an sufficiant ad torturam. Nam Hip. Marsil. *in consil. 18. nu. 12. & 41. numero decimo, post Alexand. 180 numero quinto, libro secundo. Grat. Resp. 45. numero vndecimo in 2. Grammat. consil. decimo octauo, numero tertio, & plures alij quos longa serie recensuit Farinac. quaestion trigesimo septimo, numer. 33.* senserunt non sufficere. Contra vero, quod eiusmodi probatio sufficiat ad torturam, clare sensit Fulgos. *in l. fin. C. famil. hercisc. relatus ab Anton. Gomet. in tit. de tort. reorum. cap. decimo tertio, numero decimo octauo, versic. Adde tamen clare Alexand. consil. 77. in causa lib. 1. per totum & prope finem cum pluribus alijs congestis à Farinac. eod. loco. numero trigesimo quarto. Gigas in tit. Quomod. & per quos quaest. 25.* 62

Rationabiliter concludi potest, præsertim in atrocioribus, vt testes singulares integræ opinionis depo. nentes de diuersis indicijs proximis facto, nec multum remotis, sufficiãt ad torturam, sicuti post Brun. & Carer. concordando opiniones resoluit Farinac. *eo loco, n. 37.*

63 Et diximus in probandis indicijs testes † debere esse omni exceptione maiores, etiam in istis atrocissimis, quia receptum est, quod etsi in istis recipiantur testes super facto immediato, alias inhabiles & repulsati; non tamen ad probandum indicia remota à facto idonei sunt ad effectum torturæ. Rimin. iun. *consil. 361. num. 32. & 33. vsque 46. vbi alios recenset & plene probat. Farinac. dict. qu. 37. n. 18. & 19.* vbi tandem sub *n. 27.* limitat, nisi plures essent, aut deponerent verisimilia.

Et his consonat Bart. traditio *in l. in qu. ff. ad leg. Iul. Ma. vbi inquit,* quod quamuis ad probandum crimen principale læsæ Ma. testes alias non idonei admittantur, non tamen admittuntur ad probandum adminicula. Secuti sunt Bald. *in Authentic. si testis. C. de testib. numero 7. Dec. Consil. 37. colum. 5. & 410. num. 15. Paris. consil. 2. n. 80. lib. 4. Gigas in tit. Quomod. & per quos quæst. 5. Boss. in titul. de indic. numero decimoquinto. Grammat. consil. 31. num. 41. Decian. in criminal. lib. 7. cap. 45. num. 3.* Quorum traditionem vti veram & communem aduersus Ang. Sal. & sectatores late tuetur Farinac. *quæstion. 56. nu. 72. & infra.*

Ad XI. An mulier possit esse testis in causis criminalibus, & an ad confessionem duarum mulierum procedi possit ad torturam, vel etiam ad condemnationem.

Respond. distinguẽdo, aut † quæritur inspecto iure canonico, & eo iure mulier inhabilitatur à ferendo testimonio in causis criminalib. *c. mulierem 33. q. 5. c. forus §. testes. de verb. sig. Gloss. in c. tam literis de testib.* ac ideo non recipitur mulier in foro Ecclesiastico pro teste in causis criminalibus criminaliter actis. Alb. Felin. & Dec. *in c. quoniam de testib. Marsil. in suis cons. 22. n. 1. 59. n. 9. 101. n. 8. 130. n. 34. Onded. consi. 100. n. 24.* 64

Fallit vbi pro crimine ciuiliter ageretur, per text. *in d. c. quoniam,* iuxta vnum intellectum communiter ibi receptum. Dec. *in l. fœmina nu. 34. ff. de reg. iur. Clar. q. 24. sub n. 3. Farin. q. 59. n. 1. & infra.*

Fallit secundo, vbi ex officio de crimine inquiritur. Nam eo casu etiam iure canonico mulier potest assumi in testem. *d. cap. quoniam.* iuxta alium intellectum communiter receptum. *cum aliis adductis à Farin. dicto loco nu. 9.* Fallit tertio in exceptis *c. tanta. de Simon.* & vide not. Ioan. de Anan. & in Maleficis. Bodin. *lib. 4. cap. 4.* & generaliter in omnibus exceptis. Imol. & Henric. Boich. *in d. c. Quoniam Alex. cons. 11. n. 3. l. 1. cum pluribus adductis à Farin. d. q. 59. n. 10.*

De iure autem ciuili absolutum est, & sic † practicatur, fœminas etiã in criminalib. dicere testimonium. 65

l. ex

l. ex eo. ff. de testib. Canonizat. 15. quæstion. 3 capit. ex eo, Gloss. ibi. & in cap. forus. § fin. Alexand. ex communi consilio 11. num. 11. lib. 1. & 115. colum. pen. libr. 4. Socin. cons. 54. col. 2. lib. 3. Bonifac. Vital. sub tit. de testib. num. 35. & 37. & post plurimos Farinac. eodem loco. num. 17.

Si tamen mulier pateretur aliquẽ defectum, quia esset infamis, repelleretur l. qui testamento, § mulier. ff. de testam. vbi Bar. & Imo. vel quia meretrix. Alexand. cons. 11. in 1. Iason in l. 1. C. de Sum. Trinit. num. 54. vel quia esset vilis & pauper. Dec. consil. 310. nu. 5. Ioan. de Amic. cons. 87. num. 8 & 9 vbi, quod paupertas reijcitur. Paris. cons. 152. num. 17. in 4 Grammat. cons. 62. numer. 23. & cons. 58 numer. 10. Roland. cons. 24. num. 64. in 1. Bertaz. consil 3. num 6. Onded. cons. 100. num. 18. vel quia esset minor annis 20. ad l. in testimonium. ff. de testib. Alexand. consil 64. colum. 1. in 1. Bertazol. cons. 3. num. 5.

66 Ex iam dictis patet solutio ad quæsitum. Nam si aliud † non obstet, quàm sexus exceptio, ex testatione duarum mulierum super facto equidem iuste procedi poterit ad torturam; sed ad condemnationem ordinariam an possit, subsistẽdum est.

67 Quia Fœminæ † in criminalibus non sunt integræ personæ, sicut mares, & minoris fidei, quia non omni exceptione maiores. Alexand. consil. 11. num. 11. lib. 1. præcise Cœpol. in criminalib. cons. 32. sub num. 2. Socin. cons. 54. col. 2. lib. 3. clare Crau. cons. 99. num. 5. Gomez. tom. 3, cap. 12. num. 20.

Quare testimonium † duarum mulierum non sufficere ad cõdemnationem in criminalibus, decidit Dec. in l. fœmina. ff. de reg. iur. sub num. 35. Delr. Magic. Disquisition. libr. 3 section. 3. qui propterea plurium numerum desiderat, ex regula satis nota, quod numerus supplet fidem. Innoc. in c. cum nuncius. de testib. & horum patrum dicta pluribus alijs cumulatis secutus est. Farin. d. q. 59. nu. 26 & 27. vbi etiam post Gandin. & Riminal. iun consil. 217. numer. 5. concludit, non etiam tres fœminas sufficere ad cõdemnationem pœna ordinaria in criminalibus criminali eractis. 68

In ciuilibus autem † quamuis grauibus, veluti in matrimonialibus, mulierem esse testem integrum & omni exceptione maiorem, firmauit idem Dec. consil. 342. colum. 1. Ripa in l. admonendi. ff. de Iureiur. nu. 179. per text. in cap. super eo. de testib. Farinac. d. quæst. 59. num. 33. 69

Ad XII. An denunciationes fœminarum tanto magis fidem faciãt, quando non adsunt testimonia virorum in contrarium?

Respond. non videri † earum fidem magis augeri, quandoquidem mulierum conditio spectanda sit. l. 3. §. tu magis. & §. Quæ argumenta. ff. de testib. 70

Ad XIII. An plurium Minorennium denunciatio faciat indicium ad torturam?

Respond. distinguẽdum esse, aut est † minor 25. maior 20. & in criminalibus est testis idoneus, l. in testimo- 71

nium. ff de testib. à contrario Gloss. *in l. inuicti ff. eo Spec. & Ioan. Andr. ad eum in tit. de testib.* §. 1. *nu* 34. & est recepta & practicata cōclusio, sicuti pluribus relatis tradidit Farin. *qu.* 58. *num* 19. & *infra*. vbi *sub num.* 21. inquit, quod, qui contradixere, inaduertēter sunt locuti.

72 Aut est pubes, minor tamen annis 20. Et de iure scripto † in criminalibus hi non citantur in testes *d. l. in testimonium. cum Gloss. & 4. q. 3. C. si testes. Specul. d. loco, & Ioa. Andr. in addition.* Qui tamē addit, quod Guid. Suzar. dicebat verum esse in accusatore producente, sed in iudice inquirente secus, pręsertim in defectum probationum. Alex. autem *consil.* 64. *in* 1. secutus opinion. Hostien. & Bal *in l. inuicti. ff. de testib.* indistinctè cōcludit, minorem 20. nō esse idoneū testem in criminalibus, nisi in defectum aliorum testium, quia ex natura negotij alij testes haberi non possint; secus autem si ex accidēt. secutus in hoc Bar. declarationem, *in consil.* 24. *Quæst. hac & in c. tertio loc. de probation.* sequitur Ias. *in l* 1. *C. de sum. Trin n.* 50. *& in l. si C de indign. Hip. Mars. cons* 11. *n.* 5. *&* 102. *n.* 5. *&* 127. *nu.* 9. Et si est minor, pauper, & vilis, absq; dubio ob duos defectus repellitur. Idē Mars. *cons.* 31. *nu.* 30. *&* 31. & ad regulam, vt pubes minor annis 20 non sit idoneus testis in criminalibus, plures accessere auctores, Angel. de Malefic. in verbo, *Comparuerunt. sub nu.* 13. *Dec & Cagnol. in l.* 2. §. *Item impuberes ff. de reg. iur. Blanc de indic. n.* 349. *& plures alij relati à Farin. d. q.* 58. *n.* 10.

Cōmunis resolutio est, quod iudex † ex officio suo possit puberem in testem assumere iuxta sentē. iam Guid. de Suzar. & Ioan. Andr. supra relatam, quā secuti sunt Alber. Florian. & Iacobin. à S. Georgio *in d. l. in testimonium. Angel. Aret. in verbo comparuerunt. sub n.* 13. *Marsil in l. de minore. n.* 24. *ff de q. Blanc. de indic. n.* 349. *& plures alij relati à Farin. d. q.* 58. *n.* 57. 73

In crimine autem † lęsæ Ma. & in alijs exceptis atrocioribus, & occultis, quorū veritas difficile haberi potest, puberis testimonium recipitur. *d. l. de minore. in princ ff. de Quæst.* notarunt Alber. & posteriores *in d. l. in testimonium. Ias. in d. l. fin. col. vlt. C. de indign. Gigas de crimin. les. Ma in titul. Quomod. & per quos. qu* 12 *cum infinitis concordantibus adductis à Farin. d. q.* 58. *n.* 22. *& num.* 29. 74

Et in istis ob grauitatem delictorum puberis persona existimari poterit integra, & omni exceptione maior, quamuis in alijs non faciat probationem sed indiciū, ex notatis *in d. l. in testimonium & in l. inuicti. per Gloss. Alber. Bald. Florian. & Iacobin. & per Specul & Ioan. Andr. ad eum in loco supra allegato.* quia in delictis nō exceptis, non est integra persona, & ex pluribus sic tradidit Farin. *d. loc. num.* 34.

Aut est impubes, siquidem infans † aut doli incapax, non assumitur in testem. Bal. *in l.* 1. *in fi C. de indign. & in l. testium col.* 2. *de testib. Mars. in l. infans ff. de sicar. num.* 41. quia nullum habet 75

habet animi indiciũ. *l.cum prator.§. nõ autem.ff.de iudic.§.praterea.Inst.Quib. non est perm fac test.* Si autem non sit proximus pubertati,similiter à testificando repellitur.*leg.3.§ lege Iulia. & l.inuicti.ff.de testibus in § sed nec pupillus. l.ex libero §.1.ff.de quastion.& 4.quastion. 2.§ lege Iulia. & §.sed nec pupillis*: adeò vt horum testimonium sit nullum etiam parte non opponente: Angel. *in §.1.numero 3.in Auth. de testib. Marsil. in l. de minore numero 24. ff. de quastion.* ratio conclusionis est, quia pupillus non habet animi indicium, *dictis iuribus.* & illa ætas,quod videt,ignorat,*libro 1.C.de fal. mon.* & quia testis non iuratus non probat, *l.solam C. de testib.* Impubes autem iurare nequit. *l. qui iurasse in princip ff. de Iureiur. & l.4.ff de in lit.iur.* Nec assumi possunt in torturam in caput alterius: *d.ex libero § 1. late Farinac. d. quast. 58. numero 1. & infra: & numero 17.* etiam si sit doli capax.

75 Fallit in casu,† vbi de morte Domini in domo occisi quæritur: nam etiam impuberes de domo illa examinantur de auctoribus veris, & si opus est,torquentur impuberes ad eruendam veritatem, modice tamen,scilicet ferula & & habena: *l.1. § Impuberi.ff. ad Sillan.Farin. d. qu. 58. num.25.*

76 Fallit etiã in crimine † læsæ Ma. nam & hi doli capaces licet Impuberes,ob criminis atrocitatem examinantur & torquentur: *l. de minore in prin. ff. eo.* vbi la. Marsil. Dec. & Cagn. *in l 2. §. Item impuberes. ff de Reg. Iur.Gigas de crim.las.Ma. in titul. Quomo.& per quos.quast.12. numer.4. Feder. Schenc. de testib. sub n.13.* versi. nisi agatur.& est indubitata propositio Farinac.post multos.*d.q.57.n.22.*& torquebuntur ferula aut habena. Bart. *in d.l de minore per text. in d.§. Impuberi. Marsil l.12.Clar.in § fin.q.64.n.20.* idẽ *Bar.in l.fin.C. de indign.* quamuis iura & plures auctores dixerint, quod torqueantur.Sed tortura hic moderari debet,vti tandem resoluit Farinac.*d.q.41.n.102.& 103.*

Fallit etiã vbi Iudex † ex officio suo assumeret dictum impuberis, nam fieri possunt concedunt gloss. & scribentes.*Bald Alber Florian.& Iacob.in l.inuicti, & in l.testimonium ff. de testib Specul.& Ioan Andr ad eum, in titul.de teste. versic.Item excipitur, quod est impubes.sub numero 34.*&quamuis cõtra videatur text.*in d.l. ex libero §. 1. ff de quastion.*& contrarium statuerint Alexand. *d consil.64.libr.1.Cagnol.in d.l.2.§.si Impuberes*:communis tamẽ Modernorum traditio & practica iudicialis priorem recepit, vt ex Farinac.*d.q.58.num.37.* 77

Non tamen horum impuberum dictum † facit probationem quo ad effectum condemnationis, facit tamen indicium sic præcise glos.&alij *in d.l.inuicti. Specul. & Io. Andr. loco pracitato, Bart.in d.l.de minore, & in d.l ex libero § 1.& in l.2.§. quod obseruari. numer.11. C. de Iur. cal gloss. Bart. Bald. Ang Sal. Alex.& Ias.in l.fin C. de indign.* 78

Sed an tale indicium sufficiat ad torturã:varie dixerũt auctores, Bar.

in l. Maritus ff de quæstion. sensit negatiue: dum inquit, quod iste facit indicium quale quale, sed non plenũ, cuius doctrinam sequuntur posteriores ibi Marsil. *in l. §. Diuus Antoninus ff eo & in d.l de minore. num.* 23. vbi explicat, quod facit indiciũ ad inquirendum non ad torturam. *& in § diligenter num.* 80 & clare Bald. *in l.1 §. Impubes ff. ad l Silan. in 2. not & in l. Seruos. C. de test. ib. Ign. ius in d § Impubes. numero* 38. *Clar. quæstion.* 24. *numero* 16. *Anton. Gomez. var. Resol. Tom. 3. de probat. d.l. de torture. num.* 10. 3 *versic. secundo repellitur.* Contra tamen senserunt Angel. & Ias. *in d. l fin. C de indign. Vulpell. consil.* 39. *numero* 5. Sed præcedens opinio collatis auctoribus communior & receptior est: vt constat ex relatis à Farin. *d. loco num* 48 *vsque* 53.

Si tamen cum dicto Impuberis concurrerent aliqua alia indicia, vel etiam vnum non leue, procedi posset ad torturam, vel etiam vbi duo Impuberes sic testarentur. Florian. & Alberi. *in d.l. in testimonium. ff. de testib. Hip. Mars. in l infans numero* 46. *ff. de sicar. Blanc. de indic. numero* 349. *Anton. Gomez. loco præalleg. Boss. de Indic. num*, 14.

Et in criminibus grauioribus & atrocioribus forte dictum solum Impuberis sufficeret ad torturam & generaliter in his, quorum veritas difficulter haberi potest, Marsil. *d. l. de minore*, *numero* 24. *Farinac. d. qu.* 58, *n.* 32.

Imo duorum dictum sufficere ad condemnationem sensit Alberic. in d.l. in testimonium: secutus est Marsil. *in d l. de minore, numero* 28. *& in l. infans numero* 46 *ff de sicar. & in §. D. l. gētur sub numero* 80. *Grammat. Cons.* 45. *numero* 21. *cum alijs adductis à Farin. eod. loco numero* 34. Sed ad pœnam ordinariam eius dictum non videtur recipiendum, ex scriptis in anteriore articulo de mulieribus. Vtrum autem Impuberes sint idonei testes in facto, super quo alij testes haberi non possint, vt quia delictum sit cōmissum in schola Impuberum, prosequitur Farinac. *d quæst. n.* 58 *numero* 29.

Ad XIV. An verisimilitudo denunciationis † ab vno tātum factæ, sit sufficiens adminiculum, vt procedi possit ad torturam. 79

Respondemus: quod sicut inuerisimilitudo † multum prodest ad detrahendum. *l. non est verisimile. ff. Quod met. cau. & l si ita quis ff de euiction. ibi* quod nemo fatuus diceret: adeò vt efficaciores probationes desiderentur ab eo, qui proponit aliquid non verisimile. *c. quia verisimile. ex de præsumpt.* & plene per *Canon. ibi*: & propterea testibus non verosimilia testificantibus non creditur, quia quod non est verisimile, speciē falsitatis habet, *dictis iuribus.* & not. Bal. *in l. 1 sub numer.* 9. *C de ser fug Innoc. in c. auditis de præscript. Albe. in d. c. Quia verisimile, in vltim. not. Felin. in c. licet causam. in* 10. *not. de probat. Ias. in l si extraneus, n.* 6. *ff de condit. cau. da. Soc. iun. cons* 88. *ad finem lib.* 2. 80

Immo quod magis est, confessio non verisimilis † non nocet confi- 81

tenti.

tenti. Bald. *in l. si quis in hoc. C. de Episcop. & Cler. num. 3. Petr. Ancar. consil 24. visa inquisitione colum. 1. per tex. in l. 1 §. Diuus Seuerus. & in § si quis vltro. ff. de quaestion. & idem Ancar. cons. 257 ex ordine, num. 5. dicit*, quod non verisimilibus Iudex non debet dare fidem, per not. ab Innoc. *in d. c. Quia verisimile*: & sequitur plura cumulans *Hip. Marsil. in l. 1. § in crim. n. 35. ff. de qq. & in rep. Rub. de prob. n. 108.*

82 Quare licet numerus † soleat supplere fidē in testibus defectuosis. *l. testium cum glos. ff. de testib. Alex cons. 5 n. 6. lib. 1. Corn. in l. 1. n. 35. C. de Testam. Ias. in Auth. Si vero, C. de Indic. cum infinitis propemodum concordantibus adductis à Farinc. quaest. 62. nu. 309.* attamen numerus non supplet fidem, vbi ni verisimilia testantur, vt per eundem *numer. 320. & per Mascard. conclus. 1358. numero* 13. vbi plane assertores adducit.

Per contrarium autem verisimi-
83 litudo † in testium dictis multum fidei auget: adeò vt pauciores verosimilia deponentes praeferātur pluribus numero contra asserentibus, *l. ob carmen § si testes, ff. de testib. cap. in nostra, ex de testib. pulchre Curt. Iun. consil. 17. numer. 6. Socin. iun. 183. num. 10. lib. ij.*

Et verisimilitudo prodest ad supplendum defectus testium, Ruin. *cons. 149 num. 6. lib. 5 Decian. cons. 18. n. 204. lib. 1. Mascard. conclus. 499. nu. 14. Farinac. q. 47 n. 158.*

84 Et insuper magnum † praestat fundamentum ad torturam, *l. 3. & l. milites, C. de quaestion.* sicut & ea, quae à communiter accidētibus vera sunt: *Marsil. §. diligenter, nu. 33. & in singul. 1. ad finem.*

Et in istis atrocioribus † vt verisi- 85
militudo augeat fidem denunciationis & denominationis ab vno licet de se confesso & conuicto, suadet: quia in istis animosius iudex procedere debet ad torturam, quam in alijs: Bal. *in l. nemo, la. 3. num. 3. C. de Episcop. audien. Boss. in titul. de indic. numero 200. Clar. § fin. quaest. 1. num. 9. & q. 64. num. 6.*

Conclusiue sic distinguendum putamus, aut loquimur in crimini-
bus † non exceptis & priuilegiatis, 86
in quibus criminosi non interrogantur de socijs criminis, *ad l fin. C. de Accusat.* & in his interrogati non faciunt fidem, etiam si verisimilia viderentur deponere: quia nec etiam testes infames super his interrogati, quamuis verisimilia testantes, facerent fidem ad torturam, ex Bald. doctrina in *l. 1. C. de sum. trin.* vbi sub *num. 5.* distinguit: an sint infames infamia facti, & per talem infamiam
† dictum testis eliditur, sed non 87
prorsus repellitur, in causis non grauibus nec criminalibus, vel quādo videretur deponere proxima veritati, tunc enim licet minor fides sibi adhiberetur, non tamen omnino repelleretur: quia ex additis & verisimilibus cohaerentiis potest sibi credi, *d. l ob carmen, § si testes*, & Bald. hic loquitur in criminalibus, dum statim subdit: quod in criminalibus

t & cau-

& causis granibus, in quibus testes requiruntur omni exceptione maiores, istis non creditur, nisi pro se habeant adminiculum: quod etiam clare voluit *Paul cap. ibi.* ante finem: vbi inquit, quod duo testes infames infamia facti non probant delictum, nisi concurrerent etiam alia indicia, quæ coadiuuarent: & ibi declarat optime, qui sint isti infames infamia facti, & qui iuris: plenissime autem, quam probationem in criminalibus faciant infames infamia facti Farinac. *quæstion. 56. numer. 115 & infra:* Testes autem infames infamia iuris non probant ad fundandum sentētiam super eorum dicto, sed ad fundandum inquisitionē contra reū super dicto in tormentis recepto, & est ratio, vt idem Bald. inquit: quia iuris infamia eneruat fidem, quæ in teste est fundamentum testimonij, *l. 3. § legē Iulia. & § tu magis, ff. de testib. c. forus de verb sign. c. licet ex quadam & c. testimonium, de testib.* Tortura autem in istis non purgat defectum infamiæ, Farinac. *loco de quo sup. num 37. Cephal. cons. 234. num. 19.*

In exceptis autem, quia infamia iuris non hos repellit, *l. famosi. ff. ad leg. Iul. Ma. l. 5 § si ea condicio. ff de testib. & l. fin. C. de malefic.* Si præterea accedat adminiculum verisimilitudinis, quæ sit proxima facto: forsan melius est tenere, vt fidem nominantis augeat ad effectum torturæ, sicut augeret fidem testis: de materia autem an infamia iuris, vel facti repellat à testificatu, plene Ias. *in d. l. 1. Farinac. quæstion. 56. Articul. 1. numero 26.* vbi amplissime tractat sententiam, de infamia iuris, ibi est locus amplissimus.

Ad XV. An malefici denunciantes, implicati etiam alijs criminibus, faciant indicium ad torturam, maximè quando sunt plures.

Respond. quod † criminosi de se confessi & conuicti, si præterea pro alijs criminibus sint infames, fidem non faciunt ad effectum torturæ, etiam in exceptis, Alexand. *consil. 89. numero 11. & 12. lib. 3. Grat. resp. 59. nu. 41. libr. 2.* ex pluribus Grammat. fori iudicat. *consil. 1. numero 61. & consil. 15. numero 27. & latius consil. 70. numero 8. Gigas de Crim. læs. ma. in titul. quomo. & per quos, quæstion. 7 numero 7. Roland. lib. 1. consil. 17. numero 20. & 73. numero 24. 27. & 28 Menoch. casu 474. numero 54. cum alijs relatis à Mascar. conclus. 1317. numero 41. & numero 3. Onded. consil. 100. numero 17. 18. & alij adducti sup. in v. qu. ad finem, & vltra hos Cephal. consil. 65. numero 27. 204. numero 9. 250. numero 33. Laderch consil. 18. numero 80.* Quare nisi excessus in numero suppleat, à regula etiam in exceptis nō facile recedendum est. 88

Ad XVI. An extraiudicialis reuocatio infirmet iudicialē, quod † non amplius faciat indicium ad torturā. 89

Respond. quod † & si dictum morientes in præiudicium tertij minime pro vero habeatur, *ad l. si quis in graui § si quis moriens. ff. ad Sillan. & ibi not. Angel in l. mater C de calumniat. Alexand. consil. 14. libr. 3. Ias in l. 1. C. com. de leg.* 90

de leg. ex pluribus Cephal. consil. 276. num. 34. Menoch. consil. 39. numer. 44. Farina. quæst. 43. num. 30. Boss. de indic. num. 188. Quare si testis moriens dixerit falsum deposuisse in caput alicuius ad suggestionem & corruptionem alterius, non huic præiudicat: prout etiam si iudex diceret tulisse per pecuniam sententiam contra aliquem, Bar. in d. §. si quis moriens: vel etiam si notarius dixerit fecisse falsum instrumentum. Bart. in l. si librarius. ff. de Reg. Iur. Bald. in l. generaliter in vltim. not. C. de non num. pec. Alexand. conclus. 123. nu. 6. lib. 6. & 133 ad finem lib. 7. Felin. in c. exhibita: de homicid. & c. cum in tua de testib. Ias. in l. 1. in princip. ff. de eo per quem fact. erit. Alcia. reg. 3. præsumpt. 4. nisi tamen ea assertio efficacibus coniecturis foneretur. Curt. sen. cons. 70. Crau. cons. 6. num 53. vbi concordantes adducit.

91 Si tamen moriens † exculpet aliquem non in damnum alterius, prodest exculpatio, vt tortura vitetur ex alijs præcedentibus indicijs, quia moriens non præsumitur mentiri, & facit indicium innocentiæ pro reo. Bal. in l. 1. n. 33. C. com. de legat. sequitur Ias. ibi. Alex. d. cons. 14. & 123. nu. 12. vol. 6. Alcia. d. loco, vbi tamen limitat nisi grauia essent indicia.

Et in criminibus etiam grauioribus, vt exculpatio morientis prosit ad vitandum torturam, text. in l. diuus Marcus ff. ad Sillanian. Marsil. consil. 109. num. 31. vbi in crimine hæresis, & in criminibus occultis, furti, veneni & assasinij, Gramma. Deci. 56. num. 11. & voto 3. num. 15. & voto 11. numer. 17. & fuit de mente Bal. consil. 25. in ij col. volum. 1. vbi inquit, non esse præsumendum, quod tunc moriens mentiatur, & hanc, vbi alia non concurrerent indicia præter nominationem exculpantium, post longam disputationem probauit Marsil. in sua practica, in §. restat. ad finem: & videtur tutior, quamuis Delrius, libr. 6. Section. 3. versic. in contritione, post Binsfeld, aliud senserit: quia huiusmodi personarum maleficarum genus non pœnitet, nec redeunt ad contritionem, in alijs autem criminibus, si offensus exculpet aliquem, an eius exculpatio prosit: plura, quod iuuet, proposuit Marsil. consil. 61 num. 34.

Ad XVII. Quãdo nihil inuenitur de instrumentis maleficij: an denũtiatio pluriũ per hoc elidatur, quod non amplius sit indicium ad torturam.

Respond. inuentionem instrumentorum † esse quippe signum & efficax argumentum aduersus sagas, sicuti Carolina constitutio edicit: & de monetarijs ac furibus, repertis instrumẽtis. Hip. in l. qui falsam, ff. de fals. num. 114. & infra. Decian. in criminal. libr. 7. cap. 26. num. 6. ex non inuentione autem per contrarium sumitur argumentum: minuitur autem, & augetur ex facti circumstantijs. 93

Ad XVIII. An leuiora, & quæ indicia † sufficiant ad torturã in criminibus exceptis. 94

Respond. Auctores in Iurisprudentia nostra in diuersas abijsse sententias. Quidam enim senserunt in atrocissimis licere torquere ex non sufficientibus & illegitimis indicijs. Sic enim sensit Marsil. *in l. 1. sub num. 47 ff. de quaestion. Iul. Clar. in §. 1. ante nu. 11. vbi inquit:* sic seruari apud eum in statu Mediolani, quia in istis atrocibus permittitur iura transgredi, etiam in procedendo, ac ideo deuenitur ad torturam, etiamsi indicia non sint in totum sufficientia, neque probata per testes omni exceptione maiores, vt de iure videtur regulariter requiri: & plerumque etiam non edita copia processus informatiui: explicite autem Menoch. *de arbitrar. quaest. 84. num. 9. Roland. consil. 7. num. 5. & infra lib. 1. sensit Mascard. conclus. 1385. num. 13.*

95 Et ratio est secundum eos *supra relata:* quia † in istis licet iura & iuris ordinem transgredi, vt in his ordo sit ordinem non seruare. Innoc. & posteriores, *in cap. 1. de constitut. Bald. in l. obseruandum, numero 10. de offic. praes. & in l. & si seruior. C. de infam. Capic. decis. 31. Grammat. Decis. 36. numero 2. & 3. Clar. d. loco, numero 10. Menoch. consil. 100. num. 66.* non tantum in condemnando, ad dicta per Iul. Clar. *d. § 1. sub numero 9.* Sed etiam in procedendo, ad text. *in l. vbi C. de fals.* ibi acerrima fiat indago: ad hoc etiam text. *in capit. in fidei & in c. accusatus, §. licet de haeretic. in 6.* nam iura haec ordinem in procedendo respiciunt.

Quare concluditur in istis iudicem † animosius & facilius venire posse ad torturam, quàm in alijs, 96 Bald. *in l. nemo la. 3. C. de Episcop. audien. numer. 3. AEgid. Boss. de indic. numer. 100. Clar. loco praelleg. & q. 64. num. 6.* Et maximè in occultis, prout est delictum maleficarum, nempè striges & sagae occulte agunt.

Contra verò, quod † nec etiam in atrocissimis iure procedi possit ad torturam, nisi praecedentibus legitimis indicijs: senserunt alij grauissimi auctores, gloss. Cyn. Bal. Sal. & alij, *in l. si quis C. ad leg. Iul. Maiest. vbi in crimine laesae Maiest. Alber. in Rubr. ff. eo. numero 3.* quos sequitur Afflict. *in titul. quae sint regal. in verbo & bona committentium, numer. 44 Grammat. voto 34. ad finem. Capic. decis. 126. numero 4.* & in crimine proditionis patriae, Angel. Aret. & August. ad eum in verbo: *Che hai tradito la tua patria, num. 1. Marsil in § diligenter, n. 175.* & in atrocissimis, ac in crimine laesae Ma. ex communi post Brun. & Corrad. Clar. *quaest. 64. ante num. 10.* Follerius asserens nullo iure reperiri, quod in enormi crimine procedatur ad torturam non subsistentibus legitimè indicijs, in sua practica crim. in verbo, *& quod suffocauit vxorem, numer. 58.* & repetit in crimine laesae Ma. *numer. 103.* & praeter hos Cason. post tract. *de indic. & q. cap. 5. sub Rubr. de non torquendo sine indic. etiam in crim. laes. Ma.* Gigas, de eodem crimine, *in titul. quo mo. & per quos. q. 26,* vbi sic firmat & *q. 25,* vbi signāter conclu-

concludit, quod vnus testis de immediata delicti scientia faciat indiciū sufficiens ad torturam, testis autem vnus de indicio, non sufficiat. Plures autem testes singulares de singularibus indiciis sufficiant ad torturam post plures ab eo adductos, & hanc vti communem subsecuti sunt Modernior. Roland. *cons.* 12. *num* 33. *libro* 3. Rimin. *iun. consil.* 88. *num.* 53. *&* 361. *num.* 34. *&* *infra* Osasc. *decis.* 79. *nu.* 14. & præter hos Decian. *in criminal. lib.* 7. *c.* 46. vbi prçterea vult post Marsil. *consil.* 46. *col.* 3. quod.

98 Confessio † facta in tortura adhibita, non præcedentibus indicijs, non valeat, nec præiudicet Reo, etiam postea ratificata, Bertazol. post plures *consil.* 61. *col.* 1. *lib.* 1. *Bursat. consil.* 166. *numero* 32. *&* 201. *num.* 41. *Rimin. consil.* 88 *num.* 33. *&* 361. *num.* 34. *Franc. Becc. consil.* 67. *sub numero decimoquarto Franc. Personal. in tit. de indic. & tort. num. decimoquarto.* & in crimine Sodomitico Vinc. Onded. *consil.* 100. *num.* 5. *libro* 1. & in crimine Hæresis, Carer. *numero* 22. in quo etiam pro vt in alijs tractat. de hæret. *numero* 117. & in crimine assasinij idem Carer. *in tit. de indic. §. circa quartum, qualiter & quando, num.* 7. *Grammat. d. voto* 34. *col. vltim.* & generaliter in omnibus atrocioribus & atrocissimis, Mascar. *conclus.* 1385. *numero quarto*, & præter hos Farinac. *lib.* 2. *qu.* 37. *numero* 79. *& infra & num.* 39. *vbi in hac residet.*

Fundamentum est, quia tortura

99 † est iniuria corporalis, *l. nihil C. de qu.* & est grauis cruciatus proximus morti, Bal. *in l.* 1. *col. penult. C. vnde vi:* adeo vt plerique tantæ sint impatientiæ, vt in quouis mentiri, quam pati tormenta velint, & ita fit, vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum se, verum etiam alios criminentur, ac ideo est res fragilis & periculosa, quæ veritatem sæpe fallat, vt specialiter inquit tex. *in l.* 1. *§ qu. ff. de quæstion.*

Qua ratione iure aperto constitutum legitur, ad tormenta tunc venire oportere, cum suspectus est reus, & alijs argumentis ita probationi amouetur, vt sola confessio deesse videatur.

Sic præcise inquit textus, *in dict. leg.* 1. *in princ.* cui concordat alius tex. optimus *in l. Milites. C. eo. ibi oportet autem iudices*, nec in his criminibus, quę publicorum iudiciorum sunt ad inuestigationem veritatis à tormentis initium sumere, sed argumentis primum verisimilibus probabilibusq; vti. Et si hi veluti certis indiciis deducti, inuestigandæ veritatis gratia putauerint ad tormenta esse deueniendum, quæ quidem iura absolute loquuntur, & sunt posita post titulos delictorum publicorum: Adhæc etiam optimus tex. *in l. famosi ff. ad leg. Iul. Maiest. in illis verbis*: Hoc tamen crimen à iudicibus non in occasione ob principalis Maiestatis venerationem habendum est, sed in veritate rei iudicatæ: Nam & persona spectanda est, an potuerit facere, & an ante quid fecerit, & an cogitauerit, & an sanæ mentis fuerit: *& in*

cap. in fidei. de hæretic. in 6. ibi. & si ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum, tam deponentium, quam eorum contra quos deponitur, qualitate, ac alijs circumstantijs sic testificantes falsa non dicere præsumantur: ac ideo textus elegans *in leg. nec si mors C. de quæstionibus*, mouet cauendum esse, ne liber homo indiscrete subijciatur torturæ: Et retenta sententia hac, non ob quod in atrocioribus liceat iura transgredi. Nam respondetur, propositionem procedere vbi constat de Reo delinquente.

Sed cum quæritur, an is deliquerit? Iura quidem dispensant contra Reum inquisitum circa solennitates in procedendo, & circa personas testium, vt etiam infames & alij iure repulsati præter inimicos recipiantur, nullibi autem, quod torqueantur absque legitimis indicijs præcedentibus: Sic sane eam Innocent. traditionem primus omnium declarauit, Marsilius *in §. Diligenter, numero centesimo quinquagesimo septimo, & in consil. 74. numero trigesimo quinto.* Subsecuti sunt Grammat. *voto 34. numero vigesimo tertio. Carrer. in dicto §. circa quartum, numero octauo. Rimin. Iun. dicto consil. 361. numero trigesimo secundo, trigesimo tertio, & trigesimo septimo. Franc. Personal. in dicto tractatu num. vigesimo quarto. Farinac. dicta quæstione trigesima septima, sub numero nonagesimo, vbi inquit,* declarationem illam Marsilij esse communiter receptam.

Quibus addimus quod in atrocioribus, † in quibus de grauissima pœna agitur, vehementiores probationes & præsumptiones desiderantur, quia de grauiori periculo agitur ad dicta supra, *numero vigesimo primo.* Concedendum tamen putamus in his atrocissimis iudicem animosius procedere posse ad torturam, quam in alijs, & ita procedere dicta complurium auctorum in diuersam sententiam allegatorum. 100

Quidam tamen senserunt in occultis grauioribus † deueniri posse ad torturam, etiam sine legitimis indicijs, qui tamen sufficiant ad inquirendum ex Bald. doctrina *in leg. quicunque. C. de seruis fugitiuis, numero vigesimoquinto*, vbi formaliter notat, quod in secretis delictis, tractatibus & consilijs, propter probationis difficultatem peruenitur ad torturam: & continuando subiungit, *& quandoque ad condemnationem & absolutionem ex solis indicijs si sunt ita certa, quod vix denegare sufficiat*, per text. *in dicta leg. milites C. de quæstion.* Sed etsi Bald. simpliciter à plerisque allegetur, quod in occultis sine indicijs perueniri possit ad torturam, veluti illum sic allegarunt August. & Gigas locis præcitatis & Decianus, *consilio decimo octauo, numero quinquagesimo tertio, libro primo.* attamen Baldus non sic dixit, vt constat ex verbis eius formalibus supra relatis, nec in occultis sic concedi debet, per regulam generalem, *à tormentis non esse inchoandum,* 101

dum, dict. leg. 1. in princ. ff. de quæstion. & capit. cum in contemplatione de Reg. Iur.

Concedi tamen potest, vt in occultis ex leuioribus indicijs procedi possit ad torturam: & sic seipsum declarauit Baldus *in leg. nemo. la. 3. de Episcop. audien. sub numero tertio, vbi inquit*: quod in istis iudex debet esse promptior ad torturam. Et sic tandem concludunt communiter Auctores, Iason *in leg. quarta § si tibi indicium, digest. de cond. ob turp. caus. numero quarto, & Criminalistæ omnes, Guido Suzar. Marsil. Grammat. Cason. Clar. Carer. Corrad. Boss. Brun. Person. Menticellus* & alii relati *à Roland. numer. quinto, & numero septimo, cons. 7. Ossas. Decision. septuagesima nona, numero decimo. Decianus dict. consil. decimo octauo. num. quinquagesimo quarto, & à Farinaci. dicta q. trigesima septima numero* 150. & ratio est quia etiam in istis, quæ sunt difficilis probationis, leuiores probationes sufficiunt ad condemnandum, *leg. non omnes §. à barbaris digest. de re milit.* latissime Plott. *de in lit. iur. §. 4. numero vigesimo secundo*, vt tamen præsumptiones sint vehementiores ad dicta supra.

102 Quæ autem indicia sufficere possint ad torturam in criminibus, † non potest dari certa doctrina: vt ait Bartolus *in lege fin. digest. de quæstion.* & post eum scribentes ibi plenissime Marsil & Blanc. qui quidem vtilem & proficuum edidit tractatum in ea leg. de indicijs: Clar. *in § fin. quæst. 64. num. 13.*

In hoc autem conueniunt Auctores, quod vnus testis † & in vulnerabilis, vti Doctores aiunt, de propria sua scientia per sensum corporis faciat indicium ad torturam. Bar. & Doct. *in d. l. fin. Bal. cons. 259. num. 5. lib. 1. Glos. Bal. Ang. Sal. & alij. in l. si quis C. Ad leg. Iul. Ma. idem Ang. in l. in tormentis. C. de qu. Marsil. Cons. 74. nu. 1. pulchre Andr. Sicul. cons. 27. num. 6. in 1. Paris. 151. nu. 3. lib. 4. Boss. de indic. num. 6. & 7. Onded. d. cons. 100. n. 13. & 14. Farinac. d. quæst. 37. num. 56.* & infr. vbi sic ex communi concludit, declarando tamen quod si testis de facto non esset integer, requirerentur aliqua alia adminicula ad tex. *in d. c. in fidei, Bald. cons. 427. lib. 5. Clar. ex communi q. 21. nu. 2. Cason. & Carer. relati à Menoch. præsumption. lib. 1. q. 89. nu. 10. 11.* vel etiam dici potest, vt in atrocioribus ad dictum vnius testis non integri perueniri possit ad leuem, non tamen ad plenam torturã. Sic post Grill. Corrad. Clar. *q. 64. n. 32.* resoluit Farina. tandem *d. loco, nu. 64.* vt in istis plus iudici tribuatur, quàm in alijs, & ita moderanda erunt dicta supra *in primo quæsito.* 103

Item si testis esset integer & dicto illius obstaret aliqua legitima coniectura, non faceret fidem ad torturam, nisi reus esset malæ conditionis & famæ: nam hoc casu testis etiam quoad personam non integer attestans de facto, faceret fidem quoad effectum torturæ, vti plene per eũdem *sub n. 65.* Quod tamen vltimum dictum contradictore non caret: nam

nam contra sentiunt Rolan. *Cons. 37. num. 21. lib. 1. Menoch. casu* 474. *numero quadragesimo nono. Mascar. conclus.* 1317. *num.* 53.

Vbi autem testes non deponunt de facto delicti, sed de aliquo indicio, tunc si indicium proximum sit facto & plene probatum, sufficit ad torturam. Bar. & cæteri *in d. l. fin.* & ex communi Iul. Clar. *q. 64. num. decimoquarto, Arg. l. in verbo: Fama publica: numero decimotertio. Mar. sil. in §. Diligenter, numero* 177. *Farinac. eo loco, num.* 46. *vsque* 50.

Si autem indicia sint remota † à
105 facto, de iure consentiunt scriptores
communiter non sufficere vnum
indicium remotum, vt constat ex relatis ab eod. Claro *d. loco,* & vltra ab eo adductus Rimin. Iun. *cons.* 88. *n.* 8. *in* 1 *Franc. Person. in tr. de indic. num.* 96. *Eugen. Perus. cons.* 27. *num.* 10. *vbi de communi, cum aliis allegatis à Farinac. q.* 37. *num.* 43 De consuetudine tamen fatentur Auctores seruari, vt vnum indicium etiam remotum sufficiat ad torturam. Sic originaliter Io. And. ad Specul. *in tit. de præsumpt.* §. *species in magna additione.* Sequitur Alex. *cons* 77. *num. duodecimo lib.* 1. cum pluribus quos adduxit Clar. *d. loco:* Qui tamen non absolutè consensit ex vno indicio perueniri posse ad torturam: sed cum temperamento, scilicet concurrente aliquo alio adminiculo, ad dicta per eum *in q.* 21. vbi late differit de indicijs remotis à facto, an quodlibet de per se sufficiat ad torquendum, & sic consuetudinem allegatam temperauit quoque Farinac. *eodem loco, numero quadragesimo septimo.* Forte concedi posset, quod vnum bonum indicium probatum, quamuis remotum à facto, in occultis ac in grauioribus sufficiat ad torturam Grammat. *Voto* 17. *numero* 18. *Clar q.* 21. *col. ij. vers. posset etiam modicam tamen torturam non plenam.*

Indicia autem sufficientia † ad 106
torturam in crimine magiæ nonnulla attulit & pro sufficientibus firmauit constitutio Imperial. Caroli V. supra relata, non tamen taxatiue stat, adeo vt etiam ex alijs sumi posset indicium, veluti si vltra nominationem criminosi concurreret. Nominatur fuga extemporanea, Inimicitia cum damnificato, Secreta collocutio cum nominante. Fama vehemens: si alias hæc tractare visa, aut visus fuerit: aut dixerit se tractasse: & huiusmodi.

Notandum tamen est si iudex †
vehementer ex aliquibus circum- 107
stantijs extra processum suspicari potest, inquisitum esse Reum criminis: potest verbo terrere Reum, minando ei torturam: nisi veritatem dixerit. Bal. *in l.* 2. *C. Quor. appell. sub nu.* 5. vbi quod licet non omnes, nec omni casu, possint torqueri, possunt tamen terreri: quia vultus iudicis in talibus debet apparere terribilis *in Auth. de mand. princip.* §. *Talem vero. Boss. in tit. de iudic. nu.* 24. *& n.* 122. *Fran. Personal in tit. de tortur. num.* 77. vbi tamen requirit qualem qualem præsump-

tio-

tionem Et ista territio verbalis non ducto Reo ad torturam, non est species torturæ: Bar. *in l. primo §. Diuus Seuerus ff. de quæstion. text. not. in l. item apud Labeonem, §. quæstionem, ff. de iniur. ibi.*

Quæstionem intelligere debemus, & tormenta, & corporis dolorem, ad eruendam veritatem, nuda ergo interrogatio, vel leuis territio non pertinet ad hoc edictum. Farin. q. 37. *n.* 102. *&* 103. vbi tamen monet, ne territio etiam hæc fiat personis valde timidis.

Si vero iudex habeat indicia quędam, quæ non sufficiant ad plenam torturã: quia leuia, aut leuiora sint; suspicari autem potest contra inquisitam eo casu, pro modo indiciorum, & pro qualitate personarũ, poterit aliquando grauius terrere reum, faciendo eum duci ad locum torturæ, expoliari, & quandoq; etiam ligari, & si grauitas criminis, aut etiam qualitas indiciorum, aut personæ postulet, poterit reum leuiter eleuari facere, & eleuatum terreri modo plus modo minus, prout pro qualitate negotij de iure sibi congrueret, sine quassatione tamen, sicuti docuerunt practici criminalistæ. Paul. Grillan. *de indic. q.* 4. *in* 2. *&* 3. *gradu torturæ: Corrad. in tit. de negat. crimin. num.* 41. *Foller. in d. verbo. Rei indurati, n.* 8. *Personal. in tit. de indic. & tort. numero* 78. *Farinac. dicta quæst.* 37. *numero* 105.

108 Et certe circa modum torturæ † non potest dari determinata regula, quia hoc totum pendet ex grauitate, & leuitate delicti, ex qualitate indiciorum, an sint grauia, leuia, aut leuiora, & an plura, vel vnicum: Item ex qualitate personę torquendæ, an sit plebeius, aut honestus, nobilis, aut in dignitate constitutus, an robustus, an debilis, an morbum aliquem patiens: an maior, minor, senex, an timidus, an versutus: sic pulchre tradiderunt Guid. Suzar. *in tr. de indic. & tort. num.* 19. *Foller. d. verbo rei indurati, numero* 19. *Franc. Person. in co. tract. num.* 15. *Carrer. in sua pract. libro* 4. *c.* 102. *in fine, & post hos Farinac. qu.* 38. *num.* 33.

Ad XIX. An Iudex promptior & facilior debeat esse ad torturam in atrocioribus & occultis?

Respondimus modo in priori quæsito. Addimus tamen quod † etsi in alijs criminibus in dubio non 109
sit procedendum ad torturam, Angel. *in l. ij. in fine C. de quæstion.* Secus tamen est in istis grauioribus & atrocioribus. Boss. *de indic. numero septuagesimo secundo, ex doctrina Abb. in c. At si clerici. in fine princ. C. de iudic.* Vbi propter immanitatem criminis læs. Ma. intelligit text. *in c. Si quis laic. vigesimo secundo, quæst. quinto,* loquentem de degradatione Episcopi ob coniurationem factam contra Principem, de degradatione actuali, ad hæc optimus text. *in l. diuus pius ff. de quæstion.* vbi, si aliter veritas haberi non possit, de facili conceditur, veniri posse ad quæstionem.

que piena tortura danda est, quandoque minor, aliquando leuior. Clar.*d.q.64.n.32.Foller. in verbo, Rei indurati, n.16.Farinac.q.38. num. 33. & ibi sub num.34.* & infra discurrit plures torturæ gradus, vt Iudex scire possit, quemadmodum regulare debeat arbitrium suum circa modum torturæ.

Ad XXII. Quoties possit eleuari Reus, & quot possint dari ictus cordæ pro quolibet indicio, quamdiu Reus possit teneri in corda eleuatus ordinariè.

Respond. Tormenta adhibenda esse, vti moderatæ rationis temperamenta desiderant. Sic text. *in l. de minore, §. tormenta. ff. de quæst.* Et quidem si acria & grauia sint indicia, † Reus torqueri potest, & pro quolibet indicio de consuetudine Italiæ dantur tres ictus cordæ, vt ait Marsil. in sua practica, *in §. occurrit, col. ij. vers. & potest poni.* refert & sequitur Ioseph. Cum *de Sindicat. sub Rub. de tortura, n.20. Nouel. fol. 92. num. 28.* Idem Marsil. *cons. 8. sub num. 37.* respondit: Sufficienter tortum, qui habuit sex ictus cordæ: Crau. tres ictus satis esse respondit, *cons. 287. n. 6.* Iul. autem Clar. in §. fin. q. 64. sub num. 32. refert in prouincia, & in statu Mediolani eam consuetudinem non seruari: & pro vno indicio etiam proximo actui non dari tres sed duos tantum ictus, & non vltra, & si plura sint indicia, non dantur pro quolibet indicio tres ictus sed pro omnibus duo aut tres, & si indicia sunt 117

vrgentia torquetur reus interpolatis diebus. Plenius autem dicetur in sequente quæsito.

Aduertat autem Iudex, vt in torquendo † modum seruet: vt reus tortus saluus sit innocentiæ, vel supplicio. text. ad hoc *in l. quæstionis modum ff. de quæstion. vbi Bar. Alber. Marsil. & alij,* & vt moderatæ rationis tormenta desiderant, vt inquit tex. *in d. l. de minore, §. tormenta, ff. eo. Gandin. in tit. de quæstion. num. 5. & 10.* & non effrenate & inhumane debito iuris postposito. *l. Nihil C. eo* sed cum moderamine: vt pulchre aduertit Frãc. Brun. *de indic. & tortur. in 2. par. q. 5. nu. 17. post Ang. Aret. & alios ab eo adductos.* Et potius vti debet benignitate quã atrocitate. Aimo Crau. *d. cons. 287. nobilis, num. 6.* sequitur Bertazol. *consil. 315. num. 3.* 118

Et si crimina sint grauissima † pro vt magiæ, hæresis, Maie. proditionis assasinij, homicidij pensati, incendij & huiusmodi: non excedat horam aut parum plus in tormentis. Foller. in verbo *Rei indurati, num. 16. fol. 289. Flamin. Cartar. in sua practic. interrog. Reor. lib. quarto cap. primo, numero 113. Farin. post hos quæst. trigesim. octau. numero quinquagesimo quarto.* vbi ad hoc citat Bullam Paul. iij. in Bullario, P. *par. fol.* 471. vbi prohibet iudicibus Reum in tortura detinere per longum temporis spacium vnius aut plurium horarum: adeo vt ex ea Bulla tortura per spacium horæ videatur inhibita. 119

Ad XXIII. Et quid in vtroque ad summum fieri possit,

Respondemus, ad summum tribus
20 bus diebus interpolatis †, si indicia sint vrgentia, Reum torqueri posse: & pro qualibet vice Reus ter eleuatur cum tribus saccatis, & apud nos sub ser. Venet. Dominio sic in atrocibus, & atrocissimis seruatur, & Paduæ consuluit Paul. Castr. *consil.* 199. *visa inquisitione, nu.* 5. *l. ij. in causa venenationis mariti.* refert & sic testatur Blanc. *de indic. num.* 14. *Cason. Opitergimus in tit. de torment. c.* 14. vbi & ipse sic formaliter dicit, Hip. Marsil. Nouel. & Clar. relati in præcedente quæsito, & præter hos Cirill. *in summ. criminal de quæst. §.* 11. *num.* 5. *Bonacos. commun. opin. crimin. par.* 1. *vers. torquendus debet habere*, qui & ipsi testantur de communi cõsuetudine Italiæ, Reos pro grauissimis criminibus tribus diebus ter torqueri cum saccatis & quassationibus, vbi indicia sunt grauia & vehementia, & non vltra.

121 In alijs autem partibus Rei † solent eleuari & teneri suspensi, & apud istos non occurrit considerare quantitatem ictuum, sed quantitatem temporis, quo reus debet teneri eleuatus, vt bene aduertit Farinac. *d. qu.* 38. *sub num.* 54. Quantum autem temporis Reus possit teneri in corda eleuatus, dictum fuit in præcedente quæsito: vlterius autem, si criminis grauitas patiatur, & reus sit robustus: poterit iudex addere aliquem ictum postquam illum detinuit appensum, vel etiam quassari facere funem: nam eiusmodi quassationes magnum inferunt dolorem, vt inquit Farinac. & iste torquendi modus per eleuationem & suspensionem ad tempus acrior est, quã per eleuationẽ cum dimissione & ictibus. Bursat. post Carer. & alios *consil.* 201. *num.* 9. *lib ij.*

Ad XXIV. An non possit iudex, cum videt Reum esse induratum, aut ex alijs iustis causis, desistere ab examine & tortura & post aliquot dies eam repetere.

Respond. Iure latrunculatorem sic facere posse: Nam quæstio † differri & repeti potest. Si ex causa iudicis si videatur: Quia in iudicis arbitrio positum est, an Reus sit sufficienter tortus. 122 Bal. *in lib.* 2. *C. Quod met. cau. Afflict. in constitu. Reg lib. de clandest. homicid. sub n.* 55. *&* 56. *Menoch. casu* 272. *n.* 4. *Farinac. qu.* 38. *nu.* 86. *c.* 87. prout etiam arbitrarium est Iudicum repetere torturam. Bar. *in l. vnius. §.* 1. *ff. de q. Boer. Decis.* 163 *nu.* 10. *Clar. q.* 64. *n.* 45.

Consequenter in Iudicis arbitrio est, † an per torturã indicia sint purgata. Marsil. *in l. q. modum n.* 17 *ff. de qu.* 123 *August. in addit. ad Angel. in verbo: comparuerunt dicti inquisiti. in* 1. *addit. Menoc. casu* 273. *quare potuit iudex si sic sibi videbitur differre & repetere torturam*: caute tamẽ agit, si sic notare faciat. De hac autem materia repetitionis plenius dicetur in Quæsito 26.

Ad XXV. Quid sentiendum sit de effusione aquæ frigidę in tergus appensi rei.

Resp.

Respond. Genus istud tormenti
124 † non esse nouum, sed à iudicibus cognitum, Marsil. *in l. 1 sub numero 27. ff. de quaestion. Paris Put. in verbo tortura, in cap. de repetitione, numero 5. Practic. Iodoc fol 109 numero 18. Farin. quaestion. 38. numero 51. & num. 64.* legibus autem scriptis cognitum aut vsitatum non legitur.

125 Funis autem † tormentum memoratum legitur, *in l. nullus C. ad leg. Iul. Ma. & in l. decuriones C. de poenis,* & est frequentissimum in curijs Italiae, & datur ligatis manibus post terga: de quo Franc. Brun. *in suo tract. de indic. & tort. in ij. quaest. 2. par nu. 6. inquit:* quod à cõsuetudine est approbatũ, & quod vnumquodque praetorium habet tale Instrumentum, & apud nos vsitatissimum est.

126 Si tamen Reus † aliqua de caussa per funem torqueri nequeat, torquetur appropinquato igne ad plãtas pedum: & sic etiam seruari sub statu Mediolani retulit Clar. *d. quaest. 64. numero 35. & in alijs locis Pract. Carer. fol. 138. col 1. Farinac. dicta quaest. 38. numero 61. 62.* vbi post Sal. Parid. & Foller. quod acrius torquet funis subtilis.

Plura autem & diuersa sunt tor-
127 mentorum genera † à latrumculatoribus ad reos cruciandos & fastidiẽdos inuenta: de quibus per Marsil. *in d. l. 1. ff. de quaest. per Brun. d. qu 2. & Farinac. dicto loco.*

Caueant tamen iudices, ne insolitos
128 tormentorum modos † aggrediantur, quia facerent litem suam, & si Reus tortus periret, in sindicatu tenerentur. Bal. *in l. 1. C. de emend. seru. Boss. in tit. de tortur. numero 40. Anton. Gomet. var. resol. tom. 3. de tortur. cap. 13. numero 5. Clar d. quaestion. 64. numero 35. Farin. d. quaest. 38. numero 56.* praesertim vt abstineant ab illis tormentis, per quae carnes Rei scinduntur. *d. l. 1. C. de emend. seru. vbi Bal. sic notauit.*

Si tamen indicia † sint grauia, & 129
de immanissimo crimine agatur, modus excedi poterit tormẽtorum, sicuti etiam modus in condemnando, & exequendo: Brun. *de indic par. ij. quaestion. 5. numero 42. Corrad. in sua pract. in Rubr. de negat. crimin. & torm. numero 39. in fine: Paul. Grillan. de quaest. & torm. quaestion 4. numero 10. vers. quintus & vltimus. Foller. in verbo rei indurati: sub numero 17. Flamin. Cartar. libr. 4. capit. 2. Farinac. quaest. 38. numero 84. & quaestion 38. numero 64. vbi inquit:* quod illud de aqua frigida fuit aliquando in partibus suis seruatum. Et quod in istis atrocissimis, vbi Reus videtur paruipẽdere tormẽta, iudices solent vel cõpedes ferreos, vel baculũ inter pedes ponere: vel etiam Reũ deponere, & refrigeratum iterum eleuare. Solent etiam vti instrumento Stangettae, vel vt alij nominant, taxillorum: vel etiam ignis, vigiliae, & alijs tormentorum instrumentis, relatis à practicis criminalistis supra relatis: Nã in istis atrocissimis licet iuris ordinem trãsgredi vt superius dictum fuit.

Ad XXVI. An & quando tortura ex primis indicijs repeti possit,

maximè in hoc crimine, cum sagæ plerunque sint induratæ & obstinatæ.

Respond. Materiam repetitionis torturæ, quia de re ad modum graui & præiudiciali agitur, diligenter obseruandam fore.

Illud autem absolutum est: ex nouis indicijs vrgentioribus, & diuersis à primis, quamuis Reus sufficienter tortus priora indicia plene purgauerit, repeti iterum posse in tortura. text. *in l. repeti. ff. de quæstio. repeti quæstionem posse Diui fratres rescripserunt. & l. vnius* §. 1. *ff. eo. tit. ibi. euidentioribus argumentis oppressus*: & inde notarunt Bart. Alber. & late Marsil. *ibi num* 8. *&* 18. *Paris Put. de sindicat. in cap. de repetitione, numero* 2. *&* 3. *Brun. in* 2. *part. quæst.* 5. *numero* 58. *Angel. Aret. in verbo. Quod fama publica, num.* 89. *Carer. in* §. *circa sextum de repetitione torturæ, sub nu.* 9. *Blanc. de indic. post n.* 222 *Clar. q.* 64 *vers. vltimo videndum. latißimè Farinac. q.* 38. *n.* 76. *&* 77.

Ex eisdem autem indicijs, si quidem leuia sint, semel tortus † non

131 potest iterum torqueri: Bart. *in d. l. vnius* §. 1. & sequuntur Marsil. ibi & communiter vbique omnes ad saturitatem relati à Farin. n. 72. & in indiuiduo, n. 97.

132 Si verò indicia † essent grauia, & vehementia: concedendum est iudicem incipere posse leuiter torquere reum, & postea illum acriter repetere, Bar. *d. l. vnius* §. 1 *in* 1. *Oppos. Marsil. in d. l. repeti, n.* 4. *& in practica* §. *Quoniam. numero* 2. *Brun. Carer. Grilla. Foller. & alij adducti à Farin. d. quæstion.* 38. *numero* 83. vbi quod de hoc nulla est difficultas, & sic seruant latrunculatores.

Si verò iudex à grauioribus tormentis inceperit, prout sæpissimè faciunt: Si quidem reus fuisse sufficienter tortus, ad dicta in præcedentibus quæsitis, non posset repeti: si verò in prima tortura stetisset durus, & iudici non videretur sufficienter tortus, & ex illa prima tortura indicia non esse sufficienter purgata, quod quidem ab arbitrio iudicis pendere diximus: posset torturam iterum repetere, & dimittere pro eo die reum animo repetendi, & sic per actuarium causæ notari facere, ad quod iudex aduertat: & conclusio ista probari videtur per text. *in d. l. vnius* §. 1. *in illis verbis. (Reus euidentioribus argumentis oppressus, in quæstionem repeti potest* maximè si in tormentis corpus & animum durauerit) vnde Bart. colligit, quod vbi indicia sint grauia & manifesta, & reus tortus in negatione induruit, repeti iterum possit: & est communis omnium scribentium resolutio. Angel. Aret. in verbo. *Quod fama publica, numero* 95. *& August. ad eum: Hip. Marsil. in d. l. repeti. numero* 6. *& numero* 10. vbi de communi, veriore, æquiore, & in practica seruanda, sequuntur Crau. *consil.* 287. *numero* 6. *versic.* præterea vbi etiam in atrocissimis. Boss. *in tit. de tortura: nu.* 42. *Clar. q.* 64. *numer.* 45. *cum infinitis allegatis à Farin. d. numer.* 72. *& ibidem n.* 74. *&* 75.

Impro-

Improbat vsum aliquorum assessorum, qui torturam repetunt, cum sibi ipsis videtur: & sub nu. 79. 80. & 81. ex magis recepta sententia concludit, iudicem repetere posse tormenta, vbi indicia sunt plura, grauia & vrgentia, per trinas vices: Bertazol. *cons.* 320. *lib.* 2.

133 Hoc tamen dictum de repetitione † debet accipi cum moderamine, scilicet, dummodo corpus in tormenta durare possit: text. *in d.* §. 1. ideo aduertat iudex, ne in persona debili de facili tormenta repetat: nã illum opprimere possit. Gandin *de quaest. & torm. nu.* 4. *& n.* 20. *Guid. de Suzar. in tract. de indic. n.* 3. *& n.* 57. *Paris de Puteo in d. cap. de repetitione, sub numero quinto cum aliis adductis à Farin. numero* 82.

134 Vtrum autem indicia sint grauia † & an reus sit sufficienter tortus, hæc ab arbitrio iudicis plurimum pendere fatentur auctores omnes relati supra in solutione 24. quæsiti. In dubio autem iudex inclinare debet in mitiorem partem pro non repetitione, *ad l. si de interpretatione, & l. si praes. ff. de pœn. & l. fauorabiliores ff. de Reg. Iur. Paris de Put. in d. c. de repetition. tortur. versicul. Et semper in dubijs. Clar. d. quaest.* 64. *vers. Hac autem omnia: Farin. n.* 89.

135 Illud etiam certum est: si reus † in tormentis confessus reuocauerit suã confessionem, absque dubio poterit repeti; ne alioquin sub eo prætextu, ne tortura repeti possit, iudiciũ condemnationis euadat. Bal. *in l. in bona fidei, n.* 5. *C. de reb. cred. Marsil. in §. Quoniam, sub num. tertio, & in d. l. repeti, num. vndecimo Paris. & Carer. in locis praall. cum pluribus aliis adductis à Farin. num.* 91.

Ad 27. An in Iure & legibus fundamentum habeat, quod quidem dicunt: Torturam non debere repeti vltra tertiam vicem: Et an illæ tres vices sint intelligendæ de vna, vel tribus diebus interpellatis: Et quid dicendum, si reus commisisset tot delicta, quod examen vno die absolui non posset.

Respond. Fundamentum † constitutum fore in responsis & traditionibus bonorum auctorum sic decisiuis, relatis supra in quæsito 23. & in ratione ab eis considerata: ne in discrimen Rei tormenta in infinitum producantur. Et quamuis Iura permittant tormenta repeti, *d. l. repeti, & d. l. vnius* §. 1. *& in Auth. vt iudic. sine quoquo suff.* § *Illud.* & Repetitio videretur accipienda pro vna prima vice, ad regulam *in l. boues*, §. *hoc sermone ff. de verb. signif. vbi Tiraqu. infinita congerit. Ias. in l. diuortio*, §. *quod in anno, ff. sol. matr.* attamen vt vltra tres vices, interpellatis diebus inter vnam torturam & aliam, Reus torqueri non possit, in argumentum adduxit Paul. Ca. *in d. suo consil.* 299. *num. quinto, libro vndecimo optimum text. in l. fideicommiss.* §. *si quis decem ff. de leg.* 3. vbi repetitio de dando, moderatur pro vna vice, ne heres multiplicibus præstationibus grauetur: igitur satis erit Reipub. consultum ad facinora dete-

detegenda, sic tamen ne Rei dilacerentur vltra primam torturam, in grauissimis & atrocissimis concedere binas repetitiones: sic vt tria torturarum onera excusent Reum, sicut tria tutelarum onera excusant tutorem decretum: *l. tria onera, ff. de excus. tutor.* Et vltra Blanc. Calon. & alios adductos supra in d. 23. quęsito addimus plures alios secutos illam Paul. Ca traditionem: Hip. Marsil. *in d. l. repeti. sub num. 15. Grammat. consil. 21. numero 17. & voto 6. numero 17. Boss. in tit. de tortura, numero 44.* vbi, quod non vidit torqueri vltra tres vices, nisi à carnificibus Carer. *in tit. de indic. numero 194 & 195. Bertazol. cōsil. 145. numero 2.* Quare tantorum patrum traditionem vsu curiarum receptam imitandam censemus, ad textum *in c. ne innitaris. ex. de constitut.*

132 Quin imò fatentur communiter auctores: si Reus † in tormentis cōfessus postea in ratificatione neget, deinde secūdo tortus cōfessus sit & iterū neget, quia dicat prę nimio dolore cruciatuū confessū fuisse: & tertio tortus confessus sit, & adhuc in ratificatione neget, non esse vlterius torquendum: quin in prioribus torturis indicium illud confessionis satis purgasse videatur, Marsil. *in d. l. repeti sub numero 14.* Et *in §. quoniam, sub numero 5.* Et post plures ab eo relatos sequitur Farinac. *n. 96. Laderch. de Imol. cons. 184. n. 4.*

138 Sic etiam in teste, qui † in duobus examinibus tortus fuit varius, & sibi contrarius, vt tertio tantum torqueatur: & standum sit dicto eius in 3 tortura: nec vlterius sit torquēdus, idem Marsil. loco prꝗall. post Angel. *in l. fin. col. 1. C. de qu. & Parid. de Puteo ab eo relatos.*

Consuetudines curiarum in modo torquendi sequendæ sunt.

Curiarum stylus in ordinibus iudiciorum seruandus est.

Stylus fori quo ad torturam & alia seruandus est.

Ad XXVIII. An consuetudines locorum quoad modum torquendi simpliciter sequendæ sint, cum magna sit differentia personarum, iudiciorum, criminum, ita vt non semper vno & eodem modo possit procedi, & casus, caussæ, & genera tormentorum, sine lege, sine consuetudine determinati nequeant.

Respond. consuetudines, † vsus, & stylus curiarum sequendos esse: nam sic iura constituunt, & clamant ac consulunt auctores: *l. 3. §. fin. ff. de testib.* Et inde notarunt Bar. & posteriores: *l. fin. C. de minor. c. quam graui. de crimi. fal. idem Bar. in l. Iurisperitos ff. de excusat. tut.* nimirum quia fori consuetudo vim legis obtinet: Cin. & Bal. *in l. 1. ad finem C. quæ sit long. cons. Afflict. pulchrè Decis. 135. n. 3. & 233. n. 5 Fel. in cap. 2. de rescriptis: vbi latè scribit Hypol. Marsil. sing. 118. stylus Curiæ.* 139

Et adeò potens est stylus Curię † vt in quibusdam derogare possit solennitati citationis. Bald. *in Auth. si quis in aliquo: sub numero 14. & post eum* 140

Sal.

Sal. C. de eden. Alex. consf.65. nu. 12. *libr.* 1. vbi propterea infert, quod de stylo fori Iudex receptis testibus informatiuis potest Reo non citato procedere ad illius torturam, sequitur Afflict *Decis.391. n.5.*

141 Et in proposito in his grauioribus & atrocioribus † seruandum esse stylum & loci consuetudinem multoties dixere scriptores, Clar §.1, *n.6, Innoc. casu* 474. *n.62. Mascard. concl.* 1317. *nu.* 47. *Farinac. q.* 43. *nu.* 144. Ac ideò consuetudinem loci de interrogandis Reis de socijs criminum valere professus fuit Farin. *d. q. num.* 124, & in specie statuti Mantuani sic disponentis, Menoch. *d. casu* 474. *num.* 68. *Burs. cons.* 20. *n.* 67. *& consil.* 69. *n.*25.

Ad XXIX. An etiam Iudicibus inferioribus à superiore modus pręscribi torturæ possit.

142 Respond. si quæstio sit, an Princeps superior † committere possit, vt Iudices torqueant certa specie tormenti, & videtur concedendum, id esse in potestate Principis, Bald. *cons.* 427. *n.* 9. *lib.* 5. *repetito apud Roman. cons.* 451.

143 Si autem quæratur, an Princeps † committere possit, vt non torquẽdus torqueatur, vel quia indicia sint leuia, vel quia adhuc non fuerint recepta: & hoc casu Princeps non potest sic committere: nam tortura est maximus cruciatus, & æquiparetur morti Bald. *in leg.* 1. *col. pen. C. vnde vi.* & grauior est tortura, & eius pœna, quam vtriusque manus abscisio. § *fin. in auth. vt nulli Iud. Marsil. in l. diuus col.* 1. *ff. de quæst. Farina. q.* 42. *n.*14. Iuris autem naturalis, diuini, & positiui præcipit auctoritas, ne quis indebitè lædatur, & Principibus commissum est, vt pascant subditos, non deuorent: & dicuntur Reges à regendo secundum iustitiam: I. Regum, 23. *quæst.* 5. Quocirca malefaciunt Reges, qui talia committunt, & inferiores Iudices iustè recusant obedire, vt in specie inquit Andre. Iser. *in cap.* 1. *de pac. tenen.* cuius auctoritate sic respondit Afflict Serenis. Regi Friderico, vbi retulit Grammat. *cons.* 45. *nu.* 35. *& voto* 32. *nu.* 8. *vbi refert* sic respondisse Cardin. Columnio locum tenẽ. Regio. subsequitur Clar. *in* § *fin. q.* 64. *nu.* 13. *Roland. cons.* 12. *n.* 47. *lib.* 3. *latissime Farinac. q.* 37. *nu.* 74. *& infra & ibi plenè examinat*, an Iudex exequens huiusmodi principis iniustum mandatum teneatur in sindicatu: & his accedit, quod nouissimè respondit Laderc. de Imol. *d. cons.* 184. non valuisse mandatum Seren. Ducis Mantuæ. quod bis Æneas Pasterla de fratricidio inquisitus torqueretur, donec crimen fateretur. Vnde consentiunt scriptores, confessionem factã à tam iniuriosè torto, vti vi tormentorum iniustè illatorum extortam, non nocere Reo confesso: Gigas *de crimi. les. Mai. in tit. quomo. & per quos. q.* 1. *n.* 32. *Gomet. variar. resol. Tom.* 3 *in Rubr. de tortur. reor. n.* 15. *Carer. in* 2. *par. in* §. *circa sextum n.* 5. *Burs. cons.* 201. *sub n.* 87. *Farin. d. q.* 38. *n.* 78.

Ad XXX. An sit danda copia indiciorum & processus informatiui in criminibus atrocioribus exceptis: vel an sufficiat indicia à Iudice Reo proponi, eumque incontinenti cum suis defensionibus audire, cum isto modo melius veritas haberi possit.

Respond. iure scripto decisum
144 esse, Reis † vt detur indiciorum copia, ne opprimantur, neue defensionis facultas tollatur, sic enim euincitur ex tex. *in l. vnius §. cogniturum ff. de quæstion. ibi.* quamuis defensionẽ quocunque tempore, Reo postulãte, negari non oportet. *& in l. desertorem §. si ad diem ff. de re mil. ibid.* facta prius docendi copia, *& l. defensionis facultas C. de Iur. fis. lib. 10. ibi.* defensioni facultas danda est ijs, quibus Fiscus aliquam inquietudinem infert: & de Iure canonico sunt tex. aperti *in. c. qualiter & quando, de accusat. ibi.* & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi seipsum, & in clẽ. *pastoralis de re iudic. ibi, per quæ de crimine præsertim sic graui delato, defensionis, quæ à Iure prouenit naturali, facultas adimi valuisset:* ad hoc sunt infinitæ propemodum auctorum decis. Bar. *in l. fin. n. 8. ff. de quæstio.* Angel. de malef. in verbo *quod fama publica. n. 37. & August. ad eum. Alex. cons. 65. n. 2. lib. 1.* And. Sic. *con. 47. n. 8. & 9. lib. 1. Mars. in l. in pr. n. 12. ff. de qq. & cons. 8. n. 23. Blanc. de ind. n. 24. 29. & 31. Boss. de indi. n. 27. Clar. q. 49. Rolã. cõs. 12. n. 42. l. 3. Rimin. iun. cons.* 88. *nu.* 59. *lib.* 1. Farin. qui cæteros retulit. *q.* 39. n. 1.

Et conclusio hæc ampliatur etiam in atrocissimis: vt in his † de- 145
tur Reo copia indiciorum, antequam torqueatur cum termino competente ad faciendum suas defensiones, & purgandũ indicia, sic in crimine hæresis, quod atrocissimum est. Bal. *cõs. 95. vol. 1.* secuti sunt Boss. *in tit. de indic. ante nu. 78. & in tit. de hæretic. n. 9. Pariz. cons. 2. n. 155. lib. 4. Rolan. cons. 12. n. 61. lib. 3. Franc. Personal. de indic. n. 22. Vulpell. cons. 21. n. 3.*

Et in crimine læsæ Ma. quod similiter atrocissimum est, tex. *in d. clement. pastoralis. Bar. in extrauag. ad reprimendum, in verbo & figura, n. 15. Afflic. in tit. Quæ sint Regal. in verbo & bona committentium nu. 7. Gigas de crim. les. Mat. in tit. Qual. in crim. proced. q. 19. n. 3. Boss. de indic. n. 78. Rolan. d. cons. 12. n. 59. 60. 61. Vulpell. d. cons. 21. n. 3. Osasc. in Pedemont. decis. 79. n. 12. Franc. Personal. d. tractat. de indic. n. 22.* Et in crimine assasinij, Carer. *loco infra allegando: & Hier. Laurent. in Auinionens. decis. 15.* & generaliter in omnibus atrocioribus & enormissimis: Marsil. *in §. Diligenter n. 157. & n. 175. Grammat. voto 34. in fine. Carer. in titu. de indic. & tortur. § circa quintum n. 16.* & in crimine veneni, & parricidij, idem Gram. *voto 30. n. 2.* & in crimine Sodomiæ reiectis contra sentientibus. Idem Farin. *n. 111.* & in alijs atrocissimis & occultis, Frã. Personal. *de indic. n. 23.* & nullibi in iure contrarium reperiri asseruit Ioan. Maria Monti-

cell.

cell. *Reg. crimin.* 14. n. 3. & subsequitur Farin. *d. q.* 39. *nu* 41 dicens: sic communiter teneri reiecta contraria opinione quorundam.

Et nobis quoque placet: quia iura supra relata absolutè loquuntur, & quia contrarium nullibi in iure reperitur, & clare fuit de mente Bar. *in extrauagan. qui sint rebelles.* vbi in eo atrocissimo crimine in pluribus locis fatetur, Reo non esse denegandas defensiones: & quia denique est iuris naturalis, qua ratione improbauit Papa processum formatum ab Henrico Imperatore non decretis defensionibus Roberto regi Neapolitano: Nam etiam in ijs, in quibus licet iura transgredi ob criminis enormitatem, nō tamē est sublata, Mantua, *cons.* 14. *n.* 89. *l.* 1. & hac ratione, quia defensio negari non potest, dicimus conclusionem procedere, quāuis Reus argueretur malę opinionis & famæ, Ang. de malef. in verbo, *quod fama publica, n.* 38. *Marsil. in l.* 1. *n.* 48. *ff. de quæst. Blac. de indic. n.* 28. *& n.* 46. *Boss. eo tit. n.* 75. *cum alijs adductis à Farinac. n.* 47.

147 Ac etiam quod proponeretur timor subornationis testium † ad defensam, quia reus esset potens, vt plene discurrit And. Sicul. *d. cons.* 47. *sub n.* 8. *&* 9. *Boss. in tit. de indic. n.* 75. *Rolan: cons.* 12. *n.* 58. *lib.* 3. *Rimin iun.* 290. *n.* 19. & nunquam vidisse denegatam copiam indiciorum sub prætextu subornationis testium, asserit Farinac. *d. q.* 39. *n.* 70 *& sub n.* 75. dandas esse defensiones cum copia indiciorum, quamuis Reus non asserat, quales defensiones facere vellit, Post Boss. *de indic. n.* 80. *Blanc. n.* 26. *& plures alios.*

Etsi Iudex processerit ad vlteriora & ad torturam Rei † ante datam copiam indiciorum & decretas defensiones, processus omnis est ipso iure nullus, ac etiam confessio facta à Reo in tormentis illegitime datis, vti legitur *in d. clem. pastoralis, Angel. in verbo: quod fama publica: num.* 37. *cum pluribus alijs adductis à Farin. num.* 84. 148

Poterit tamen Iudex, † si sibi videbitur, restringere defensiones in quibusdam: veluti ne possit colloqui nisi cum suis aduocatis & procuratoribus, vel etiam cum præsentia alicuius ministri publici: Ioseph Ludov. *in suis commun opinion. conclus.* 38. poterit etiam constringere tempus ad faciendas defensiones, acetiam decernere, quod loco copiæ exhibeantur Aduocatis originalia indicia per eos videnda. Idem. Farinac. *nu.* 112. 113. *& infra.* 149

Illa aūt forma proposita in quęsito, an satis sit, q̄ iudex proponat reo indicia, cumque in continenti cum suis defensionibus audire: non placet nobis, vt Iudici inferiori sic liceat, quia non est ex præscripto iuris ordine, & nimium læditur Rei defensio, quandoquidem habita copia indiciorum, vel lectis, & bene intellectis indicijs commodius, & vtilius formare potest suas defensiones.

Ang. & Imol. in l. custodias ff. de publ. iudi. Franc. Marc. Decis. 108 Iul. Clar. q. 64. num 34.

153 Illa autem consideratio, ne Rei† ope & consilio aduocatorum instruantur ad negandum, non mouet: nam præsupponitur aduocatũ non debere delinquere in officio suo. ad l. 1. C. de off. ciuil. iud. Aduocatus autem ex officio suo non potest, nec debet instruere Reum ad tacendum veritatem, aliter peccat: Abb. & Canon. in c. 1. de testib. cogend. & definiuit S. Thom. in 2. 2. q. 69. art. 1. & in art. 2. & probatur ex Bar. in l. relegati ff. de pœnis. vbi quod damnatus ad mortem: fugiens, peccat, secundũ Theologos:

154 † Ad hæc optima glos. in c. 1. de conf. ff. in 6. vbi nisi Aduocatus consulat clientem restituere, quod indebitè tenet, tenetur ipse in foro conscientiæ: sequitur Ægid. Boss. in Titul. de respons. à Reo facien. num. 8 vbi præterea subdit, quod licet Aduocatus non iustam fouet causam, iure possit per subterfugia aut aliter deludere aduersarium & aduocatum partis diuersæ. ad gloss. 23. quæst. 3 cap. Dominus noster non tamen iure possit instruere principalem, ad falsas probationes, aut ad iuramentum falsum: Ias. in l. cum proponas la. 2. C. de pact. Cano in d. c. 1. de testib. cogend.

155 Sane expeditum est, vbi post mortem res † agitur in criminibus exceptis de damnanda memoria defuncti, aduocatum intercedere posse: Gigas in titul. quomod. & qualit. quæst. 28. nu. 2. post Prepos. in c. quando coll. 3. 2. quæst. 6. Decian. in criminal. lib. 7. cap. 40. num. 10.

Ad XXXII. & vltimum quæsitum. An confrontatio sagarum, quæ vt plurimum solent esse pronæ ad reuocandum, sit consulta. 156

Respond. Auctores† in Iurisprudentia docuisse, quod reus de se confessus, debet in præsentia nominati, cum iuramento, asserere sic esse: aliàs nominatio non operatur, Boer. decis. 319. num. 4. Sequitur Clar. quæst. 2. sub num. 12. vers. Quæro numquid. Vulpel. cons. 30 num. 7 & cons. 83. numero octauo. 157

Sed quod de iuramento isti dixere, non ab omnibus recipitur: quare Menoch. casu 474. n. 62. & infra, dixit, stylum fori seruandum esse, & subsecuti sunt Mascard. conclus. 1317. numero 47. Farinac. quæstion. 43. numero 144.

Hic tamen sub numero 140. & infra, admittit, vt reus de se confessus, qui quidem tortus alios nominauit, in ratificatione de se & alijs debeat iterum, leniter tamen torqueri, & in præsentia nominatorum confirmare nominationem: quod & nobis placet, ne alias erronea nominatio grauis sit innoxio nominato, magis enim expedit quandoque nocentem liberare à pœna humana, expectaturum diuinam vltionem: quam innocentem diris cruciatibus affligere: ad l. absentem ff. de pœnis. Nec quod sagæ soleant esse pronæ ad reuocandum nos mouet, quia de occultis non est nostrum iudicium, c.

sicut ex. de simon. & 32. *quaestion.* 5. *c. erubescant.* caetera alia plura de confrontatione testium habentur apud Vincent. Onded. *cons.* 101. *lib.* 1.

Et ita dicimus & de iure respondemus super praemissis quaesitis nos Prior & doctores vtriusque iuris sac. collegii Patauini ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, Trini & Vnius, ac gloriosissimae semper virginis Mariae Diuorumque Prosdocimi, Antonii confessoris, Danielis, ac Iustinae protectorum nostrorum.

Priore

Antonio Francisco Zanotto Iurisconsulto.

Relatoribus.

Ottonello Discalcio Iurisconsulto & equite.

Marco Antonio Peregrino Iurisconsulto & equite.

Marco Antonio Ottelio Iurisconsulto.

Ioachimo Scaino Iurisconsul.

FINIS.



